SYNOPSIS
UNIVERSÆ MEDICINÆ PRACTICÆ:
Sive Doctissimorum Virorum
DE MORBIS,
Eorumque causis, & Remediis Judicia.



AUTHORE

JO. ALLEN M. D.

EDITIO NOVA VENETA,

Cæteris auctior, & plerisque in locis diligenter emendata; cui accesserunt celebriorum Veterum, Recentiorumque sententiæ, præter ea, quæ in aliis latinis editionibus prostant.

Τῆς αὐτῆς διανοίας ἐστὶ γνῶναι τὰ ὀρθῶς εἰρημένα.
Ἱπποκρατ. περὶ διαίτης.

PARS PRIMA.



VENETIIS, MDCCLXII.
Apud LAURENTIUM BASILIUM.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.


WELLCOME
LIBRARY



PRÆFATIO

EUSEBII SGUARII M.D.

ad Synopsin Medicinæ

JOH. ALLEN.

In qua Historiæ Medicinæ compendium, & pro Thyronibus in eadem nunc temporis instituendis præcipui Scriptores exhibentur.



Edicina, humanarum disciplinarum Nobilissima atque utilissima, non solum morborum genera, species, causas, differentias, numerumque perquirit, & discriminat, verum etiam discretos ex suis causis deducit, iisdemque experientia duce rationabiliter medetur. Eadem in Theoricam ac Praticam merito dividi solet, quarum illa ex Naturæ legibus, & diversis Physices partibus, morborum causas, quibus juditium dirigitur, venatur, & explicat; hæc appositis pharmacis ægros in salutis gratiam restituere contendit, & naturalium vitaliumque munerum vitia aptis auxiliis emendat. Utraque pars quantas novissimis hisce temporibus acquisierit notiones, quantaque, solertissimorum Virorum industria

dustria, additamenta, susceperit, testantur nuperrimi illustr. Academiarum, tam quæ Parisiis, & Berolini sunt, quam quæ in Anglia, & Scotia, atq; alibi conatus, nec non quorumdam hujusce Seculi Scriptorum doctissimorum, sagacissimorumque labores, qui sublimioribus Scientiis ad usum partium animalis corporis, & naturalium, vitalium, ac animalium actionum œconomiam intelligendam in auxilium vocatis, Theoricam medicinam ad Scientiæ culmen, dignitatemque evexere: quemadmodum post Borellum, Bellinum, Pitcarnium, Freindium, & Jurinum celeberrimus Boerhaavius, ejusque alumni, præsertim Cl. Van Schvvietten, & Doctissim. Aller dudum præstitere, quibus merito accensendus est Experientiss. Hales, ipsamque Practicam supra Veterum industriam perducere norunt; quemadmodum ab acutissimo Sydenhamo plerique: maxime vero meritissimi Meadius, Astrucius, Monreali, Haen, Stock, & Hasenohrl felici ausu intentarunt. Sed quibus initiis, quibusque progressibus Ars hæc, sive disciplina, per antiquiora tempora ad nostram usque ætatem pervenerit, ut aliquo modo adumbremus, historicam ejus narrationem veluti per synopsin, ceu in compendium, exornare juvabit ab Api, sive Serapi Ægyptiorum Osiride ab aliis dicto, vel juxta Diodorum Siculum ab Iside, ejusque filio Oro, quem Græci Apollinem Jovis filium dixere, ni cum aliis putare velimus, ab Hermete Trismegisto apud Ægyptios antiquitus Medicinam ortum habuisse. Id unum tamen certum est ab Ægypto in Græciam una cum cœteris Artibus Disciplinam hanc multo ante Trojæ excidium translatam esse, ibique maxime excultam a Centauro Tessalo, & Chirone, a quo etiam Chirurgia dicta, unde liquet, nisi ejus partem, quæ in primis manuali operatione circa vulnerum sanationem

exer-

exercetur, antiquissimis illis temporibus usuvenisse. Chiron discipulos habuit Æsculapium Apollinis filium, & Achillem Tessaliæ Regem, qui una cum Machaone, & Podalirio, Æsculapii filiis, ante Trojanum bellum Telephum Regem Herculis filium curavit. Machaon occisus ad Trojam Artis hæredem reliquit filium suum Nicomachum, a quo usque ad Melampum, qui 1243. annis ante Christum natum vixit, nisi quorumdam Medicorum mentio fit: veluti Promethœi, quem Medicinæ inventorem fecit Æschylus, & Pœonis, unde Pœoniæ herbæ nomen. Melampus, cum filias Regis Argivorum furiosas Helleboro exhibito sanasset, huic vegetabili melampodii nomen dedit, & ab eo usque ad Menecratem Syracusanum 934. ann. ante Chr. nullus quispiam alius Medicus recensetur. Hunc sequitur Herophylus Chalcedonius, qui tempore Phalaridis Tyranni homines vivos e carcere obtinuisse, & secasse testantur Celsus, & Tertullianus; tum Empedocles Agrigentinus, & Acron itidem Agrigentinus, qui ann. 460. ante Chr. Empiricæ sectæ primordia fundavit. Paulo post Democritus Abderites, & Hippocrates Cous floruere, ejusque filii Thessalus, & Draco, atque gener Polybius, qui libros scripsit de natura humana, & de tuenda valetudine. Hos excepere Diocles Caristius, & Cratevas; tum Plato, ejusque discipulus Aristoteles, & Theophrastus Eresius, & Erasistratus ob curam filii Seleuci Siriæ Regis Antiochi celebris; demum Nicander inventor Theriacæ, Mithridates Rex Ponti, Themison Laodicœus Methodicæ sectæ inventor, & Asclepiades. Sed a Christo nato vertente

I. Seculo floruere Antonius seu potius Actorius Musa Cæsaris Augusti Medicus, ejusque frater Euphorbus Jubæ Regis Mauritaniæ Archiater, tum Apollonius Musa, Philonides Acutus, qui a Plinio

passim citatur, & Aretœus Cappadox. Tiberii vero ætate celebres fuere Antiochus Bachius, Cassius Fœlix, Scribonius Largus, Heraclides Erythræus, Vectius Valens Antiochenus, qui eodem Plinio teste, in Aula Claudii inter Adulteros Messalinæ fuit, atque demum Cornelius Celsus elegantissimus præ ceteris, qui deinceps scripserunt, Medicis, ornatissimusque. Porro imperante Nerone fuere Andromacus senior Cretensis, ex cujus præscripto hodie Theriaca conficitur, Thessalus Trallianus Methodicæ sectæ cultor eximius, & Evax Rex Arabum, qui de Medicina Librum ad Neronem scripsit. Sub Vespasiano demum fuere Plinius secundus, Andromacus junior, Græcinus, Menedotus, & Democrates; tum Dioscorides Anazarbensis, ex Anazarba Siciliæ urbe, atque sub Trajano versus seculi finem: Crito, Ruffus Ephesius, & Marcinus. Sed ex tantis Medicis plerorumque Opera deperdita sunt; nec nisi extant ex Latinis ea C. Celsi, & Caii Plinii, ex Græcis vero longe plura, viz ea Scribonii Largi, Dioscoridis, & nonnulla Ruffi Ephesii, tum Vectii Valentis nisi fragmenta quædam Astrologiæ; Evacii Liber eidem adscriptus, sed fidei suspectæ, & Cassii Fœlicis libri duo, qui de curatione morborum agunt.

II. Seculo Scripta Hippocratis magno pretio haberi orsa sunt, & a nonnullis Commentario illustrari, simulque plurimi Methodici: ceu Thessali Sectatores inclaruere; præ cæteris vero celebres fuerunt: Soranus Ephesius, qui sub Trajano, & Hadriano Romæ Medicinam exercuit, Olympius, ejusque discipulus Apollonides, Julianus Alexandrinus Hippocratis Commentator, Cœlius Aurelianus, qui etiam Sorani libros latine dedit, Sabinus, qui cum Ruffo Ephesio præcedentis Seculi Hippocratis opera illustravit. Hos sequuntur illi,

illi, qui sub Hadriano Cæsare tantum vixere: ut Dioscorides Alexandrinus, Artemidorus Capito, Pelopes Humesiani, & Satyra Quinti auditores, a Galeno jam memorati; tum Lycus Macedo, & Claudius Galenus, qui postremus omnes hucusque Medicos, & eruditione, & librorum multitudine, cum ultra 200., teste Gesnero, scripsisset, superavit, tandem Emilius Macer, qui carmen de herbarum virtutibus confecit.

III. Seculo vix cujuspiam Medici Opera, nec nisi quorumdam tantum nomina occurrunt: veluti Antylli, qui teste Oribasio, multa scripsit de Arte Gymnastica, Archigænis, & Herodoti viris de secta Pneumatica clarissimis, & Possidonii de quo Aetius, & Gesnerus in Bibliotecha aliquid effantur. Ast Probo imperante Panthaleon de Vercellis Sabaudiæ Ducis Protomachus, & Martyr inclaruit, & sub Caracalla Quintus Serenus Samonicus Poeta Lyricus, Gordiani junioris præceptor, qui in balneo occisus est, & cujus latina fragmenta adhuc extant.

IV. Seculo Medicina florere cœpit Alexandriæ Zenone Cyprio præceptore, usque in Juliani imperium celeberrimo, a quo instituti sunt: Magnus Antiochenus, Jonicus, sed præsertim Oribasius Pergamenus Juliani Apostatæ Archiater, & Consiliarius, a quo Constantinopolitanam Quæsturam adeptus est. Hujus vero ætate vixit etiam Eunapius historicus simul, atque Medicus, ut ei verisimiliter inscribi possint: tum quatuor, quæ extant de Euporistis libri; tum alii nonnulli, & paulo post Vindicianus, quem Theodorum Priscianum quidam dicunt, qui librum de expertis remediis ad Valentinianum Imperatorem concinnavit.

V. Seculo nullus occurrit celebris Medicus; sed omnium, quorum memoria intercidit, jacturam

compensat circa ejusdem seculi finem unus Aëtius Amidenus, ex Amida Mesopotamiæ urbe, qui ad imitationem Oribasii plurima veterum fragmenta congessit, quæque alibi non reperiuntur deducta ex Archigene, & Herodoto, ex Possidonio, & Antyllo, ex Sorano Methodico, & Leonide sectæ Episynthetico. Huic adjungendus est Petrus Archiater Theodorici Gothi Medicus.

VI. Seculo illustres fuere Alexander Trallianus, ex Trallibus Lydiæ urbe celeberrima, a Stephano Parente suo Medicina institutus, Uranius natione Syrus, Procopius insignis Historicus, & Belisarii Ducis Amanuensis, quem cum Freindio Medicum una conjicimus, Perzoes, qui librum de Indorum Sapientia Chosrois Persarum Regis nutu confecit, & Palladius Sophista, vel Jatrosophista, primus inter recentiores Medicos græcos habendus, quippe qui Alexandriæ institutus est, & cujus commentarium in librum de morbis acutis Hippocratis servavit Gesnerus in sua Bibliotecha.

VII. Seculo bella Saracenica Asiæ, Africæ & Siciliæ Artes agitantia nisi in minori Asia, & Græcia paucos eruditos reliquerunt. Schola tamen Alexandrina ab initio usque hujus seculi ob Medicinæ studia adhuc inclarescebat, cui operam dedit ibidem Paulus Ægineta, ab Ægina insula dictus, qui primus de Arte obstetricia egit, & Abulpharagio teste acuratissimo, sub Heraclii regno floruit. Huic accedunt Stephanus Atheniensis, quem alii Alexandrinum dicunt, quique commentarium in Galeni primum librum ad Glauconem exaravit, & si habeatur pro eo cognomento Chymicus, sub Heraclio, cui Chrysopœjam suam dicavit, vixisse constat; tum Theophilus cognomine Jatrosophista, Protospatharius, & Monachus, qui præter libros de urinis, de humani corporis structura, & in Aphor. Hipp.

com-

commentaria, alterum etiam de pulsibus composuit, sub titulo Philareti e Græco conversum. Aaron Alexandriæ Presbyter, qui triginta libros, Medicinæ Pandectas vocatos, scripsit, & Maserjavvaihus Syrus religione autem Judæus.

VIII. Seculo crassa ubique barbaries si Almanzoris aula Bagdad posita excipiatur, quia, Abulpharagio teste, postquam Abbatis stirps, ea Omniadum decessa, ad Imperium evecta est, quod anno 746. contigit, Arabes desidia excussa Scientias sub Almanzore primum, dein per subsequentes Chaliphas mirifice excoluere. Hoc vero seculo edificata ab Almanzore Bagdad, cum forti morbo is implicaretur, Georgium Bachtishuam Medicum Indicum Nisaburi, quæ Metropolis Chorasanæ erat, degentem, ad se vocavit, qui multos deinde de Medicina Libros suo nutu traduxit.

IX. Seculo multum floruit Medicina in Asia apud Saracenos, ceu Arabes, quia in nova hac Civitate Bagdad, ubi popularis lingua erat Syriaca, insignis fuit quidam professor nomine Mesue, natione Syrus, Nisaburi oriundus, Pharmacopœi filius, & a Gabriele Bachtishuæ filio Medicina optime imbutus, qui magnum illico discipulorum numerum habuit, & Honain Hiræ oriundus, post longum iter per Græcas regiones in urbem Bagdad reversus, circa seculi medietatem Græcorum Medicorum opera in linguam Syriacam converte orsus est, qua in re a Filio Isaac, nepoteque Hobaish deinde imitatus est. Hinc celebres hac ætate comperimus Johannem Serapionem, qui veteris Medicinæ narrationem tradidit, & Rhases Rei natus, quæ Urbs est in Iraco Persico, ceu potius in Provincia Chorasana, qui Bagdad migratus, inter centum præclaros Medicos ibidem commoran-

tes

tes electus est, ut celebre quoddam in ea urbe Nosocomium curaret. Hic Auctor est libri *Continens* dicti, in quo ut Actuarius inter Græcos, sic is inter Arabas primus chymicorum remediorum mentionem injiecit.

X. Seculo valde multi inter Saracenos, Asiaticos Medicinæ Scriptores extitere, quorum tamen opera, sicut ab Arabica in latinam linguam nunquam versa sunt, ita penitus interiere; aliorum vero, quorum libri servantur, & supersunt, præcipuus Haly Abbas est, qui suum Amaleci: seu Opus Regium, quo perfectum Medicinæ Systema tradere præsumpsit, Chaliphæ Adad' odaulæ sermone magnifico orientalium more dicavit, tum Avicenna, aliter Abahali, Ebenhali ex Patre Hali, vel Ahasen, Ebensina dictus, Bocharæ in Chorasana natus, qui eximio Opere, cujus titulus *Canon*, universam Medicinam amplexus est, & tanta fuit in celebritate, ut a quibusdam ad Viziris dignitatem ascendisse memoretur, quare etiam Princeps Alahali, vel Hassem fuit nuncupatus.

XI. Seculo illustres fuere Nonus, qui librum de curatione morborum Constantino Porphyrogenito inscripsit, qui juxta Jeremiam Martium ejus versificatorem, editoremque, Constantini Ducæ filius fuit, tum Michael Psellus, & Simeon Antiochensis, & Abumeron Abenzoar, ceu Abimeron Avenzoar, qui librum *Thaisser* dictum, confecit, & plerique alii Arabes, quorum Opera nihil memorabile continent: ut Abenguefit, Jesu Haly Bulcasem, Camanusali, Rabbi Moses &c. His accedunt Isaacus Deimiram Judæus, Simeon Sethi, qui ex Saracenis Artem in Italiam transtulit, Gabriel Surianus Rhazis traductor, Constantinus Afer Monachus Cassinensis, a quo florere cœpit Medicina Salerni,

quod

quod Campaniæ fœlicis oppidum Caſſinenſi monaſterio adjacet.

XII. Seculo, ſub ejus initium, Liber Scholæ Salernitanæ titulo prodiit, qui a Johanne Mediolanenſi in ordinem redactus, totius Societatis nomine Roberto Normandiæ Duci, illius Gulielmi, qui Angliam ſubjugavit, filio, dicavit. Hic Leoninis verſibus ſcriptus eſt, & de ſanitate tuenda, ſexque rebus nonnaturalibus dictis, agit. Floruere hoc ſeculo Rogerius Parmenſis, juxta alios Salernitanus, Jamerius, qui tractatum Chirurgiæ edidit, & Rolandus pariter Chirurgus, ſed hos omnes præivere Alſaaravius, ceu Albucaſis ſcriptor Arabs, qui opus compoſuit Al-Taſrif dictum, ſive Methodum medendi, in triginta ac duo volumina diviſum, & Stephanus Antiochenſis, qui Haly Abbatem eo ſermone, quo nunc legimus, latine convertit. Tandem circa finem ſeculi plerique Judæi paſſim Medicinam exercebant: ut Beniaminus e Tudela ſuis peregrinationibus circa id tempus factis cognovit, quamquam ex Lege Canonica nulli Judæo Medicinam agitare liceret, Johannes Damaſcenus, Meſuen dictus, ſub Friderico Barbaroſſa Conſtantinopoli inclaruit, & Egidius Athenienſis Monachus ex ordine S. Benedicti verſibus Hexametris, haud magna tamen ſyllabarum quantitatis ratione habita, de virtutibus medicamentorum, de urinis, & pulſibus ſcripſit, & Philippi Auguſti Galliæ Regis Archiatri munus exercuit; Moſchion, Demetrius Pepagomenus, Actuarius, & Nicolaus Mirepſus e Græcis Scriptoribus poſtremus, qui ſub Antidotarii nomine compoſita medicamenta pleraque in Græcis, & Arabibus diſperſa, congeſſit.

XIII. Seculo ineunte celebriorum Scripta Arabum, nonnullaque etiam Hippocratis, & Galeni

leni ab ipsis Arabibus in patriam linguam conversa studio Salernitanæ Scholæ, jussuque Friderici II. Imperatoris, Litterarum, & Judicis, & Fautoris insignis, latine converti cœpta sunt, atque passim edi. Hinc illustres floruere Medici, Gerardus Carmonensis, ex Carmona Andalusiæ urbe, qui interpretatus est librum Kyrani Kyramides in Hyrac Kin Koronides inscriptum; & cuidam Persarum Regi tributum, Simeon Januensis, qui cum Abrahamo Judæo Serapionis opera ex Arabico in latinum transtulit, & Saladinus de Esculo, & Benvenutus Graphæus de Jerusalem, & Johannes Platearius. Tum circa medium seculi floruit: Gulielmus de Saliceto, Placentinus dictus, tam in Medicina, quam in Chirurgia peritus, Thaddæus Florentinus ejus coætaneus, qui Medicinam Bononiæ cum ingenti lucro professus est, Gilbertus Anglus, Brunus Calaber Chirurgus, & Theodoricus Episcopus Cerviensis, qui Bruni collectionem una cum quibusdam fabulis a Magistro suo Hugone de Luca surreptis suo nomine edidit. His accedunt Lanfrancus Mediolanensis Chirurgus, qui tempore Rudolphi Imperatoris in Aula Philippi Pulchri vixit, Petrus Hispanus ex Lusitania Episcopus Tusculanus, qui postea fuit Johannes XXI., Rogerus Bacco, Guilelmus Britannus, Turrisanus de Turrisanis, & Arnoldus de Villanova chimicus simul, & Medicus celeberrimus, qui circa initium etiam sequentis seculi floruit.

XIV. Seculo Petrus de Apono statim in Italia occurrit Magia suspectus, sed pendente lite mortuus, cujus tamen effigies flammis damnata est, Valescus de Taranta, Matthæus Sylvaticus, atque Franciscus Pedemontanus, uterque Medicus Roberti Siciliæ Regis, tum Mundinus

Me-

Mediolanensis, qui Anatomiæ volumen composuit; In Gallia non solum præfatus Arnoldus Villanovanus, qui sub Alberto I. Imperatore floruit; sed etiam Gordonius Monspeliensis, qui ingens conscripsit volumen *Lilium Medicinæ* vocatum; In Anglia demum Johannes de Gaddesden auctor celebri Operis, Rosa Anglica dicti, & Joh. Ardernus. Præterea in hoc seculo celebrantur, Guido de Cauliaco Bertrutii discipulus magni nominis, & experientiæ, cujus ætate Medici a curationibus Chirurgicis, ceu quæ manibus fiunt, abstinere penitus cœperunt, Chirurgus Monspeliæ Professor, & postea Papæ Clementis Medicus, Bartholomæus Clanvillus, Johannes de Dondis, Ugolinus de Monte, Gentilis de Fulgineo, qui Commentarium scripsit in Ægidii Poema, Dinus de Garbo, vel de Carbo, VVihlelmus de Varignana Judæus, Raymundus Lullus, Joh. de Rupe-Scissa Monachus Ordinis minorum, & chymici artificii professor; tum Dini de Garbo præfati filius, Thomas, & Johannis de Dondis pater Jacobus, Auctor præclari Operis, quod *Aggregator* inscribitur, sub finem seculi demum Christophorus de Honestis Medicus Bononiensis, qui scripsit expositiones super Antidotarium Mesue, & Antonius Cermisenus, ejusque discipulus Michael Savonarola Patavinus, qui etiam circa initium sequentis seculi inclaruit.

XV. Seculo cum cæteris liberalibus Artibus etiam Medicina ornamenta suscepit, unde circa initia eminuere, Jacobus de Partibus, Jacobus Forolivienfis, Marsilius de S. Sophia, & Hugo Senensis; tum Johannes Marlianus, Bartholomæus Montagnana, Joh. de Conco-regio, Leonhardus Bertapalia, Joh. de Romanis Cremonensis, Nicolaus Vernia, Antonius Goainerius,

Joh.

Joh. Arculanus in Chirurgia illustris, & Petrus de Argillata, qui primus ex Recentioribus Spinæ ventosæ per Chirurgiam cœpit curationem. His accedunt Georgius Vella, Antonius Benivenius, VVendelinus Hoch, Panthaleon de Confluentia, Bavarius de Bavariis, Conradus Gilinus, Ludovicus Cornelius, qui de vitæ sobrietate elegantissime egit, & Joh. Matthæus de Gadibus ceu Gandavensis. Anno 1483. morbus, Sudor Anglicus dictus in exercitu Regis Henrici VII. primo incœpit, & anno 1492. luis Venereæ quædam vestigia apparuere, quæ tamen duobus post annis in obsidione Neapolis Gallicum exercitum infecit, & paulo post a Gabriele Torella satis accurate descripta fuit. Hunc sequuti sunt: Antonius Scanarolus, Sebastianus Aquitanus, Natael Montesaurus, & Nicolaus Leonicenus Ferrariæ professor, & Magnus Græcæ Medicinæ instaurator, qua in re viam expeditam sibi reddi percepit a doctissimi Viri Hermolai Barbari Patritii Veneti studiis, qui illa ætate Galenum, & Dioscoridem ab innumeris erroribus expurgavit, adhibitis ad hoc Manuscriptis Codicibus, quos a Constantinopolis expugnatione, multi de Græcis in Italiam fugientes, secum attulere. Exeunte vero hoc seculo, & sub initium sequentis duo Medici apprime illustres etiam enituere, quorum alter Casparus Torella fuit Cæsaris Borgiæ, & Papæ Alexandri VI. Medicus, a quo etiam Episcopus Sanctæ Justæ creatus fuit, alter longe doctior Thomas Linacrus Anglus, qui sub Laurentio de Medicis Florentiæ Demetrio Chalcondyla in Græcis, & Angelo Politiano in latinis litteris usus est, & in Patriam redux Collegium Medicorum Londini fundavit, ejusque primus Præses fuit.

XVI. Seculo Hippocratis, Galeni, aliorumque Medicorum scripta, hucusque fere postliminio habita, in manus studiosorum una cum Græcis litteris, & disciplinis incidere crebro visa sunt, unde Medicina majori diligentia, & elegantia colli cœpit; Sed cum scriptorum numerus ab hinc mirifice in posterum excrescat, ut omnem confusionem evitemus, alphabetico ordine eosdem deinceps recensere statuimus. Quare revocato ad hujus seculi initium exortu morbi, qui Scorbutus dicitur, major pars scriptorum qui de Medicina, Anatome, Pharmatia, & Chirurgia egere sequenti Elencho explicamus.

Akakia Martinus
Acquapendente Fabricius ab
Alexandrinus Julius
Almenar ceu Almeranus Johan.
Alpinus Prosper
Altomarus Donatus Antonius
Andreghetius Andreghetus
Andernacus Joh. Guntherus
Argenterius Johannes
Baccius Andreas
Ballonius ceu de Baillou Guliel.
Bartisch Georgius
Bayrus Petrus
Beli Lucianus
Bethancourt Jacobus de
Bodesten Adamus
Bonacciolus Ludovicus
Bonacossi Hercules
Botallus Leonhardus
Bottoni Albertinus
Brasavolus Andreas
Brati Johannes
Brissotus Petrus
Burres Laurentius
Cajus ceu Kaye Bernhardus
Calmet ceu Ciaumete ceu Calmetæus Antonius
Campegius Symphorianus
Campolongus Æmilius
Capivaccius Hieronymus
Capra Marcellus
Carcanus Joh. Baptista
Carpius Jacobus vel Carpensis Berengarius

Casatus Joseph
Casserius Julius
Caspius Georgius
Cataneus Jacobus
Charletonus Gualterus
Charretanus Johannes
Chesne Joseph du
Claudinus Jul. Cæsar
Columbus Realdus
Cornacchinus Thomas
Cornarius Janus
Costæus Johannes
Courcellius Franciscus
Crassus Julius Paulus
Curtius Matthæus
Dalecampius Jacobus
Dantzius Johannes
Donatus Marcellus
Driandrus Johannes
Duni Thaddæus
Duretus Ludovicus
Erastus Thomas
Eustachius Joh. Martinus
Fallopius Gabriel
Faventinus Leonellus
Fernelius Johannes
Ferrara M. Camillus
Ferreri Augenius
Ferrius Alphonsus
Flexelius
Fœsius Anutius
Fonseca Rodericus a
Fontanon Dionisius
Foresti Petrus
Fracastorius Hieronymus
Franciotti Georgius
Franco Petrus
Fricius Melchior
Fridevallis Hugo
Fuchsius Leonhardus
Fumanellus Antonius
Gallusus Paschalis
Gavassetius Michael
Gazius Antonius
Gemma Joh. Baptista
Gerstorff Johannes von
Gesnerus Conradus
Gordonus Bernhardus
Goræus Johannes
Grevinus Jacobus
Guinterus Johannes
Hasfurtus Johannes
Heri Tierri de
Herovius Bartholomæus
Hessus Lobanus.
Heurnius Johannes
Hollerius Jacobus
Hucherus Johannes
Jacchinus Leonhardus
Jacotius Desiderius
Ingrassias Joh. Philippus
Jordanus Thomas
Jossius Nicander
Kapfferus Matthæus
Lacuna Andreas
Lanfrancus
Laurentius Andreas
Libavius Andreas

Lusi-

Spachius Isdrael
Sporischius Johannes
Susembetus Lazarus
Susius Joh. Baptista
Sylvius Jacobus
Tagaultius Johannes
Taliacotius Caspar
Taurellus Nicolaus
Thriverus Hieremias
Toletus Petrus Jacobus
Tragus Hieronymus
Trincavellus Victor
Tronus Petrus Martyr
Turinus Andreas
Valleriola Franciscus
Valesius Franciscus
Vauguion
Vega Christophorus a
Vesalius Andreas
Vierius Johannes
Vigo Johannes de
Virgilius Marcellus
VVittichius Johannes
VVeckerus Joh. Jacobus
VVolfius Caspar
VVurtzius Felix

XVII. Seculo Litterarum studium adeo incaluit, ut in omni facultate longe plures Scriptores, quam singulis præteritis Seculis, in lucem prodierint; præsertim vero in Arte Medica, quorum nomina juxta nobis propositam Synopseos Methodum sunt: ut sequitur.

Abeille
Acosta Joseph de
Aggravi Joh. Franciscus
Agricola Johannes
Aicholtzius Johannes
Alaymus Marc. Antonius
Albinus Bernhardus
Albrectus Joh. Guntherus
Aldrovandus Ulisses
Allegri Hieronymus
Alliot Joh. Baptista
Almacherus Joh. Fridericus
Alpinus Prosper
Alsarius Vincentius
Amideus Matthæus
Ammanus Paulus
Andreæ Johannes
Andriollus Michael Angelus.
Angelini Facondius
Antonides Antonius
Aquapendente Hieronymus. Fabricius
Arancius Julius Cæsar
Arcæus Franciscus
Arniseus Henningius
Asellius Caspar

Au-

Augenius Horatius
Bachmeister { Mattheus / Johannes }
Baconus de Verulamio Franciscus
Baldilius Valerius
Baldinus Bernhardus
Baldonius Sigismundus
Baldutius
Banzer Martinus
Barbati Hieronymus
Barbette Paulus
Barlæus Caspar
Bartholdi Gregor. Theodorus
Bartholinus { Caspar / Thomas }
Bartoletus Fabricius
Bartschius Jacobus
Basapopi Gnesius
Battus Conradus
Baudeton
Bauhinus { Johannes / Caspar }
Bauschius Joh. Laurentius
Bayle Franciscus
Bazzicaluve Ascanius Maria
Becke David von
Beckerus Daniel
Becherus Jachimus
Bejerus Gottofridus
Bennet, ceu Benedictus Christophorus
Berengarius Jacobus
Bergerus Joh. Gottofridus
Beslerus { Hieronymus / Michael Rupertus }
Betera Felicianus
Beurerus Joh. Jacob
Beverovicius Johannes
Beyer Joh. Hartmannus
Beynon Elias
Bianchi Joh. Baptista
Bierlingius Caspar Theophilus
Bilichus Anton. Gunterus
Blancardus Stephanus
Blasius Gherardus
Blegnyus Nicolaus
Blondius Michael Angelus
Bocconi Paulus
Boe Sylvius Franciscus de le
Bohnius Johannes
Bokelmannus Andreas
Bologna Joh. Stephanus
Bonetus Theophilus
Bonham Thomas
Bonocore Thomas
Bontekoe Cornelius von
Bonvinius Elias
Borelli { Petrus / Joh. Alphonsus }
Borrichius Olaus

Boſelli Franciſcus
Bovius { Thomas / Hyacinthus
Brà Henricus a
Brachi Jacobus
Bravo Caſpar
Brendelius Zaccharias
Brenzelius Joh. Hieronymus
Brovune Joh. Thomas
Brumaldi Joh. Antonius
Brunn Joh. Jacobus a
Brunnerus Balthaſar
Brunonus Jacobus Pancratius
Buonacorſi Bartholomæus
Burgeois Aloiſia
Burgers Petrus
Burri Franciſcus Joſeph
Buſæus Johannes
Buſſolus Aurelius
Buttler Carolus
Cabibi Samuel
Cæſalpinus Andreas
Cæſius Bernhardus
Caimus Pompejus
Camerarius { Joachimus / Elias Rudolphus
Campanella Thomas
Canonarius Petrus Andreas
Cappella Joh. Antonius
Capelluti Rolandus
Capua Leonhardus a
Capponus Joh. Baptiſta
Caranza Alphonſus
Cardanus Hieronymus
Cartes Renatus des
Caſaleni Joh. Antonius
Caſe Johannes a
Caſtellanus { J. M. / Petrus
Caſtelli { Bartholomæus / Johannes / Petrus Vaſcus
Caſtro { Steph. Rodericus de / Petrus a
Cauſapè Anicetus
Charas Moiſes
Chamberlains
Chambre de la
Charriere Joſeph
Chreſnephorus Joh.
Chiarana Marianus
Chiffletius Joh. Jacobus
Chriſtiani Andreas
Chriſtini Bernardinus
Chunius Joh. Philippus
Clerc le
Cloos du
Clovves Guilelmus
Cluſius Carolus
Cneulinus Tobias
Cnutius Juſtus
Cobertus Tobias
Codronchius Baptiſta
Cognatus Manilius
Coiter Volcherus

Cole

Cole Gulielmus
Colbach Johannes
Colle Johannes à
Colerus Martinus
Colnerus Johannes
Cologninus Angelus
Conringius Hermannus
Contulus Joh. Baptista
Cooke Jacobus
Corbye A. de
Cornacchinus Marcus
Cortesius Joh. Baptista
Cortilionis Sebastianus
Cortummius Justus
Courtial Joh. Joseph
Courtin Germanus
Covvard Gulielmus
Craanen Theodorus
Cramer Caspar
Crastius Joh. Jacobus
Crato Johannes
Crausius Rudol. Gulielmus
Cregatus Joh. Daniel
Crelius Ludov. Christianus
Cremoninius Cæsar
Crolius Osvvaldus
Cruce Andreas a
Crusius David
Culmannus Johannes
Cuno Joh. Clemens
Cyprianus Abrahamus
Dale Antonius von
Daggelerus Tobias
Davisonus Gulielmus
Dekkers Fridericus
Dellera Matthias
Deodatus Claudius
Deusingius Antonius
Deventer Henricus
Diemerbroeck Isbrandus von
Dieterichius Joh. Conradus
Dietericus, vel Didricus Helvvig
Digbæus
Dionis Petrus
Dodonæus Rembertus
Dœbelius Joh. Jacobus
Dœringius Michael
Dolæus Johannes
Doldius Leonhardus
Donkers Laurentius
Donnoli Francisc. Alphonsus
Dornavius Caspar
Dorncreilius Tobias
Drelincurtius Carolus
Droke Jacobus
Dryander Johannes
Duretus Ludovicus
Dygby Kenelm
Eggerdesius Alardus Mauritius
Eichstadius Laurentius
Ellan Nicolaus
Elsholz Joh. Sigismũdus
Entius Georgius
Esthius Lubertus
Ettmullerus Michael
Eustachius Bartholomæus

Eyſelius Joh. Philippus
Eyſenbarthus Joh. Michael
Faber Hieronymus
Fabra Aloyſius
Fabri Petrus Johannes
Fabricius Jacobus
Fabricius Hildanus Gulielmus
Falcinellus Bernardinus
Falcon Johannes
Fanoiſius Guido
Faſchius Auguſt. Henricus
Fehrius Joh. Michael
Felde Johannes
Feltman Gerhardus
Ferrandus Johannes
Ferrara Gabriel
Feyneus Franciſcus
Fidelis Fortunatus
Fienus Thomas
Filgi Gulielm. Ludovicus
Finckius Thomas
Fioravanti Leonhardus
Flemming Paulus
Flud de Fluctibus Robertus
Foglia Joh. Antonius
Fonſeca { Gabriel de / Rodericus a }
Font Carolus
Fontanus { Jacobus / Nicolaus / Gabriel }
Formyus Samuel
Fortis Raymundus Joh.
Fracus Johannes
Fragoſo Johannes
Frambeſarius Nicol. Abrahamus
Framboiſiere
Franchimont Nicolaus a Franckenfeldt
Franciſcus de Franciſcis Johannes
Franckenius Johannes
Francus { Johannes / Georgius }
Fraundorffer Philippus
Freherus Paulus
Freitagius Johannes Henricus
Frey Janus Cæcilius
Friderici Arnoldus
Frigius Petrus Franciſcus
Frommanus Joh. Chriſtianus
Fuiren { Georgius / Henricus }
Funckius Johannes
Frũdeck Joh. Ludovicus
Gabelcoverus VVolfangus
Gabelchoferus Oſvvaldus
Gailhardus Johannes
Gakenholzius Alex. Chriſtianus
Galaratus Joſeph
Galedo Johannes
Galvanus Dominicus

Gar-

Garnerius Georgius
Gaſſarus Achilles Pirm.
Gaſto Flaminius
Gaukes Yvo
Gehema Janus Abrahamus a
Geigerus Malachias
Geilfuſius Bernard. Guilelmus
Geislerus Laurentius
Gelmannus Georgius
Gendre Antonius le
Gendron Deshaies
Genga Bernhardus
Georgius Matthæus
Gerbezius Marcus
Geyerus Joh. Daniel
Gladbachius Joh. Bernhardus
Glandorpius Matthias
Glaſerus Joh. Henricus
Gliſſonius Franciſcus
Gnoffelius Andreas
Goclenius Rudolphus
Goekelius { Eberardus, Jo. Chriſtophorus }
Gœlicke Andr. Ottomar.
Gourmelin Stephanus
Graaf Regnerus de
Grammius Cæſo
Greiffens Sebaſtianus
Grembs Franciſcus Oſvvaldus
Greſſer Joſeph
Griffonius Angelus
Grimberg Nicolaus
Grimm Hermannus Nicolaus
Groenevelt Johannes
Groſſeus ceu Chortoloſſæus Johannes
Grube Hermannus
Grublmann Joh. Gottfridus
Grulingius Philippus
Guarinonius Chriſtophorus
Guibertus Philippus
Guillemeau Carolus
Guldenklee Balthaſſar Timæus a
Gutierez Joh. Lazarus
Guyard
Hafenrefferus Samuel
Hammen Ludovicus von
Hannemannus Joh. Ludovicus
Harderus Joh. Jacobus
Harris Gualterus
Hartmannus Johannes
Harvæus Gulielmus
Havenreuter Joh. Ludovicus
Havers Cloptonus
Hauptmannus Auguſtus
Hechſtetter Philippus
Heinzius Johannes
Helmont Jo. Bapt. von
Helvetius
Helvvig Johannes
Henninger Joh. Sigiſmundus

Heredia Petrus Michael de
Herlicius David
Herls Cornelius
Heſſus { Matthæus / Johannes }
Hildebrandus Andreas
Hildanus Fabricius
Hiskia Johannes
Hobokenus Nicolaus
Hoecheſterus Philippus
Hoeferus VVolfangus
Hoffmannus { Mauritius / Laurentius / Caſpar / Joh. Jacobus / Fridericus }
Holder Julius
Holtzapffel Martinus
Hombergius Andreas
Homburgen Anna Eliſabetha
Horlacherus Conradus
Horne Johannes von
Hornſchuchius Hieronymus
Hornungus Johannes
Horſtius { Gregorius / Joh. Daniel }
Hortenſius Martinus
Huberus Rudolphus
Hueta Hieronymus de
Hutter Andreas

Huxholtzius VVolrad.
Jebringius Johannes
Jens Petrus
Jeſſenius a Jeſſen Johannes
Imperialis { Franciſcus / Joh. Baptiſta }
Ingolſtetterus Johannes
Joel Franciſcus
Joepſerius Jacob. Joſeph
Jond Philibertus
Jonge James
Jonſtonus Johannes
Joubertus Laurentius
Jungken Joh. Helfricius
Jungermann Ludovicus
Kanoldus Johannes
Keldermann Cornelius
Kellnerus David
Kentia Comitiſſa ceu von Kent
Keplerus Ludovicus
Kern Johannes Fridericus
Kerkringius Theodorus
Kergerius Martinus
Khunrath Henricus
Kirchmaier Johannes
Kirſtenius { Petrus / Joh. Georgius }
Knaut Chriſtophorus
Kneuſelius Chriſt. Fridericus
Knoblochius Johannes
Koenerding Adrianus

Kru-

Krugius Theodor. Christophorus
Hozack { Joh. Sophronius / Christophorus }
Languedelius Bernhardus
Lange { Johannes / Christianus }
Lanzonus Joseph
Lanzvverde Joh. Baptista
Lavaterus { Henricus / Joh. Rudolphus }
Laugier Joh. Franciscus
Launay Carolus Dionisius
Laurembergius { Petrus / Gulielmus }
Lauterbachius Joseph
Leauson
Lechelius Johannes
Leeuvvenhoeckius Antonius von
Lemnius Levinus
Licetus Fortunius
Liddelius Duncanus
Lilius Franciscus
Lequin
Linden Joh. Antonides von der
Linschoten Joh. Hugo a
Lister Martinus
Lobelius Matthias
Loselius Johannes
Losen Laurentius
Loth Georgius
Lothichius Joh. Petrus
Lovverus Richardus
Lovvthorpius Johannes
Lucius Cyriacus
Lusitanus Zacutus
Lyser Michael
Macasius Joh. Georgius
Magati Joh. Baptista
Magister Rudolphus
Megnenus Joh. Christophorus
Magni Petrus Paulus
Majoris Joh. Daniel
Malphi Tiberius
Malpighius Marcellus
Mandelsloh Joh. Albertus a
Mappus Marcus
Marchetti Petrus de
Marggravius Georgius
Marioti Carolus
Marius sive Meierus Georgius
Maroja Cyprianus de
Maroldi Ortolphus
Marquardus Johannes
Marque Jacobus de
Marten Johannes
Martinus Henricus
Martinius Valerius
Martius Johannes
Masiero Philippus
Masini Johannes Antonius

Met-

Mettenburgius Johann.
Maubeus
MaurerusChriſtophorus
Mauriceau Franciſcus
Mayerne Theodorus
Mayovv Johannes
Meber Joh. Cornelius
Meckren Job
Meibomius { Henricus / Daniel / Henricus / Joh. Henricus
Meichſnerus Eſajas
Meiſſonierius Lazarus
Menjocius Antonius
Menzelius Philippus
Mercatus Ludovicus
Mercier Petrus le
MercklinusGeorg. Abraham
Mercurius Scipio
Mercurialis Hieronymus
Mermannus Thomas
Mery Johannes
Metius Adrianus
Mezgerus Ge. Balthaſar
Michael Joannes
Michaelſpacherus Stephanus
Milius Joh. Daniel
Millus Julius
Mindererus Raymundus
Mitri Paulus
Moccius Jacobus
Meara { Dermutius / Edmundus } de
Moebius Gottofridus
Moellenbrocius Valerius Andreas
Mollerus Jacobus
Moenichen Henricus a
Molinetti Antonius
Molerus Johannes
Monavius Fridericus
Monnier L.
Montalbanus Ovidius
Montaltus Philothæus
Montanus Johannes
Montecalvus Vincentius
Moor Bartholomæus
Moreau Renatus
Morellus { Johannes / Petrus
Morinus Joh. Baptiſta
Moriſon Robertus
Morley Carol. Ludovicus
Mortius Jacobus
Moxius Joh. Raphael
Moyle Jonn.
Mullerus { Philippus / Nicolaus / Theophilus / Gulielmus / Henricus
Mundinius Mundinus
Mundus ceu Mundy Henricus
Munnincks Johannes
Munſterus Johannes
Muraltus Johannes

Mu-

Musggrave
Mustanus Carolus
Muys Johannes
Mye Fridericus von der
Mylus Joh. Daniel
Narvaticus Matthias
Neretius Neretus
Neucranzius Paulus
Nicoli Nicolas
Nicotius Jacobus
Nierembergius Joh. Eusebius
Noslerus Géorgius
Novarinus Antonius
Nymannus Gregorius
Occhi Hieronymus
Occo Adolphus
Oethæus Jacobus
Olearius Adam
Ortlobius Jod. Fridericus
Overkampius Heideareich
Pacius Fabius
Palma Georgius
Pancovius Thomas
Pandolphinus Joseph
Pansa Martinus
Papinius Nicolaus
Parma Hippolitus
Patin { Guidus, Carolus }
Pauli Simeon
Pavv Petrus
Peccetius Franciscus
Pechlinus Jo. Nicolaus
Pecquetus Johannes
Pellicia Paulus
Pelshoferus Joh. Georgius
Perdulcis Bartholamæus
Peredæ Petrus Paulus
Perizonius Christianus
Perla Franciscus
Petermannus Andreas
Petit Petrus
Petrejus Simon
Petræus Henricus
Peu
Peucerus Caspar
Pfisterus Alexander
Pfizer Jo. Nicolaus
Pictorinus Georgius
Piens Franciscus
Pietragrossa Bartholomæus
Pietreus Nicolas
Pigræus Petrus
Pincier Johannes
Pintus Callinus
Pipernus Petrus
Pira Hieronymus de
Platerus { Fœlix, Thomas, Andreas }
Plempius Vopiscus Fortunatus
Plazzonus Franciscus
Ponce Antonius
Portal Paulus
Portius { Joah. David, Lucas Antonius }
Posthius Johannes
Potterius Petrus

Præ-

Schef-

Schefferus
Carolus
Sebastianus
Schelhammerus Guntherus
Sckenkius Johannes
Pater
Filius
Scherbius Philippus
Scheurl Christoph. Theophilus
Schiffman Joseph
Schilling.
Sigismūdus
Andreas
Schirlæus Thomas
Schiz us Melchior
Schmidt
Johannes
Joseph
Schneiderus Conrad. Victor
Schnitzerus Sigismundus
Schneidermannus Joh.
Scholtzius Laurentius
Schoockius Martinus
Schorerus Christophorus
Schoute VValtherus
Schrarie Fridericus
Schretæ Henricus
Schrœderus Johannes
Schutzens Tobias
Schvvartzens Joh. Caspar
Schvvenkfeld Caspar
Scultetus Johannes
Sebitius Melchior
Sendivogius Michael
Segerus Georgius
Seidelius Jacobus
Sennertus Daniel
Serrier Theophilus
Severinus
Marc. Aurelius
Petrus
Sigemundia Justina
Siglizius Johannes
Silvaticus Benedictus
Sinibaldus Joh. Benedictus
Slevogtius Joh. Hadrianus
Smetius Henricus
Solingen Cornelius
Sommers Joh. Georgius
Sorbait Paulus de
Sparr Joh. Caspar
Spead Johannes
Spehrerius Petrus
Sperlingius
Paulus Gotfridus
Johannes
Spigellius Adrianus
Sponius Jacobus
Stanerus Johannes
Stalpartius Cornelius
Steeghus Gottofridus
Steinius Gottofridus
Sterre D. L.
Sthenonius Nicolaus
Stiglerus Samuel
Stiffer Joh. Andreas
Stockmannus Johannes
Strausius Laurentius
Stupanus
Joh. Nicolaus
Emanuel
Stylle Petrus von der

Sue-

Suevus Bernardus
Sulzberger Sigism. Rupertus
Suterus Jacobus
Svvalva Bernardus
Svvamerdamius Johannes
Tachenius Otto
Tanckius Joachimus
Tandlerus Tobias
Tanstetterus Georg. Collimitius
Tappius Jacobus
Taranta Valescus de
Taffins Leonhardus
Tencke H.
Terentius Johannes
Terenzonus Joh. Antonius
Testi Ludovicus
Thevenin Franciscus
Thevenot Michael Melchisadeck
Thile Johannes
Thrustonus Malachias
Tibaut Petrus
Tidicæus Franciscus
Tilesius Bernardus
Tilingius Johannes
Tilingius Matthias
Timæus Balthassar
Tinctorius Christophorus
Tirelli Mauritius
Titelmann Johannes
Tolet Franciscus
Tonerus vel Tovvnerus Augustinus
Tozzi Lucas
Torius Raphael
Traffelman Joh: Frid.
Tulpius Nicolaus
Turquetus Theodorus
Turnerus
Valsalva Antonius Maria
Varus Antonius
Velthusius Lambertus
Verandæus Johannes
Verbesius David
Verduinus Petrus Adrianus
Vernerus Abraham
Verpoortenus Joh. Gulielmus
Verzascha Bernardus
Veslingius Johannes
Vestus Justus
Vettori Benedictus
Uffenbachius Petrus
Ulmus Franciscus
Viardel Cosimus
Vieussens Raymundus
Vidi Vidius
Vigierius Johannes
Viscerus Johannes
Vimpineus Joh. Albertus
Viviani Vivianus
Untzer Matthias
Vœlters Christophorus
Voglerus Valentinus Henricus
Volckammerus Johan. Georgius

Vol-

Volgnadus Henricus
Voorde Cornelius von der
Vorſtius { Ælias Everhardus
Adolphus }
Vroling Abraham. Len.
VVagnerus { Rudol. Chriſtianus
Joh. Gerhardus }
VVahrmund
VVartonus Thomas
VValdſchmiedt Joh. Jacobus
VVeckerus Joh. Jacob
VVedelius Ge. VVolffgangus
VVeicardus Arnoldus
VVeidnerus Johannes
VVelſchius { Gottofridus
Georg. Hieronymus }
VVeſtphals El.
VVeypert Joh. Franciſcus
VVhitackerus Tobias
VViel Stalpartius von der
VVilliſius Thomas
VVirdig Sebaſtianus
VViſemannus Richardus
VVolfius Johannes
VVormius Olaus
Zacchias Paulus
Zacutus Luſitanus
Zapata Joh. Baptiſta
Zarotti Cæſar
Zavona Maximil.
Zecchius Johannes
Zeidlerus Johannes
Zeiſius Matthæus
Zellerus Johannes
Zittmannus Joh. Fridericus
Zobelius
Zvvingerus Jacobus
Zvvolfferus Johannes
Zypæus Franciſcus

XVIII. Seculo, cujus hoc anno 1762. jam prætergreſſi ſumus medietatem, quæ ad Medicinam ſpectant Scientifica methodo pertractari orſa ſunt, quia novæ Scientiæ, a Carteſio magni ingenii Viro vehementer promotæ, quæ Algebra dicitur, præſidio ; cum Mechanica nova additamenta , majoremque perſpicuitatem, & nitorem ſuſcepiſſet, hominibus datum eſt, ut per ſingulas Phyſices partes ſpeditius altiuſque penetrare poſſent. Hac vero prælucente face, quæque jam eximius Alphonſus Borellus mox præterito ſeculo feliciter

auſus

ausus erat suppetias ferente haud difficile, fuit ut quid scitu, & quæsitu dignius esset in humani corporis compage, ejusque partium muneribus ad valetudinem servandam, vel hac nutante ad morbos gignendos perspiceretur. Quare ab initio usque in Anglia Pitcarnius, Freindius, & Keillius, in Italia Bellinus, & Baglivus, apud Helvetios Bernoullii fratres, quorum meditationibus plurimum usus est Michelottus, & in Belgio celebratissimus Boerhaavius œconomiæ animalis causas, & rationes, morborum Theorias, remediorumque actiones, ut ad simpliciora capita redigerent, & ad solidum judicium, geometrarum more demonstrationibus exornatis, exigerent, totis viribus annixi sunt, feliciterque etiam rem ad majorem in dies suscipiendam perfectionem idoneam reddidere. Huic sane Theoriæ Medicæ in Scientiam adstructioni non parum opitulata est Anatomes, quæ hoc ipso seculo mirum in modum exculta jam omne, cujus capax est, perfectionis culmen tetigisse videtur, & in qua nisi parvi momenti aliqua adhuc desiderari possunt. Morborum causis per Anatomicas, mechanicasq; rationes explicatis, remediorumque actione per chimica physicaque experimenta perspectis, etiam Praxis modum exinde recepit, quæ rationalis methodi beneficiis decorata cognovit, quæ diligenter observari, quæve perfunctorie tantum, & quæ demum tuto negligi mœrerentur. Eidem innotuit etiam nil omnino proficere, quod præteritis temporibus ex Artis quasi præcepto usuveniebat, observationes indiscriminatim congerere, monitus, cautionesque consarcinare, quæ natura sua conjuncta sunt, & nisi unum idemque significant, importuna diligentia distinguere, vel contra unum reputare, quod reapse multiplex est, & utiliter semper distinctum percipitur, & doce-

docetur. Hujusmodi errores, qui per exercitium Medicinæ nisi crebro nimis comittendi se se offerunt: a sana Theoria perbelle expunguntur, quod præ omnibus incomparabilis Boerhaavius, ejusque solertissimus, doctissimusq; discipulus, & Commentator D. Van schvvietten S. R. J. M. Archiater, & Consiliarius apertissime evincunt. His delibatis quoad Medicinæ progressus in hoc seculo, tempus est, ut Elenctum plerorumque Scriptorum huc spectantium juxta nobis constitutam methodum subjiciamus.

Adolphus Christ. Michael
Aird Jacobus
Alberizzi Petrus Joseph
Alberti Michael
Alghisius Thomas
Allen Johannes
Alrutz Joh. VV.
Amand Petrus
Amiand Claudius
Andry Nicolaus
Anel Dominicus
Armstrong Joh.
Astruc Johannes
Atvvel Joseph
Bacchettoni Hieronim. Leopoldus
Baget Johannes
Baglivus Georgius
Bajerus Joh. Jacobus
Balderston G.
Balgny Carolus
Banier Henricus
Barbette Gregorius
Barbeyrac
Barchusen Joh. Conradus
Barnerus Jacobus
Baroy Hyacinthus Theodorus
Barrere
Barry Odoardus
Bassius Henricus
Baumlers Gottofridus Samuel
Bautzmannus Jo. Cristophorus
Bayle Franciscus
Bazzicalue Ascanius Maria
Beck Andreas
Beckerus { Joh. Conradus; Joh. Joachimus; Joh. Frideric. }
Belchier Joannes
Benetti Jo. Dominicus

Cal-

Calmette Franciſcus
Camerarius Rudolph. Jacobus
Cantarini Angelus
Carl P. S.
Carli Joh. Hieronymus
Carlius Joh. Samuel
Cartheuſer Joh. Fridericus
Caſtro Jacobus à
Cat Nicolas le
Cattanius Nicol. Antonius
Ceſtoni Hiacynthus
Chabert
Chapmans Edmundus
Charras Moyſes
Chavalier Jo. Damianus
Cherardi Robertus
Cheſeldenus Gulielmus
Cheſneau Nicolaus
Chiarana Marianus
Chicoyneau Franciſcus
Chirac Petrus
Chomel Joh. Bapt. Ludovicus
Cirillus Nicolas
Clacius Georgius
Clauderus Chriſt. Erneſtus
Clericus Daniel
Cocchi Antonius
Cockburnus Gulielmus
Cohauſen Joſeph Henricus
Color Franciſcus
Comincioli Jacobus
Commelinus Caſpar
Contulus Joh. Baptiſta
Cornacchinus Petrus
Corte Bartholomæus
Coſchvvitz Georg: Daniel
Couper
Crannen Theodorus
Cranz Henricus Nepomucænus
Crelius Fridericus
Creſcentius Nicolaus
Cron Ludovicus a
Dale Thomas
Davies Evan
Deguerus Jo. Hartmanus
Deidier Antonius
Delius
Democritus Chriſtianus
Denys Jacobus
Depre Joh. Fridericus
Derham { Gulielmus / Thomas }
Deſault
Dethardingius Georgius
Deventer Henricus
Dibon
Dillenius Jacobus
Dionis Petrus
Dodart
Dodd Petrus
Dolæus Johannes
Douglaſs { Jacobus / Johannes }
Dran Henric. Franciſcus le
Drelincurtius Carolus

Drummond Johannes
Dube
Dubon Claudius
Dumoulin
Dundas Johannes
Eames Johannes
Eckbardus
Eems Jacobus van
Eggerdesius Alard. Mauritius
Ellerus Joh. Theodorus
Erndelius C. H.
Erfeldt Joh. Franciscus
Eschenbach Christ. Fridericus
Ettmullerus Michael
Eucherius Camillus
Fabricius Joh. Albertus
Falconeti Camillus
Fantoni Joh. Baptista
Fauchard Petrus
Faudacq C. F.
Favelet Joh. Franciscus
Faye
Febrius Joh. Henricus
Felici Antonius
Fenent
Ferrem
Fickius Joh. Jacobus
Fischer Johannes
Fizes Antonius
Foster VV.
Fracassari
Fracassini Antonius
Franckenav Geor. Francus de
Freind Joannes
Friedius Joh. Jacob
Frings P.
Fritschius Joh. Christophorus
Frobenius Sigism. Augustus
Fromond Andreas
Frichsens Johannes
Furstenau Joh. Hermannus a
Gandini Carolus
Garengeot Jacob. Croissant
Genga Bernardinus
Genorini Michael
Geofroys Stephanus
Geraudl
Gherli Fulvius
Ghisi Martinus
Gianella Carolus
Gibbs
Gibson Joseph
Giffard's Gulielmus
Gilcrist Ebenezer
Gismondi di Gubbio Jo. Baptista
Gladbachius { Cornelius; Carol. Fridericus; Joh. Adolphus }
Gœlike Andreas Ottomanus
Gohlius Joh. Daniel
Goolden Samuel
Gorter { Johannes; David }

Gottlieb Johannes
Govey Aloysius Leger de
Gouland
Gourraigne Hugo
Grambs Joh. Jacobus
Graniti Nicolaus
Grashuis Johannes
Gratiani Johannes
Guisard Petrus
Gulielmini Dominicus
Guntz Justus Gottofridus
Gurischius Martinus
Gurvaigne Ugo
Haenelius Christ. Fridericus
Haen Antonius von
Haguenot Henricus
Hahn Johann. Gottofridus.
Hales Stephanus
Haller Albertus
Halin Joh. Gottofridus
Hamberger Georg. Erhardus
Hamel du
Hampe Joh. Henricus
Hancke Dan. Abraham
Hanckewitz Ambrosius Gottefridus
Harris Gualterus
Hartlei David
Hartranfftus Joh. Valentinus
Hasenohrl Joh. Georgius
Hebenstreitius Joh. Ernestus
Hecquet Johann. Dom.
Heisterus Laurentius
Helvetius Joh. Claudius Adrianus
Hensingius Joh. Thomas
Hermannus Paulus
Herningerus Joh. Sigismundus
Hesselius Johannes
Heucherus Joh. Henricus
Hilscherus Simon Paulus
Hoffmannus Daniel
Hoffmannus Frideric.
Homberg
Hoppius Elias
Horn Johannes von
Hovius Jacobus
Houston Robertus
Hubner Joh. Christ.
Humelius Johannes
Hunauld
Jackson Joseph
James
Jamjeson Johannes
Jantkius Joh. Jacobus
Imbert
Innes Johannes
Interlenghi Flaminius
Junckens Joh. Helfritius
Junckerus Johannes
Junius Hadrianus
Jurinus Jacobus
Jussieu

Kaltſchmid Carolus Fridericus
Keckius Egidius Craton
Keils Chriſt. Henricus
Keill Jacobus
Kennedy { Johannes
Petrus }
Keſslerus Carolus Gottlieb
Keſtner Chriſt. VVilhelmus
Klaunigius Gottofridus
Kleinius { Jacobus
Ludov. Gottofridus }
Knirs Lud. VVilhelmus de
Koch Daniel
Konig Emanuel
Kramers Geor. Henricus
Krautermann Valentinus
Kruger { Bertholdus
Joh. Gottlieb }
Kuchlerus Joh. Caſpar
Kulmus Joh. Adam
Kupferſchmidt Johannes
Lacerme Jacobus
Laing David
Lambrech Amos
Lamorier
Lanciſius Joh. Maria
Langhanſi Bernenſir Daniel
Langguth Georg. Auguſtus
Lanzani Nicolaus
Lanzoni Joſeph
Lapus { Petrus Paulus
Joh. Hieronymus }
Lavagnoli Bartholamæus
Lazerme Jacobus
Leale Leal
Leibnitzius Guliel. Gotfofr.
Leinckerus Joh. Sigiſmundus
Lemeryus { Nicolaus
& ejus fil. }
Lentilius Roſinus
Leopold Emanuel
Leporinus Chriſt. Polycarpus
Levret
Levvis VV.
Lichtmann Joh. Michael
Lindeſtolpe Johannes
Linnæus Carolus
Linſingh Petrus
Liſter Martinus
Littre
Lizzari Antonius
Lobb Theophilus
Locherus Emanuel Chriſtianus
Lœſcherus Martin. Gottlieb
Lœvv Joh. Franciſcus
Lommius Jodocus
Lovver Richardus
Lovvis Robertus

Lu-

Mullerus { Joh. Matthæus / Gottofrid. gulielmus
Munnicks Johannes
Muratori Ludovic. Antonius
Musitanus Carolus
Mustigerus Joh. Caspar
Muys VVyerus (Gulielmus
Nanoni Angelus
Nebelius Daniel
Nenter Georg. Philippus
Neruccius Octavius
Nicols Franciscus
Nicolai Henricus Albertus
Nidell Jacobus
Nievventit Bernhardus
Nigrisolius Franciscus Maria
Nouguez Joseph
Nolet Joseph
Norren Erh.
Oeder Christianus
Oehme Joh. Augustus
Ortefchi Petrus
Pacchioni Antonius
Pafin Johannes
Paisley Johannes
Paitonus Joh. Baptista
Palfin Johannes
Parrot VVolfang.Georgius
Parson Johannes
Pascoli Alexander
Pasta Andreas
Paton Petrus
Patrick Murray
Patuna Nicolaus
Pauli Petrus
Pelissier Gulielmus
Pemberton Henricus
Petermannus Andreas
Petit
Petrioli Gajetanus
Pezoldus Caspar
Pisani Angelus
Pisoni { Homobonus / Carolus
Pisteris Christ. Fridericus
Pitcarnius Archibaldus
Placentinus Jacobus
Platner Joh. Zaccharia
Plummer Andreas
Pohlius Joh. Christianus
Porta Alundius Aloysius
Porter Robertus
Porterfield Gulielmus
Portius Lucas Antonius
Pott Joh. Henricus
Poupart
Pozzi Joseph
Preusius Maximilianus
Pringle { Johannes / Franciscus
Proebisch
Pujati Joseph. Antonius
Pye Georgius

Qua-

Short Thomas
Sidobre Antonius
Siegfried Bernhardus
Sigiſmundus Johannes
Signorotti Franciſcus
Siguart Georgius Fridericus
Silva Joh. Baptiſta
Simſon Thomas
Sinclair Andreas
Sipton Johannes
Sloane Hans ceu Johannes
Solanus Franciſcus
Sprengellius Conradus
Sproegelius Deterich
Stahlius Georg. Erneſtus
Stedman Johannes
Stenzelius Chriſt. Gottefridus
Stephens Mademoiſelle
Stoer Gerch.
Storchius Johannes alias Pelaſgus
Storck Antonius
Stochius Henric. Sigiſmundus
Stuart
  Petrus
  Alexander
Svvieten Gerardus van
Sydenham Thomas
Tabarranus Petrus
Taboris Gerardus
Tavury
Taylor Johannes
TeichmeyerusHerman. Fridericus
Tellier le
Thievillier Joh. Ludovicus
Timme Johannes
Tiſſot S. A. D.
Thomſon Al.
Totti Franciſcus
Tortora Ludovicus
Tournefort Joſeph Pitton
Toſi Simeon
Tralles Balthaſſar Ludovicus
Trevv Chriſt. Jacobus
Trillerus Daniel VVilhelmus
Tronchinus
Turner Daniel
Valcarenghi Paulus
Valentini
  Michael Bernhard.
  Chriſtophorus Bernhardus
Valliſnerius Antonius
Vandelli Dominicus
Vaterus Adrianus
Veinhart Ferdinand. Carolus
Verbrugs Johannes
Vercellonus Jacobus
Verdier
Verdries Joh. Melchior
Verduc Joh. Baptiſta
Verheyenus Philippus

Ver-

Verna Joh. Baptiſta
Verney Joſeph Guicciardus du
Veſpa Joſeph
Viardel Coſimus
Vilars Elias-Col-de
Vignon
Vincenti Dominicus
Voetius Joh. Euſebius
Vogel Zaccharias
Voglius Joh. Hyacinthus
Vulpini Joh. Baptiſta
Uxam
VVabſt Chriſtian. Xaverius
VVagnerus Georgius
VVagret
VVahrendoffers Joh. Petrus
VValdſchmidt Joh. Jacobus
VValtherus { Conrad. Ludovicus, Henricus, Auguſtus Fridericus }
VVaugh Gilbertus
VVebers Joh. Jacobus
VVedelius { Georgius VVolfang., Joh. VVolfangus, Joh. Adolphus }
VVeisbachius
VVepferus Joh. Jacobus
VVerenſeldius Conradus
VVerlhof Paulus Gottlieb
VVeſthoven Herm.
VVernerus Engelbertus de
VVhite
VVidemannia Barbara Obſtetrix
VVidemann Franciſcus
VViliſon Andreas
VVillan R.
VVillis Thomas
VViſemann Richardus
VVinslovs Jacobus Benignus
VVitte Jacobus
VVoodvvard Johannes
VVolhauſe
VVoolhouſe Thomas
VVolphangus Chriſtianus
Volpinus Joſeph
VVoyts Joh. Jacobus
VVreden { Otto Juſtin., I. E. }
Yves Carolus de Saint
Zanotti Jacobus Maria
Zendrini Bernardinus
Zuingerus Joh. Rudolphus
Zulatti Angelus
Zvvingerus Theodorus

Poſt

Post hanc recentionem si ex librorum copia judicandum esset, cum nulla fere Scientia tot Scriptores per omnia Secula Medicina retulerit, censere deberemus hanc Artem perfectionis culmen jam attigisse, ast peritiores merito arbitrantur ab infantia vix egressam esse, plurimaque ad ejus perfectionem, & ad omnem curarum securitatem desiderari. Etenim, quæ ab antiquis usque temporibus utilia magis ac tuta addita sunt, tanta quidem non videntur, ut ad prænotiones, prædictionesque dirigendas satisfaciant, sed simul eadem neque tam exilia, aut inania nanciscimur, ut eorum, qui erroneam, futilemque Artem prædicant, possimus assentiri judicio. Quamvis nonnulla per Scriptores occurrant, quæ magni habenda sunt, & Praxeos fundamenta reputari possunt, quod specimen exhibent eorum, quæ ad curationes sunt magis necessaria; reliqua tamen, quibus magna librorum moles exsurgit, nihil nisi inania verba, aut quæ semel iterum iterumque dicta, & ad ravim usque rescripta sunt, confarcinant, & rescribunt. Cui sane incommodo alterum magnitudinem, & copiam librorum augens accedit, quo sane præterita secula maxime gloriabantur, videlicet, perpetua commentariorum in Antiquos Scriptores, præsertim qui medicinæ Parentes reputantur, confectio, cujus utique eruditionis generis tanta est Librorum farrago, ut omnem prepomodum fidem superet. Neque reticenda est immensa quasi librorum quantitas, quæ ab una in alteram linguam veluti a Græca in Arabam, & Latinam, vel ab Araba, & Syriaca in Latinam, a Latina in Anglicam, Gallicam, Germanicam, & Italicam atque vicissim, ex una in alteram conversione successive producta fuit. Quæ cum ita sint, expulsis commentariis, & versioni-

sionibus desideramus, ut Arte Critica, quemadmodum in ceteras disciplinas; ita in Medicinam, tandem invecta Scriptores a vitiosis repetitionibus, a plagiis, a falsis observationibus, a futilibus Theoriis, a temerariis hypothesibus, a paralogysmis, ab erroribus, omnibusque aliis irritis, gloriosis, vanis, ampulosisque descriptionibus expungantur, & emendentur. Quo criterio non tantum Scriptorum peritiam, vel fortunam in Praxi, ut dudum feliciter D. Bodley Anglus perfecit, sed eorum Scripta, & Opera a capite ad calcem successive, per omnes sententias, indeque deducta corollaria, in quibus præsertim medicinæ labes sita est, expendere juvabit. Nam quamvis morborum casus exarentur, observationesque instituantur, dicaturque quid in ægris repertum, quidque notatu dignum offensum est, quia ex falsis præconceptis opinionibus pleraque interpretantur, descriptiones veritati minime consentiunt, & corollaria inde deducta, utpote præconceptarum opinionum infirmitate notata, fallacia sunt, & in errorem inducunt.

Quantum ad Theoricam: hoc quidem certum est, Praxim ejus subsidio nunquam defuisse, & antiquissimos usque Scriptores aliquam admisisse, quæ ad ægrorum lectulos specie quadam rationabilitatis, quasi prælucente face, manuduceret. Principio nisi in quibusdam veluti prudentiæ regulis consistebat, inde quædam ornamenta suscipiens admodum angustis limitibus contrahebatur, quos ubi prætergressa est, tam late se se explicavit, ut majorem partem occupaverit Librorum, quos Medici a Galeno ad nostra usque tempora confecere; siquidem per observationes, & experimenta in curandis morbis capta, Theoretica quædam naturali rationis lumine primo commenta sunt, unde generale illud fun-

da-

damentum ſtatutum eſt, cujus in libro de flatibus meminit Hippocrates, & quo Medicinam definivit, quod ſit ablatio eorum, quæ excedunt, & appoſitio eorum, quæ deficiunt, addendo: qui autem iſtud optime facere poteſt, illum optimum Medicum cenſendum, quantumque quis ab hoc præſtando deficit, tantum deficere quoque ab ipſa Arte. En quam facilis hujuſmodi Theoria, ſimulque quam utilis, & vera! Subſequenti vero ætate valetudinis phænomenis diligentius perpenſis viſum fuit, æque generale principium aliud Theoreticum poſſe admitti ex ſtricto, & laxo deſumptum, maxime quod ex corporibus, quæ pharmacorum titulo uſurpari poterant, perſpiciebatur eadem vivi animalis partibus applicata: modo corroborare, & contrahere; modo contra laceſcere, & infirmare. Atque hinc ortam intelligimus Methodicorum Sectam, quorum potiora doctrinæ capita funditus a Cœlio Aureliano, & bona parte quadam a Celſo referuntur. Sed cum ſubſidia hæc nimis arcta ratiocinio viſa ſint Galeno, totis ingenii nervis annixus eſt, ut latiora ab Ariſtotelis Philoſophia depromeret, atque adeo quatuor elementorum qualitates, ſimiliaque temperamenta primus in Medicæ Theoriæ fundamentum accerſivit, quæ deinde ab Aetio, Oribaſio, Paulo, & a præcipuis Italiæ Medicis inter Antiquiores recepta, uſque ad Paracelſi, & Helmontii ætatem preſſo pede, & uno ore ab omnibus amplexa ſunt, atque etiam diutius eadem intacta viguiſſent, ni Paracelſiſtæ, & Helmontiani, tum quoque Tachenius, Sylvius de la Bois, & Carteſiani aliis principiis a Chymia deſumptis, aut commentitio jure ſuppoſitis antiquam Theoriæ formam in novam mutaſſent. Nova autem methodus pleriſque magis

arri-

arridebat, tum quod præter Ariſtotelica principia, neſcio quas vires occultas, quoſque univerſales, & aereos ſpiritus peculiaribus nominibus inſignitos admittebat, tum quod grande ſonantium verborum coalitu indoctis ſuſpicionem incutiebat, ſub reboante quodam vocabulo arcani aliquid, & myſterioſi latitare. Nec quidem peritiores eam indignabantur, quibus perſuaſum erat, illo peregrinarum vocum conflictu abdita naturæ, & rerum difficillimarum cauſas ſatis revelari. Turpi vero profundiſſimoque hujuſmodi inſomnio, ſub quo hominum ingenia torpebant, a Mathematices, Mechanices, Phyſicis experimentalis, & Anatomes ſtudio, circa finem ſeculi XVII. & initium hujus feliciter ejecto, Theoria Medica ex Anatome, Chymica, & Mechanica ſolidiorem ſibi vindicare cœpit formam, & Naturæ potius leges, cauſarumque utut latentium phœnomena, potius quam difficulter admodum, aut vix unquam detegendas ipſas cauſas inquirere.

Si nuperis annis feliciſſimos progreſſus, admirandaque incrementa Theoria accepit, agnoſcendum tamen eſt, & vehementer dolendum Praxim, quæ pars eſt Medicinæ longe utiliſſima, haud pari paſſu proceſſam eſſe. Nam quamvis ſingulorum morborum hiſtoria, cum diagnoſi cauſarum, Theorica explicatione effectuum, prognoſi, & Therapeia, vel Chirurgica curatione habeatur, quod ab innumeris Scriptoribus factum eſt, adhuc tamen remanet interior eorum notitia cum differentiis, quas cum in diagnoſi, & prognoſi; tum in curatione, & remediorum delectu inferunt temperamenta ægrotantium, ſexus, ætas, anni tempeſtas, cœli regio, ſolum, aeris conditio, aquæ, alimenta, mores, ſimiliaque communium, vel

pecu-

peculiarium causarum virtutem habentia, quibus singulis, & universis satisfieri posse nonnulli arbitrantur per casus medicos a Scriptoribus fide dignissimis relatos: quemadmodum inter antiquissimos apud Hippocratem, Aretæum, Trallianum, Cœlium Aurelianum, Celsum &c., & inter recentiores apud Martianum, Hollerium, Duretum, Ballonium, Jacotium, Montanum, Tulpium, Cratonem, Carolum Pisonem, Alpinum, Hildanum, Forestum, Sennertum, Riverium, Bonetum, Ramazzinum, Malpighium, Baglivum, VVepferum, Sydenhamum, Van Svvietenium, Haenium, Morgagnum &c. videre est, qui cæteris palmam præripiunt, quibus adde Medicos, qui peculiares ægrorum historias Academiis per Europam institutis misere, quæq; videri possunt in Miscellaneis Naturæ Curiosorum, sive Academiæ Leopoldinæ, & in Actis Uratislaviensibus, Berolinensibus, Helveticis, Haffnicis, Edimburg. &c. Sed falsa conjectura decipimur, & multitudo casuum parum, vel nihil huic scopo inseruit, quousque indigesta, ut nunc videtur, remanet, & nisi prodeat, qui ex eorum collatione, & opportuna distributione utilitatem eruere noscat, nam confusionem parit, & tanquam iners suppellex habenda. Quodsi etiam in ordinem reddi contingat, nondum certum est, Praxeos necessitatibus omnibus hinc fieri satis. Alia via igitur adeundum, ut ad iddem incrementum, quo Theorica gaudent, etiam Practica perducantur, qua nulla tutior planiorque sane videtur, quam quæ illustris Boerhaavius felici ausu suscepit. Hujus enim methodum in eo maxime positam percipio, ut ex morborum, & remediorum phœnomenis experientia, & observatione compertis Theorica, & ab his regressu facto, quid inde experiundum in Praxi, &

in

in ipſis morbis quid futurum deducat. Ne autem Theoretica aliqua parte nutent, & in hypotheſes, in quas prona eſt, relabatur, proponit ſemper ut Phenomenorum cauſæ per mechanicæ leges, & per vitæ principium ex ſolidis, per phyſicam experimentalem, per chymicam, & per microſcopica documenta ex fluidis eruantur. Sed ſuſceptum ab eo opus, & multo etiam provectum quiſnam erit, qui perficiet, & Medicinæ Praxim ad complementum, & perfectionem evehat? Interea quouſque tam felix tempus adventet, nobis plurimis Operibus clariſſimorum Virorum frui licet, quæ deſideratæ perfectionis defectum quoquo modo compenſant, & ingenioſioribus aditum expediunt, ut omne, quod arte poſſibile, & humanæ ſolertiæ ac præviſioni conceſſum eſt, inter curandas ægritudines præſtare poſſint. Quæ in ſuo genere hucuſque meliora, & præſtantiora ſunt pro Anatomia: VVinslovvii diſcurſus Anotomici, & Heiſteri compendium; ſed quia neceſſariæ figuræ in his deſiderantur, adire juvabit eas Bartholini, vel VVerheyeni, vel Kulmi, vel Euſtachii, vel Couperi, vel Albini; pro Medica Theoria præſtant eximii Boerhaave inſtitutiones ex ſe, vel cum doctiſs. Alberti Haller commentariis, tum ejus nomine prælectiones ab eodem editæ, & notis illuſtratæ, vel ejuſdem Haller opuſculum prima linea Phyſiologiæ inſcriptum; pro Botanica Raii methodus plantarum, Tournefortii inſtitutiones rei Herbariæ, maxime vero, quæ dudum celeberrimus Carolus Linnæus evulgavit, pro Chimica Rothii chemia germanice ſcripta, vel ea VVedelii, aut Teichmeyeri; ſed maxime Boerhaavii, aut Stahlii, & Friderici Hoffmanni latine editæ, qui vero gallicam callent linguam, uti poſſunt chemia le Febure, Leme-

ry, Senaci, Melovini, sed præsertim Macqueri. Hisce duabus conjunctis facultatibus, ut vegetabilium animalium, & fossilium vires medicæ rite assequantur, adeunda sunt: Macasii promptuarium Materiæ Medicæ, Grube de medicamentis simplicibus cognoscendis, aut Schrœderi Pharmacopeia, vel Valentini Museum, vel melius omnium Geofroy materia medica, tum Emanuelis Konig Lexicon, Franci Flora, Hermanni materia medica, Dale Pharmacologia, Lemerii Lexicon simplicium, & VVedelii opus de Medicamentorum facultatibus. Simplicium vero facultatibus medicis, & physicis experimentis, chimicaque analysi perlustratis ad composita dignoscenda egregie faciunt: Pharmacopeia Augustana, Viennensis, Borussica, Londinensis, & Parisiensis tum ea Lemery, & Lexicon Pharmaceutium Jungkeri, atque nostras illud Jo. Baptistæ Capello. Quantum ad doses omnium simplicium, & compositorum unus satis est Paulus Andreas Parentus; & pro formulis conscribendis ad Thyronum usum potissimum commendari mœrentur, quæ in hunc finem scripsere Morellus, VVedelius, Ettmullerus, Eyselius, Fickius, & Junckerus; pro Pathologia, sive morborum notitia secundum mechanica principia ediscenda excellunt: Fridericus Hoffmannus in medicina rationali ex fundamento sensibilitatis partium, Hernestus Stahlius secundum principium a se admissum, quod anima vivificans corpus animale informet, idemque conservet, & a morbis ac a nece tueatur; atque Hermannus Boerhaave in Aphorismis de cognosc. & curand. morbis juxta simplicius fundamentum chimico-mechanicum, quod vita, & sanitas a physicis mechanicisque Naturæ legibus, omni quacunque hypothesi exu-

lata

lata tantum dependeat, qui aphorismi, ex se omnino aurei sunt; sed nitorem splendoremque adepti sunt mirifice a doctissimi Serenifs. Austriacæ Domus Archiatri, & Consiliarii D. Van-svvieten commentariis; pro Semiologia, quam plerique cum Pathologia conjunxere, seorsim tradita, eminent: VVedelius, Lommius, & Vaterus, pro Therapia, & morborum curatione per pharmaca, præter Hoffmannum, & Boerhaavium faciunt etiam Hippocratis, Sydenhamii, Baglivi, Lancisii, Torti, VVerlosii, & Scardonæ scripta practica, & secundum Stahlii sistema, vel ejus Opera, vel ea quæ Nenterus, Junckerus, & Storchius latine, postremo vero VVeisbachius, & Gohlius Germanice edidere, præ ceteris tandem apprime inserviunt tum nuper evulgati a celeberrimo Haen libri practici tum hæcce Jo. Allen Synopsis; pro Chirurgia demum, & morborum curatione manuali operatione instituenda excellunt ex Neotericis: Garengeoti operationes Chirurgicæ, Chaberti & Drani observationes, tum Heisterus, la Fayus, sed maxime Platnerus, novissime vero Angelus Nannonus, qui inter Italos nuper eximias chirurgicas operationes, cum casibus oppido rarissimis evulgavit. Ab omnibus hisce Medicinæ partibus ac facultatibus, quæ ad eam spectant, utilioribus ad Praxin notionibus haustis, jam satis peritiæ comparatum est ad morbos feliciter secundum rationem tractandos, & quoscumque eorum bonos, vel malos exitus prænoscendos; sed adhuc magis in Artis usu confirmabitur Medicus, si præter hæc sollicitus erit de iis, quæ raro contingunt, quæque videnda sunt in Observationum Medicarum collectaneis Tulpii, Caroli Pisoni, Timæia Guldenklee, Foresti, & Schen-

chii, tum in Actis Academiæ Curiosorum, Anglicanæ, Gallicanæ, Petropolitanæ, Bononiensis, præsertim in Commertio Litterario universali Norimbergico, & morborum origines ex sectione cadaverum in Sepulchreto Anotomico Boneti, & in Observationibus Medicis celeberrimi Morgagni nuper evulgatis, nec minus diligenter peculiares inquirat Tractatus ad praxin in primis spectantes veluti: is de re cibaria Bruyerini, de studiosorum sanitate curanda Gregorii Horstii, VVedelii, & Pujati; de Artificium, & Monialium, Principumque valetudine tuenda Ramazzini; de Peste, plerorumq; Opera, de morbis militum in castris Lucæ Antonii Portii, de Atrophia, & Hectica Christophori Bennet, de Pthisiologia Mortoni, de Arthritidem speciebus Musggravii &c. neque prætereat Scriptores de Thermis, & Aquis salubribus balneo, & potu usurpandis, inter quos excellunt: pro fontibus Medicatis Germaniæ Frid. Hoffmannus, pro Thermis Carolinis Bergerus, pro Tœplicensibus Castius, pro Embsensibus VVolfartus, pro VVisbadensibus Melchior, aut Jungkerus, pro Ægranis Langius, pro Schvvalbacensibus Hensingius, pro Pyrmontanis Slarius, & Heisterus, pro Italicis, simulque omnium regionum Andreas Baccius, qui unus pro omnibus valet, quamvis postea docte egerit de fontibus Mutinensibus Ramazzinus, de Aponensibus Gratianus & Vandelli, de Pisanis Cocchius, de Selteranis D. Venel, &c.

Hisce omnibus facultatibus præstantiorum Scriptorum ope lustratis, melioribusque inde haustis documentis in memoriæ cancellis alte impressis jam Medicus parum distat a summa in Arte perfectione, & ægrorum lectulis par est utiliora adjumenta præstandi, & famæ suæ valetu-

letudinique bono consulendi. Quia ejus officium hic totum non desinit, sed non raro accidit, ut scripto interrogationibus de judicandis, & curandis morbis respondere debeat, aut sententiam dicere coram magistratibus: de occisis, de vulneribus, de veneno, de potentia, & impotentia utriusque sexus, de infanticidio, virginitate, legitimo partus tempore, morbis simulatis, & dissimulatis, aliisque similibus, ideo in utraque parte Auctores compertos habeat oportet, qui de meliori consultationum forma, & de Forensi Medicina placita tradunt. In priori classe sunt præsertim Raymundi Joh. Fortis, Pompei Sacci, & Friderici Hoffmanni consultationes, sed Italico Idiomate elegantissime scriptæ: eæ Joseph del Papa, Francisci Redi, Antonii Vallisnieri, Joh. Mariæ Lanisii, Marcelli Malpighii, aliorumque quorum consilia una cum iis duorum postremo loco memoratorum in duos Tomos collegit Cajetanus Armilleus, & Venetiis 1743. edidit Joseph. Corona. In Medicina demum forensi præstant Teichmejerus, Bohnius, Zittmannus, Valentini scripta forensia, sed præ omnibus Pauli Zacchiæ quæstiones Medico Legales, Joh. Ernesti Hebenstreit Anthrophologia Forensis, & Michaelis Bernardi Valentini Corpus Juris Medico Legale. Num hisce temporibus nunc memorati Scriptores Thyroni Medico congruant; nullus dubito; num vero omnes necessarii sint: plane non affirmo; cum tamdiu ii primas obtinere possint, donec meliora edituri prodeant. Disciplinis enim acquirendis præstantia magis, quam copia librorum inservit. Sicut stomachus abundantia ciborum gravatur, & valetudo detrimentum capit; euchymi contra, & pauci adjumento sunt; ita plus unus ex optimis, quam plurimi libri edi-

ſcendis Artibus faciunt, qui veluti mentis pabulum intellectum rerum ordine informando, & varietate inſtituendo, pauci & ſelectiores Diſciplinas, multiplices & varii eruditionem adjuvant; immodicus vero eorum uſus ut ordini, & perſpicuitati officit, ita memoriam tantum, non autem ingenium exercet.



SYL-

SYLLABUS

Auctorum quorum ſantentiæ in hoc opere recenſentur.

Ægineta
Anelius
Arbuthnotus
Aretæus
Aurelianus
Baglivus
Ballonius
Barbette
Barbeyracus
Bellini
Belloſtus
Blegneus
Boerhaavius
Bonetus
Calmetteus
Cardanus
Cathervoodius
Celſus
Charletonus
Cheſneavius
Cheyneus
Chiracus
Cole
Covvardus
Deckerſius
Deodatus
Diemerbroeckius
Donckerſius
Ettmullerus
Fizes
Floyerus
Foreſti
Freindius
Fromannus
Fullerus
Gandolphus
Gliſſonius
Gorter
Hamilton
Harris
Harvæus
Hecquetus
Heiſter
Helvetius
Helvigius
Hildanus
Hippocrates
Hoffmannus
Hollerius
Jonſtonus
Junckerus
Kinps-Macoppe
Lanciſius
Langius
Liſterus
Littrius
Lommius
Lovverus

Malpighius
Mauriceau
Mayerne
Mayovvius
Meadius
Mercatus
Mercurialis
Morgagnus
Mortonus
Musggravius
Petitus
Pitcarnius
Placentinus
Platnerus
Pujati
Purcellus
Purmannus
Riverius
Ruyschius
Sampsonius
Scardona
Sckenckius
Schmitzius
Schomberg
Schvvietten
Sennertus
Septalius
Sponius
Stephens
Storchius
Sydenhamus
Sylvius
Tovvnerus
Tozzi
Trallianus
Trillerus
Turnerus
Velschius
Verduc
Verna
Verzascha
VValdschmid
VVeinhart
VVerlhof
VVillisius
VVisemannus
Yves



TYPOGRAPHUS
Lectori.



N novam tibi Lector humanissime Joh. Allen Synopseos Medicinæ editionem utpote Operis, quod magni semper fecisti, & Praxeos usui aptissimam utilissimamque invenisti. Ejus exortum & progressum si quæris, nisi testimonium habes operis ab omnium Gentium Medicis vehementer expetiti, & passim adhibiti. A suo auctore Londini anno 1719. *primum evulgata, & ab eodem paulo post in Patriam linguam conversa, pluries ibidem vernaculo idiomate, & latine, deinde triente amplior recusa fuit, quo etiam idiomate intra paucorum annorum spatium quinquies Amstelodami prodiit. Cum ejus utilitas late innotuisset Germaniæ typis semel, iterum, iterumque subdita*

dita fuit, & postrema vice anno 1749. Francofurti ad Mœneum, & Lipsiæ, inde in Italiam migrata meis prælis evulgari annis 1732. 37. 41. anno vero 1748. cum augmentis in tertia Londinensi, & cum formulis remediorum in quinta Amstelodamensi editione partis atque anno 1754. iterum eadem forma. Cum autem in Gallia vernacula illius Regionis lingua conversa anno 1728 prodierit, nullibi huc usque augmenta, præter quæ ejus Auctor ipsi adjiecit, referre visa est, quo mortuo ibidem primum anno 1737. incrementa eousque sibi vindicavit, ut in IV. volumina in 12. tributa prodierit, & anno 1741. alias additiones recipiendo VII. volumina habuerit, quæ deinde a D. Boudon aliorum appositione anno 1752. crassiora facta sunt, nec aliunde, quantum scio, majora augmenta suscepit. Hucusque tamen, quæ ei adjuncta sunt, cum nisi de recentiorum inventis, & curandi modis decernant, quoniam mihi notum est non recentiorum tantum, sed præsertim Veterum Medicorum, eorumque, qui medii ævi dici possunt, fusius pleniusque sententias desiderari, propositum habuit in hac nova editione hujusmodi desiderio satisfacere, ut qui eodem tenerentur, Omnia, quæ apud Antiquos, medios, & neotericos Scri-

Scriptores meliora sunt, facile invenire possent: Hoc ubi præstitum fuit duo beneficia synopsin hanc simul reddere perspexi: alterum videlicet quo luculentius morborum natura, & curationum formæ apud antiquos, recentioresque adhibitæ aperirentur; alterum quo plerique morbi ab Auctore prætervisi noviter invecti, in Praxi animadvertendi exhiberentur, quibus alterum etiam adjici potest h. e. expositio methodi nonnullos morbos tractandi, quæ post meritissimi Auctoris obitum sagacissimi Medici opportune invenere. Hæc ubi tibi placebunt, mihi gratum erit, & satis habeam, cæterum Vale, & fave.



NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del *P. F. Serafino Maria Maccarinelli*, Inquisitore Generale del Santo Officio di *Venezia* nel Libro intitolato *Synopsis universæ Medicinæ Practicæ Jo: Allen M. D., sive Doctissimorum Virorum de Morbis, eorumque causis, & remediis judicia. Accesserunt nunc demum Veterum ferme omnium, ac Recentiorum quorumdam celebriorum sententiæ M. S.* non v'esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, e buoni costumi, concediamo Licenza a *Lorenzo Baseggio* Stampator *di Venezia*, che possi essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 6. Febraro 1760.

(Angelo Contarini Proc. Rif.
(Bernardo Nani Rif.
(Francesco Morosini 2.° Cav. Proc. Rif.

Registrato in Libro a Carte 77. al Num. 170.

Giacomo Zuccato Segr.

Addì 16. Febraro 1760. M. V.
Registrato in Libro del Magist. Eccel. degli Essec. contro la Bestemmia.

Gio: Pietro Dolfin Seg.

SY-



SYNOPSIS UNIVERSÆ MEDICINÆ PRACTICÆ, &c.



CAPUT PRIMUM.

Sive Fasciculus Morborum primus.

FEBRES IN GENERE.

Ex observatione & inter legendum.

Art. 1. EBRES (ut recte annotavit clarissimus Sydenhamus) cum Appendicibus suis duas fere tertias partes omnium, quæ sunt morborum, complent; ideoque his exponendis, utpote quæ etiam totis corporibus inhærescunt, merito exordiri statuimus. *Proœmium.*

Art. 2. Febris autem (inquit idem) nihil aliud est, quam *naturæ conamen materiæ morbificæ, corpori valde inimicæ, exterminationem in ægri salutem omni ope molientis.* *Febris quid.*

Art. 3. Febrium divisio maxime generalis & genuina est in *Essentialem & Symptomaticam.* *Febrium divisio.*

Eſſentialis. *Art.* 4. Febris eſſentialis eſt cujus cauſa primaria in ipſo ſanguine deliteſcit, a nullo alio morbo ſolidarum partium originem ducens, aut quocunque modo pendens; atque hæc eſt *Febris abſoluta & proprie dicta*.

Symptomatica. *Art.* 5. Febris ſymptomatica eſt febris ſecundaria, quæ non propriam ſubſiſtentiam habet, ſed a graviori alicujus partis affectu originem trahit, & frequentiſſime ab inſigni aliqua inflammatione pendet, unde *Febres variæ inflammatoriæ dictæ*.

Eſſentialis diviſio. *Art.* 6. Febris eſſentialis dividitur in Ephemeram, Intermittentem, Continentem & Continuam.

Ephemera. *Art.* 7. Febris omnium mitiſſima eſt Febris ephemera, ſive diaria, i. e. Febris unius diei; quæ ab inſolatu, exercitio nimio, vel aliquo alio accidente externo oritur, & ſpatio 24. horar. ultro terminari ſolet. Sola quiete, & in lecto decubitu curatur.

Intermittens. *Art.* 8. Huic proximæ ſunt Febres intermittentes, ſcilicet, quotidianæ, tertianæ, quartanæ ſimplices, tertianæ, quartanæ duplices &c. Hæ more Febris diariæ ſpatio 24. horarum plus minus pro iſthac vice finiuntur; verum pro peculiari illarum genio, ſingulis, vel alternis diebus, vel quarto quoque die, recrudeſcere ſolent.

Continens. *Art.* 9. His congener eſt Febris συνεχὴς, ſeu continens, quæ quidem eſt Febris continua, ſed non uno tenore pergens; ad plures dies ſine ἀπυρεξία protenditur, habet tamen ſua *remiſſionis & exacerbationis* tempora, ſtatis, vel incertis periodis ſe invicem excipientia; *intermiſſionem* vero nullam habet.

Continua. *Art.* 10. Febrium gradus proximus & ultimus eſt σύνοχος, ſive Febris continua proprie dicta, quæ ab initio ad finem ubique eſt æquabilis, *ſi-*

ne

ne symptomatum exacerbatione & remissione periodica: hujus generis sunt Febres malignæ, Febres pestilentiales, ipsa pestis, &c.

Sydenhami sententia.

Art. 11. Ille dubio tramite errat, atque incerto ducitur filo, qui in Febrium curatione non continenter ob oculos habet *anni constitutionem*, quatenus huic aut alteri morbo epidemice producendo favet, cæterisque morbis omnibus una concurrentibus in ejus similitudinem ac formam detorquendis; hæ autem variæ constitutiones aut habitudines ab occulta & inexplicabili quadam aeris alteratione pendent, quæ proprias ac sibi peculiares Febres producunt, quæ *stationariæ* nobis audiunt. *Ratio habenda est anni constitutionis.*

Art. 12. In novis Febribus cunctandum est paulisper, & ad magna remedia non nisi pede tardo procedendum; interim morbi genium ac morem diligenter pensitando indicationes præsertim a *lædentibus* & *juvantibus* sumendæ sunt; neque pudet fateri me non semel in curandis Febribus, ubi nondum constaret, quid mihi agendum esset, nihil prorsus agendo & mihi & ægro consuluisse optime; dum enim morbo invigilarem, quo eum opportunius confodere valeam, Febris vel sponte sua sensim evanuit, vel in eum se typum redegit, ut jam mihi innotesceret, quibus armis esset debellanda. „ Non enim levis est „ consolatio viro probo in rebus dubiis, facile„ que errori obnoxiis se saltem inculpatum tue„ ri, si se minus utilem præbere nequeat. „ *Et in nova Febris ingressu paulisper cunctandum est.*

Art. 13. „ Calidum solum non est Febris cau„ sa, (*inquit Hippocrates de vet. medic.*) sed ea „ est: calidum & amarum simul, calidum & aci„ dum, calidum & salsum, aliaque innumera. „ *Febris causa.*

Evenire potest in corporibus sanis. Ex frequenti etiam observatione compertum est Febrem in *corporibus sanis* evenire posse, in quibus nullus apparatus morbificus, vel quoad plethoram, vel cacochymiam, &c. occasionem subministraret; nihilominus hujusmodi homines præcedente insigni aliqua aeris, victus, &c. rerum non naturalium, mutatione, Febre corripiuntur, propterea quod eorum sanguis novum statum & conditionem adipisci gestit, qualem ejusmodi aer aut victus postulaverit.

Indicatio generalis. *Art.* 14. Indicatio generalis in curatione Febrium est, ut sanguinis commotio intra modum naturæ proposito congruentem contineatur, ea nimirum ratione, ut nec hinc plus æquo gliscat, unde periculosa symptomata, nec illinc nimium torpeat, ne naturæ conamen frustretur; atque hinc exurgit norma sanguinem mittendi plus minus, vel prorsus omittendi.

Vomitorium. *Art.* 15. Si adsit vomendi proclivitas, vomitorium propinare necessum esse omnino videtur; alias etenim accidere solet diarrhœa in Febris progressu, ægro interdum admodum periculosa. In initio Febris emeticum propinari debet, sed, si omissum fuerit, quovis morbi tempore adhiberi potest, modo vires ægri ferre valeant; post hoc autem paregoricum hora somni propinandum est; diebus insequentibus, si repetitio venæsectionis minus indicetur, & non aderit diarrhœa, enemata alternis diebus in usum venire possunt, usque ad decimum vel duodecimum diem, quo tempore negotio ad secretionem vergente medicamentis calidioribus liberalius indulgendum censeo, ad concoctionem accelerandam. Si fermentatio recte progrediatur, nullis omnino remediis opus est; despumatio etenim est opus naturæ.

Catharticum exhibendum sub finem. *Art.* 16. Usitato circa diem decimumquintum, si adsit in urina laudabilis separatio, & sympto-

ma-

matum remissio, catharticum adhiberi debet, ne sedimentum a fermentatione hic illic depositum in sanguinem remigrans recidivam conciliet, quandoque tamen ad diem decimum septimum differendum est.

Art. 17. Pro comperto affirmo, nihil ita certo, atque ita potenter ægrum refrigerare, atque *catharsim post venæsectionem celebratam:* testatur enim experientia catharsin post venæsectionem quibuslibet aliis remediis fœlicius certiusque Febrem perdomare, tum quatenus intestinis illuviem dimovet, tum quatenus anodyno viam sternit. (Schedul. Monit.) *Catharsis post V. S.*

Art. 18. Ad genuinam sanguinis depurationem *duplex secretio* requiritur; una per *fæces* fit, altera per *flores*, hæc sensim & paulo pleniori διαπνοῇ, potius quam sudore manifesto ut plurimum peragitur; separatione hac per flores jam facta, minus periculosa est diarrhœa. *Duplex secretio.*

Boerhaavii sententia.

Art. 19. Febris est frequentissimus morbus, *inflammationi* individuus comes, qui ingenti symptomatum numero plerumque stipatur. *Febris quid.*

Art. 20. In omni Febre, a causis internis orta, horripilatio, pulsus velox, & calor, vario tempore, & vario gradu, adsunt; hæc autem ubi velociter decurrunt, Febris acuta, ubi tarde, lenta audit. Febris fere semper cum sensu frigoris incipit, & progrediente morbo maxime a velocitate pulsus primario cognoscitur; adeoque velocior cordis contractio cum aucta resistentia ad capillaria Febris omnis acutæ ideam absolvit, quæ a causis infinitis produci potest. Sanitas ægroti videtur esse *cynosura* primaria, in quam natura in Febribus collimat; frequenter *Symptomata quæ in omni Febre adsunt.*

vero Febris in mortem desinit, quandoque in alium transit morbum.

Curatio generalis. *Art.* 21. Curatio Febrium generalis summatim comprehenditur, vitæ ejusque viribus consulendo, in acre irritans corrigendo & deturbando, & lentorem dissolvendo, expellendoque, & symptomata mitigando. Si in Febre exorbitare natura deprehendatur, moderamen fit abstinentia, victu tenui, potu aquæ, venæsectione, clysmate refrigerante, &c. si segnior appareat, excitabitur ope cardiacorum, aromaticorum, volatilium, &c. Sublata Febris causa symptomata reliqua cessabunt, quatenus ab ea primario pendent, adeòque, si ferri queunt sine vitæ periculo, singularem curationem vix requirunt, nec temere turbari debent: Si vero intempestiva & nimis sæva fuerint, singula sunt lenienda suis remediis propriis, habita semper ratione causæ & status morbi ipsius. *De symptomatis.*

Ettmulleri sententia.

Quid vult natura per Febrem. *Art.* 22. Febris est *motus naturæ*, seu quædam lucta, quæ spirituum plus minus alteratorum ope id, quod est hostile œconomiæ animali, eliminare satagit.

De diæta. *Art.* 23. Quo magis acuta est Febris, eo tenuior convenit diæta; licet ægri ad plures dies jejuni jaceant, perinde erit, *nec unquam vidi febricitantem fame pereuntem*, sed potius, si quid ingeritur, Febris exasperatur, &c. nam in alimentis appetitus præscribit rationem, *quantum* & *quale*, & *tempus*.

Vomitoria & sudorifera. *Art.* 24. Vomitoria in Febribus fere omnibus in principio sunt proficua. Sudoriferorum usum ipsa natura nobis monstrat, signis coctionis apparentibus sunt optima; & etiam in toto morbi decursu sunt utilia; immo horum usu promi-

scuo

ſcuo Febres non raro curantur. Spiritus ſalis armoniaci, vel ſal volatile ejuſdem, eſt febrifugum univerſale, & uſu repetito raro fallax. Saccharata quæcunque in Febribus inſigniter nocent. *Hippocrates* in omni Febre vinum porrigit. Semper obſervavi quamdiu urinæ ſunt crudæ, tamdiu res ægri in ſtatu exiſtere ambiguo; quando vero adſunt ſigna coctionis fauſta poſſumus ominari: opus hoc coctionis eſt ſolius naturæ. Inter ſigna lethalia nullum eſt certius, quam frequens manuum ad nares admotio ſine ulla materiæ effluxione.

Baglivii ſententia.

Art. 25. In morbis acutis, atque inflammatoriis paucis opus eſt remediis, ſatis enim fuerit vias obſervare diligenter, quà natura exitum tentat, curamque eo perducere, naturæ obſecundando, alioquin ægrotus peſſum dabitur. *Natura ductus ſequendi ſunt.*

Art. 26. In Febribus univerſalibus, id eſt, quæ ipſo de ſanguine ſuſcitantur, non admodum laborandum eſt circa partem affectam, ut inde curativæ deducantur indicationes; Febrium ſiquidem primordia, parteſque affectæ in iiſdem, nos plerumque latent, & ſi unquam paterent, oportet *indicationem dirigere ad conſtitutionem maſſæ ſanguineæ febricitantis*, potius quam ad ſophiſticam ſpeculationem cauſarum proximarum, aut quæ in Febribus primoprimæ ſunt, quæ noſtræ aciei minime ſubjiciuntur. *Inanes ſpeculationes nihil facienda.*

Art. 27. Ideo ſi primæ viæ ſint obductæ, eæque egerendæ atque expurgandæ fuerint, danda opera, ut Febrium fomes tollatur; Si vero ſanguis febricitans ſit exaltatus, & vehemens, ejus reprimendus eſt impetus; ſi nimis craſſis humoribus irretitus, atque coagulatus, exaltetur, *Tria præcepta pro curandis Febribus.*

ac dissolvatur. In hisce enim *tribus praeceptis* omnium prope illarum Febrium cura versatur, quae ortum non ducunt ab organi laesione, verum ab humorum congerie, aut in ipso sanguine, aut in primis viis. Et cum ad crisin natura vergat, aut eas jam exiverit, tum a remediorum copia tanquam a peste cavendum.

Odor cadaverosus mortis praesagium. *Art.* 28. Ex odore, quem aegri spirant, soleo saepe, utrum morbus facilis vel difficilis, brevis vel diuturnus, vel alterius generis futurus sit, judicare. In aegis qui morituri sunt, nonnullis ante mortem diebus solet, dum pulsum tangimus, ab eorum exhalare corpore foedus quidam ac veluti *cadavericus odor*, qualem spirant in templis cadavera, ut saepe observavi, & velim, ut seriò animadvertant medici. *Animadv. in pract. nov.*

Friderici Hoffmanni sententia.

Febris saepe salutaris. *Art.* 29. Licet autem febris humano generi tam infestus, & pernicialis sit morbus; hanc tamen peculiarem obtinet facultatem, ut motu intestino & progressivo, quo absolvitur, acutiori causam suam destruat, ac se ipsum sanare possit, immo aliis, & gravibus, & longis morbis superveniens eosdem vincat, atque expugnet. Ipse *Hippocrates* & *Celsus* febrem habuerunt medicinam, & morborum praesidium, quo magni etiam morbi curantur; paralyses, epylepsiae, convulsivi motus, affectus spasmodici, sic dicti: hypochondriaci; quin consultum duxerunt, suppressa citius febre, novam accendere. Et testantur etiam observationes, quod valetudinarii post febrem, longam sanitatem fuerint adepti, quin quod temperamentum, & mores fuerint immutati, qua de re latius videri potest dissertatio nostra *de febrium salubritate.*

Art. 30.

Art. 30. Assero formalem febris rationem, sive, ut ita loquar, fundamentalem causam consistere in spasmodica universi generis nervosi & fibrosi affectione, quæ maxime ex spinali medulla procedit, & successive ab exterioribus ad interiores partes vergit. Docui id ipsum pluribus & momentosis rationibus in dissertatione *de vera motuum febrilium indole ac sede*. Idem vero etiam luculenter arguunt omnia, quæ in febre præsto sunt pathemata, atque phænomena, dolor scilicet dorsi, præsertim circa lumbos, horror, rigor, frigus, præsertim extremorum, tremor, unguium livor, vasorum in manibus & pedibus detumescentia, cutis contracta & arida, oscitatio, pandiculatio, pallidus, & lividus faciei color, tremens & palpitans cordis motus, præcordiorum anxietas, spiratio ægra, inquietudo, corporis jactatio, sensus ebullientis circa præcordia sanguinis, pulsus contractus, parvus ac debilis, nausea & inclinatio ad vomitum, alvi & perspirationis suppressio cum urina tenui & aquosa. *Causa formalis.*

Art. 31. Hinc prona jam fluit consequentia, quod omnia quæ totum nervosarum & vasculosarum partium systema ad spasmos irritare & sollicitare possunt, ad ingenerandam febrem sint aptissima. Horum classem ducunt vehementes animi commotiones, terror in primis, & ira, materia venenata & subtilis caustica, vel intus genita vel per contagium suscepta, intercepta perspiratio, sudores critici cohibiti, exanthemata retropulsa, materia purulenta ulcerosa, passim in partibus adhærescens, alimenta nimis acria, corruptæ & biliosæ primis in viis hærentes cruditates, nimiæ vigiliæ, dolor vehemens ac nervosarum partium tensio in inflammationibus, tumoribus, & abscessibus, læsiones nervosarum par- *Causa materiales varia.*

partium ab acuto instrumento, ab acri & corrosivo pharmaco, balnea frigida & vicissim nimis calida, aut adstringentia. Sed pro differente harum causarum indole, & vario quo nervosum genus infestant modo, differunt etiam prognatæ inde febres; ut nonnullæ sint benigniores, aliæ intermittentes, aliæ continuæ, simplices vel compositæ regulares, vel anomalæ, exanthematicæ putridæ hecticæ, vel lentæ, ut porro quædam facilius vel difficilius sanationem admittant, quædam citò decurrant, quædam longius extrahantur, quædam etiam hominem perimant. De qua febrium origine, earumque causis & differentiis, pluribus egi in dissertatione *de generatione febrium*.

Farrago sententiarum.

Regula de diæta. *Art.* 32. *Hippocratis* Aphorismus de diæta in morbis acutis sic se habet: ubi peracutus est morbus, statim extremos habet labores, & extreme tenuissimo victu uti necesse est; ubi vero non, sed plenius cibare licet, tantum a tenui recedendum, quantum morbus remissior extremis fuerit. *Sect.* I. *Aph.* 7.

Incommodum nimia remediorum copia. *Art.* 33. Graviter errant illi, qui acutos & inflammatorios morbos remediorum copia tamdiu afficiunt, donec natura, quo se vertat nescia, & hinc inde, tum a morbi vehementia, tum a remediorum pondere, varie distracta, tandem cogatur succumbere: perturbato enim, distractoque motu illo ordinato naturæ a repetitis toties, vel absque methodo exhibitis medicamentis, nec Febris minuitur, nec crisis stato tempore succedit, sed patiens dubio Marte colluctatus; vel in perniciem, vel in chronicos morbos delabitur. *Baglivius.*

Art. 34.

Art. 34. Hippocratis aphorism. 36. §. 4. Sudores febricitantibus boni; qui manare cœperint die tertio, quinto, septimo, nono, undecimo, decimo quarto, decimo septimo, vigesimo primo, vigesimo septimo, tricesimo primo, tricesimo quarto, ii enim sudores morbos judicant; qui secus evenerint, laborem, & morbi longitudinem, & recidivas significant. Aphorism. 24. §. 2. Index septimi quartus; sequentis septimanæ octavus initium; spectandus quoque est undecimus; siquidem is secundæ septimanæ quartus est; rursumque decimus septimus spectandus: is enim a quarto decimo quartus est, & ab undecimo septimus. Dierum (inquit *Lister*) indicum & contemplabilium ad *crises explicandas* tota doctrina valde obscura est. Est quidem trium concoctionum quędam mensura, ut ex anatomia & statica medicina plane constat: ita Febrium intermittentium periodi statæ sunt; in aliis vero morbis acutis, quales sunt Febres symptomaticæ, ut pleuritis, angina, variolæ, & Febres continuæ, *crises*, earumque indicia fortè non ita prompte animadvertimus, quod parum naturæ, sed nobismet ipsis (quod tamen veteres non fecerunt) totam ferè sanationem vindicamus.

De diebus criticis.

&

Indicibus.

Doctrina eorum valde obscura.

Art. 35. Nullum remedium (inquit D. D. *Freind*) sub initiis Febrium est æque salutare ac *vomitorium*, sæpenumero & necessarium est, si quando, quod plerumque fit, vel nausea, vel ventriculi gravitas, vel etiam capitis dolor invaserit: hoc medicinæ genus apud vetustissimos *Græcos* haud infrequens fuit, & *Celsi* temporibus *Romæ* perquam familiare. Medicamenti, quo vomitus cietur, interior est quædam actio; quæ nusquam alias se manifestius prodit, quam in celebri illa radice *Ipecacoanha*. Hujus sane vis in attenuandis humoribus eximia est; cui & fidem facit summa

Utilitas vomitorii in Febrium principio.

Virtus singularis rad. Ipecacoanha.

her-

herbæ amaritudo, & vividus ille, qui apparatu Chymico elicitur, *ſal.* Equidem hanc radicem non parca manu adhibitam eſſe comperi, cum nulla fere vel per os, vel per alvum ſequeretur purgatio: Elapſa autem una aut altera hora incaleſcere cæpit ægrotus, ita ut, pulſu excitato, tandem in *uberrimum ſudorem* colliqueſceret.

Febres vix ſine evacuatione curantur. *Art.* 36. Hoc unum ſpondeo (idem laudatus author) quemquam experiundo comprobaturum, quod ſcilicet ex Febribus *multæ evacuantibus ſolis, etiamſi haud alio fuerit remedio uſus, cedere conſueſcant; vix ullæ autem, quæ paulo vehementius invaluerint, medicina qualicunque, ſi ab hoc evacuandi inſtituto deceſſeris, reſtingui poſſunt.*

Methodus Ludovici in curandis Febr. *Art.* 37. „ Hæc eſt accuratiſſima *Danielis Ludovici* methodus curandi Febres continuas, „ nempe, in principio præmiſſo vel omiſſo *vomitu*, mox volatile aliquod v. g. *tincturam bezoardicam*, *mixturam ſimplicem*, *ſpirit. C. C.* „ & pro circumſtantiarum ratione cum *opiatis* „ exhibendo; in ſtatu *fixiora*, *terrea*, *alcalina*, „ in declinatione *cancrina*, *corallina*, &c. hac „ nempe methodo nec criſin negligit medicus, „ nec otioſe eam exſpectat.

Art. 38. „ Quo mitiora pathemata ſunt circa primas vias & regionem ſtomachalem, eo „ mitior & ſalubrior eſt Febris.

Signa prognoſtica. *Art.* 39. „ Facies turgida & ſubtumida morbi longitudinem pronunciat.

Art. 40. „ Quo magis ſudant febricitantes, „ eo minor eſt ſedimenti copia in urinis; Glutinoſus ſudor eſt peſſimus.

Art. 41. „ Quanto urina rubicundior eſt in initio, tato citius terminatur Febris, cum ſignis „ bonis ad bonum, cum malis ad malum: Urina alba, aut pallida, & admodum cruda in Febribus ardentibus periculoſa eſt, & plerumque

„ mor-

„ mortem portendit, præsertim si adsit deli-„ rium; convulsiones enim sunt in propinquo.

Art. 42. „ Surditas in Febribus, urina existente „ cruda, delirium grave portendit; sed si cum „ signis coctionis conjungatur, bene ominatur.

Art. 43. „ In Febribus, si ægri non possunt „ discernere colores, imminent *convulsiones*.

Art. 44. In omni Febre pulsu existente lan-„ guido, inæquali, aut formicante, cane pejus „ & angue *opiata* vitentur. *Cautela de usu opii.*

Art. 45. Observatione constat, quod *crebra sanguinis missio* homines Febri aptiores reddat præ cæteris: quare vulgo dicitur, quibus sanguis semel detrahitur, eos, nisi quotannis idem faciant, in Febrem proclives esse, & pinguescere. *Vvillis.*

Art. 46. In Febribus continuis, si pulsus sit fortis uno tenore pergens, ut ut deliria, tremores, tendinum subsultus, cæteraque dira in genere nervoso symptomata subitam ruinam minari videantur, semper bene præsagit: e contra vero pulsus celer, debilis ac vacillans mortem præ foribus adstantem indubitanter prædicit, ut ut reliqua symptomata adblandiantur. *Morton.* *Prognosticon generale.*

Art. 47. In curatione Febrium summum ac acerrimum medici ingenium requiritur. Judicio præpollenti, *facultati innatæ & incommunicabili*, plurimum debetur. Morbi genius, anni constitutio, ægroti temperamentum, & vivendi modus, symptomata singula & universa, & innumera alia incidentia, & accidentia, omnia conjunctim & divisim *animo præsenti & sereno* diligenter perpendenda sunt; e quibus inter se rite collatis sagaci medico, *lente festinanti*, exurgit *clara ac distincta medendi methodus*; & plerumque insequitur felix morbi exitus. Veritatem hujusce mei effati longa jam annorum se- *Acumine ingenii opus est.*

rie

rie non sine gratissimo animi delectamento fœliciter expertus sum.

Eadem pharmaca semper febrem non sanant.

Art. 48. Valde communis est morbus, qui febris dicitur; & nuspiam aliquis extat, cui persuasum sit, unum tantum remedium ad eamdem subigendam valere. Observatione dignum est, quæ Pharmaca quodam tempore febres fugarunt; alio eamdem virtutem non obtinere. Cortex ipse Peruvianus tanti habitus, cum primum in Europam prodiit, subinde frustra adhibitus fuit, etiamsi plurima diligentia & cautione usurparetur. Veteres Centaurium minus ut singulare adversus hos morbos remedium celebrarunt; nunc vero tantos effectus, vel qui ad hos proxime accedant nobis intueri non licet, cujus differentiæ ratio ab Aeris mutationibus, a quorundam miasmatum prædominio, atque adeo a diversitate nutritionis, quam ab hisce elementis plantæ mutuantur, oriri posse verissimiliter credimus. Febres item singulis annis, cum non sint eædem, quamvis eadem symptomata ob oculos sistant, prudentem exigunt Medicum ut aliud usurpet remedium; quando illud quo diu usus est nondum ægrum in salutis gratiam revocavit. Nulla ergo remedia tutiora dantur generalibus; quæ necessario in qualibet Febre simplici; atque etiam subinde in compositis & complicatis usurpari debent. M. J. G. *Medicus Bruxellæ in Lexico Med. seu Dictionnaire Medicinal.*

A quibus incipienda curatio.

Art. 49. Incipiendum semper, ait memoratus Scriptor, a Clysmate purgante vespere ægrotanti exhibendo, quodque sequenti modo concinnatum ceteri cujuslibet vices exerere potest.

℞. *Fol. Malv. Parietar. Mercurial. Betæ ana man.* j *Senn. orient. unc.* j *Sal. Tartar.* ʒ j *Aq. font.* ℔ j *ebull. per hora* $\frac{1}{4}$, *& colat. dimid. pro*

puero

puero adde Mellis unc. jv. *f. Clyster. vespere injiciendus*:

Postridie extrahatur sanguis ad unc. x & die sequenti detur Emeticum. Hæc sane methodus numquam fallax est, quocumque febris deinceps Typo induta prodeat; non obstante quod nonnullis practicis videatur binos tresve accessus nullo objecto Pharmaco intactos relinquere; sed nisi de specificis pharmacis, id intelligendum est. Generalia quæ laudantur cito satis quidem adhiberi nequeunt, cum primæ viæ infarctæ opletæque semper inveniantur. Ægro item propinanda dabitur aqua pura nitro depurato imbuta ad libitum; & summo præcipue febris calore vigente affatim haurienda; & quia Ptisanæ ex herbis & radicibus factæ principiis onerantur fermentescibilibus, laudabile idcircò erit iisdem abstineri.

Art. 50. Si æger non purgatus fuerit quantum expedit; quod cognoscitur ex oris amaritie, acidis eructationibus &c. ad alterum Emeticum biduo a primo deveniendum est. Si Venter plenus est atque tensus, si viscera doleant, gravitas genua teneat &c. purgadus est ut sequitur ℞ *Senn. mundat.* ℨ ij *Cherefol. man.* j. *Aq. font. unc.* vij *Infund. per hor.* 8 *super ciner. calid. & colat. add. Mann. elect. unc.* j. *percolet. iterum, atque colat. add. Crem. Tart.* ℨ *sem. Syrup. flor. persic. unc.* j m. *Quomodo continuandum.*

Art. 51. Certissimum est alvum Laxantia febres haud ægre, & sine reditus periculo compescere. Irritum hinc est specificis vacare remediis, dum primæ viæ opletæ adhuc reperiuntur, quæ si ita non se habeant laxantibus id obtinetur, quæ sæpe febrium intermittentium, quarum accessus cito reiterant fermentum per alvum præcipitant. Fatendum quidem est Empiricos *Observatio de evacuantium usu.*

quos-

quosdam, imo Circulatores nonnullos specificis sæpe febres tollere, quorum si optatum effectum interdum ægri non vident, id negligentiæ tribuendum est eorum, qui generalium remediorum usum antea despexere.

Remedia ad Febrem simpliciter continuam. *Art.* 52. Quodsi febris simpliciter continua videatur, h. e. malignitatis expers, veluti absque purpura, variolis, aliisque gravioribus symptomatis, sequens remedium jubendum est, quod laudato Auctore fidem faciente, omnium febrifugorum huc usque inventorum præstantius haberi debet.

℞ *Sal. Tamarisc. Absynth. Armoniac. ana* ʒ iij. *Chin. Chin. unc.* ij. *f. pulv.*, *quo cum Syrup. de Absynth. unc.* ij *fiat Opiatum. cujus* ʒ j *detur mane, totidem trihorio a meridie, totidemque vespere.* Habenda observatio est, ne æger hoc remedio utatur nisi hora elapsa post ultimo assumptum cibum, ejusque vis specifica æque tuto Continuas simplices, ac Intermittentes subigit, modo per XV. dies continuetur.

Remedia ad Febrem malignam. *Art.* 53. Si vero febris est Maligna, quod cognoscitur ex pectoris oppressione, hypochondriorum & ventris tumore, gravedine capitis, delirio, raptu ad cerebrum, motibus convulsivis, nausea, inclinatione ad vomitum, vigiliis &c. tunc omissa Ptisana vel potione nitrata, altera paratur ex Rad. Scorzoner. & Ras. C. C. Dein alterum propinatur Vomitorium, cui Confect. Hyacinth. drachma admiscetur, & quotidie jubetur ægro usus pulveris ex Ocul. cancr. ℈ j, & Sale Tartari, vel absynth., vel Armoniaci gr. xxx cum jure carnium hauriendus.

Continuatio Remediorum ad Febrem. *Art.* 54. Quando febris ex sanguinis oritur dissolutione; quod ex pulsu cognoscitur parvo & frequenti, ex oculis splendentibus, nec non ab ægri inquietudine; vel quando oritur ex coagula-

gulatione; quæ cognoscitur ex pulsu duro, & tenso, ex difficultate respirationis, dolore lateris, & somnolentia, bis in die optimo successu sequens haustus usurpatur.

♃ Stib. diaph. gr. xx *Sal. Tart. gr.* xxx *Aq. flor. Tunic. lil. alb. ana unc.* ij. *Sp. sulph. p. c. gutt.* iij. In omnibus malignis febribus putridis, & colliquativis hoc remedii genus palmam ceteris quidem præripit. Juvat aut in iisdem colliquativis febribus, quas alvi fluxus comitatur, vomitorium præmittere ex Rad. Ipecacuanhæ ℨ sem. jure carnium hauriendum. Si vero symptomata hoc remedio semel exhibito non remittant, postridie reiteratur. Hoc omne illud est, quod ad publicam utilitatem litteris consignare fas erat, reliqua enim Clinici experientia præstanda relinquuntur, qui morbi progressui invigilando, augescentibus sæpe & iminuentibus symptomatis opportune & congruis auxiliis subveniat.

Art. 55. Veluti præcipua Praxeos Regula habendum est, ne diebus Criseos qui sunt 5, 7, 9, 11, 14, 21; nec etiam in statu febris purgans aliquod jubeatur, sed in declinatione aut remissione & diebus omni febre expertibus, idem usurpare præstat. Vitandæ itidem sunt Ptisanæ refrigerantes, Sp. Vitrioli, Hordeata, Emulsiones, Amygdalæ, & pulli juscula &c. hujusmodi namque remedia, & quæ magnifice & gloriose a quibusdam celebrantur, nulla majori virtute pollent ad brevi tempore febrem compescendam, nisi ut validius revertatur, & majori vexet deinceps molestia. Certissimum est ergo remedia, quæ motum sanguinis fermentativum componunt, cum hostem noxium abigere nequeant, nisi palliativorum vim, & effectum præstare.

Regulæ pro usu evacuantium in Febribus.

DE FEBRIUM SYMPTOMATIS graverioribus

Inter legendum & observandum.

Arbuthnoti Sententia.

Observationes circa rigores.

Art. 56. MAximi refert: ut aptum regimen præscribatur ad frigus, quod principio febrium corripit, nam hoc in gradu idem contemnere periculosum est; rigor enim diuturnus graviorem morbum ostendit, & primum gressum in mortem ponit. Quousque persistit, sanguinis circulatio lentior est, & qui in arteriolis capillaribus remoratur, vi cordis obsistendo anxietates facit, & occasionem præbet, ut circa ipsum cor polyposæ concretiones generentur. Patet hinc cur rigores inflammationibus augmentum adferant. Qui ex quartana febre pereunt, durantibus rigoribus occumbunt; nullum enim triste symptoma datur, quod a diuturno rigore produci nequeat.

Rigore item persistente nec calida Analeptica, nec irritantia medicamenta conveniunt; siquidem illa vehementius super dexterum cordis sinum agendo sanguinem nimio impetu in pulmones adigunt, hæc vero arctibus vasa minima constringendo mala subinde intendunt.

Nil igitur aptius Aqua hoc in casu invenitur, quæ diluendo simul, & laxando rigores cito abrumpit, & citius alexipharmacis, & Analepticis sudores prolicit. Quare efficacior reddi potest Vini Rhenani additione. Monendum item est, ægrum, frictionibus ad corporis extremitates habitis, plurimum levari posse.

Anxietates.

Art. 57. In anxietatibus, quæ febrem comitan-

tantur, regimen calidius præscribere licet, quia cum eædem sæpius a spasticis constrictionibus, & a flatibus foveantur, utiliter Aromaticorum virtute adjuvantur.

Indicatio est contra anxietates: ut substantiæ saponaceæ dissolvendo sanguini aptæ adhibeantur: Utiles quoque sunt fructus maturi, plantæ (quædam lactiginosæ: ut lactuca, endivia &c. In primis vero mel & mellita laudantur.

Art. 58. In siti febrili: ne sit potus frigidus, quia frigidi liquores faucium, gulæque gladulas contrahendo, æque cito sitim non extinguunt, ut qui mediocriter calent; quare hoc in casu potu leviter subacido æger confortandus est, & quia omnia salia sitim augent, excepto nitro, ideo spiritus nitri dulcificatus ad hunc usum optime facit. Faciunt quoque decoctum album Avenæ, & Emulsiones, modo stomachi debilitas, & flatuositas absit; secus aqua pura cum vini Rhenani pauxillo præferri debet. *Sitis*

Art. 59. Nausea, & Vomitus ex gravioribus sunt febrium symptomatis, quia ægrum ita constituunt, ut nihil admittere intus possit, quare Vomitorio opportune exhibito sæpe hoc malum prevenitur, vel vomitu aliquandiu tepida excitato curatur. *Nausea & Vomitus.*

Quousque vomitus persistit, acida, & styptica, & acerba indicantur, quippe quæ stomachi fibras corroborant. Observatione quidem dignum est, ægros hoc in statu leviter acidis delectari, contra vero pingues oleososque liquores naturaliter adversari.

Hoc item symptoma frequentius cohibetur laxantibus, quæ alvo soluta biliosas fœces extrudunt. Sed attendendum est hoc in casu, & in quibusdam aliis ægrotantium appetitui, qui su-

hinde res quamvis inconcinnas expetendo: ut Sal, acetum, &c. ab iisdem tamen plurimum levantur.

Vomitus qui a biliosa saburra producitur, haustu sanatur acido, qui a putrida, omnigenis salibus tractari debet. Hoc autem in casu emulsiones cum cremore tartari, Vinum Rhenanum cum aqua, gelu ribesiorum, conserva cydoniorum, acetosa decocta in jure carnium optime conferunt.

Si Vomitus a copia pituitæ exoriatur aromaticis curabitur;

Si cum stomachi inflammatione vexet, pernitiosus est.

Flatus & spasmi. *Art.* 60. Flatus, atque spasmi a febris calore humorum particulas rarefaciente producuntur, quare anodynis, calmantibus, & refrigerantibus eidem obviam eundum.

Debilitas. *Art.* 61. Virium debilitas cum febre sociata principio morbi a vasorum repletione nimia exoritur, eodem vero declinante ab inanitione; quare binæ contrariæ causæ diversam curationis methodum exigunt. Priori casu evacuatio, & dilutio requitur, altero dandum est ægro plenius nutrimentum, & vini cum aqua usus permittendus, nec non aromata parva quantitate, gelatinæ, & juscula concedenda.

Calor. *Art.* 62. Temperatur demum calor Febrilis phlebotomia, quiete non solum corporis, verum maxime spiritus, aquosis, subacidis &c.

Inter legendum & ex observatione.

Frigus. *Art.* 63. Frigus in Febrium initiis oritur ex imminuta cordis contractione liquidis ad extrema fere stagnantibus; unde oriuntur, si diu maneat, *polyposæ* in vasis majoribus *concretiones*, & inter-

dum

dum mors subitanea insequitur; ideoque quo majus in initio frigus, eo periculosior est Febris. In peste incipiente frigus est summum. —— Optime curatur potu aquæ calidæ *nitrosa* cum pauco vino, *decoct. coccin. frictione blanda*, &c.

Art. 64. Calor intensissimus in Febribus & velut incendium cum magno & forti pulsu fere semper *venæsectionem* postulat; quandoque etiam *clysma leniens* calorem mitigat. Nimius sanguinis fervor & ebullitio *julapiis*, *emulsionibus* & *decoctis appropriatis* attemperandus est; sed apprime cavendum est, ne ex nimia attemperatione, spiritus elasticitate sua plus justo orbentur, & inde Febris ardens inopinato in *malignam* mutetur. *Calor.*

Art. 65. Febris *lipyria* dicitur, quando interiora uruntur, exteriora vero frigent; oritur ex *inflammatione visceris interioris valde sensilis*; algor autem non est tactu medici judicandus, sed ægri judicio, qui se algere dicit, & tegi jubet; tepent enim membra; hæc Febris brevi terminum absolvit, plerumque intra triduum vel quatriduum, & vix unus evadit, nisi statim ab initio occurritur. *Lipyria.*

Art. 66. Ad sitim in Febribus extinguendam melius est frequentius & parcius bibere, quam una vice multum ingurgitare; sequens est potus gratissimus febricitantibus; ♃ *Aq. font. cum pane tost. incoct.* ℔ij. *vin. rhenan.* ℔ß. *gelatin. C.C.* ℥ij. *syr. cydon.* vel *è succ. citr.* parum misce. Convenit etiam *decoct. ad sitim Fuller.* vel *decoct. coccin. ejusdem*. Gargarismata quoque usui esse possunt, ut *gargarisma commune Fulleri*, *decoctum rosarum* pro gargarismate, &c. Frequens ablutio oris cum simplici aqua multum confert ad sitim fallendam. Sitis (ut recte monet *Helmontius*) non oritur a calore, sed a defectu salivæ, *Sitis.*

 hinc

hinc guttæ aliquot *spir. sulphur.* plus levant sitim, quam integra mensura aquæ frigidæ; in eundem finem etiam conducunt *succi è vegetabilibus & fructibus, ut acetosæ, aurantiorum, limonum, citronum, ribium, berberum, cydoniorum*, &c. Præ cæteris commendabiles sunt hi succi per spontaneam residentiam post *sulphurationem* secundum *Helmontium* depurati, & in loco frigido asservati; *tamarindi* quoque optime conveniunt sitim leniendo, & alvum blande laxando; hæc vero *acida & refrigerantia* non sunt omnibus Febricitantibus indiscriminatim porrigenda, sed opus est maturo consilio: si enim præter sitim importunam adsit etiam summa debilitas, tum vinosa & spirituosa tutius propinanda sunt.

Jusculum avenaceum. *Art.* 67. *Ptisana* ex hordeo omnibus aliis sorbitionibus præfertur ab Hippocrate in lib. de victus ratione in acutis; & crebrior est ejusdem mentio apud veteres medicos; sed recentiores hordeo vitio vertunt ejus cruditatem ac flatulentiam, & *jusculum avenaceum* substituunt.

Siccitas linguæ & prunella. *Art.* 68. Siccitas & asperitas linguæ corriguntur *humectantibus*, & *lenientibus*. Febris cum *prunella* dicitur, quando lingua, crusta nunc albicante nunc nigricante obducta, colore nigricante puniceo apparet tincta; ipsa saliva infecta videtur esse maxima causa. In prunella præter *mucilag. cydon.* &c. conducit sequens gargarisma, ℞. *Liquor. è rapis coct. express.* ℔ß. *succ. sedi major. depurat.* ℥iij. *mellis despumat.* ℥j. *sp. sal armoniac.* q. s. m. Sequens quoque mixtura commodissima est, ℞. *Alb. ovi unius, fortiter* agitetur cum *aq. spermat. ranar.* ℥iv. *mel. ros.* ℥j. m. Ad linguæ etiam ardorem & siccitatem quandoque in usu sunt sequentia, viz. Mucilago sequens ℞. *Mucilag. cydon.* ℥ij. *pulp. tamarind. amyg. dulc. excort. ana* ℥j. *ol. sulph. per campan. gut.* xx. *syr.*

de

de rub. Idæo q.s.misce. vel decoct. ulmi Bat. gargarisma commun. Fuller. lohoch rub. vel lohoch vitellin. ejusdem.

Art. 69. Nausea & vomitus in Febribus, cum a crapula ortum ducant, leni *vomitorio* (*v. g. liquor. posset. cum foliis cardui benedict. incoct.* copiose ingesto, addendo inter vomendum bis terve *sal. vitriol.* ʒß. vel *lohoch. oxymel. scillit.*) tutissime curantur; ubi vero fermentum febrile ventriculum petit, & enormes vomitiones biliosas excitat, ut ægri vix quicquam vel medicamenti vel alimenti retinere valeant, imprimis convenit jusculum tenuissimum pulli affatim ingerere, & postea remediis appropriatis tonum ventriculi laxatum firmare; sequens Julapium est valde efficax, ℞. *Sal. absynth.* ℈iv. *succ. limon. reccens express.* ℥ij. misceantur & finita ebullitione add. *aq. cinamom. hord.* ℥iij. *menth. Stephan. ana* ℥i. *sp. croc.* ʒß. *ol. caryoph.* g. iv. *syr. Cydon.* ℥i. m. Interdum ad *laudanum* confugiendum est. Plura de vomitione sistenda videantur alibi. *Nausea & vomitus.*

Art. 70. In Febribus aliquando accidit *Diarrhœa colliquativa* magno ægrotantium damno, quæ evacuatio non naturæ vi, sed morbi potius impetu, & acrimonia turgentis humoris naturam stimulantis fit, adeoque *symptomatica* est, & sisti debet; convenit *decoctum album* pro potu ordinario; recte exhibentur *pulveres testacei absorbentes diaphoreticis admisti*, & postremo ad *diascordium, theriacam*, &c. deveniendum est. Enema sequens quandoque singularem præstat opem, ℞. *Fol. ros. rub. m.* ij. *coq. in lact. chalyb.* ℔ß. in colatura dissolv. *diascord.* ʒvj. m. f. enema diutissime retinendum. Hic etiam plurimum facit, mihique in frequenti usu fuit, *Enema de malicorio Fulleri.* In genere observamus in Febrium initiis alvum laxiorem quam adstrictiorem meliorem esse, in *Diarrhœa.*

progressum vero morbi pejorem. Unicum hic notatu dignum observare licet, nempe in diarrhoeis colliquativis in declinatione Febrium accedentibus, & diu, non obstantibus remediis quibuscunque adhibitis, perseverantibus, solam sorbitionem *jusculi pullini* prohibito omni alio victu & potu quocunque diarrhoeam brevi penitus tollere, & aegrum restituere, ut experientia me docuit.

Dysuria. *Art.* 71. Interdum Dysuria est symptoma molestissimum. *Emulsiones communes* effervescentiam humorum in Febribus ardentibus plurimum compescunt, & hoc molestissimum symptoma plerumque sublevare solent, ut etiam *ol. amygd. dulc. cum syr. de alth.* Dysuria ex applicatione vesicatoriorum in Febribus *gum. arab.* commode medetur, *soluto scilicet ad* ℥ij; *in decoct. hord.* ℔ij, pro potu communi. Emplast. epispastic. Fulleri est omnium longe optimum & certissimum. Operæ pretium esset fortasse, experiri vires *Camphoræ* intermiscendo ipsam in compositione epispasticorum, num stranguriam vel ardorem urinæ præcavere potis esset.

Sudor. *Art.* 72. Sudor in Febribus, qui vel morbi initio vel quovis alio tempore ante diem criticum, nec adhuc visis coctionis signis, profluit, est *symptomaticus*, & frequenter *colliquativus*, qui ægrotum gravat, & morbum exasperat; ideoque si modum excedat, arte, si fieri possit, cohibendus est. Prohibetur surgendo ex lecto; corpus a nimiis integumentis liberando; aerem frigidiusculum admittendo; a calefacientibus abstinendo; *leniter astringentia & blanda acida* capiendo, &c. egregiam vim in sudoribus sistendis habet *saccharum Saturni*.

Dolor capitis, &c. *Art.* 73. Immanis capitis, lumborum, vel artuum dolor in Febribus maxime in initio ut plurimum

rimum *Venæsectionem* postulat; manente nihilominus cum vehementia dolore injiciendum est *enema laxans*; fortassis levamen aliquale dolenti capiti conferre potest sequens epithema ℞. *Sem. papav. alb. parum contus.* ℥ß. *placent. rosac.* ℥j. *vitel. ovi unius*, *acet. sambucin.* q. s. misceantur super ignem, & f. epithema fronti admovendum, & sæpius renovandum.

Art. 74. Vigiliæ pertinaces in Febribus succurrendæ sunt, ne dissipatis spiritibus vires frangantur. Investiganda est causa vigiliarum; si a fervore & siccitate proveniant, conveniunt refrigerantia & humectantia; si a dolore, propriis remediis leniendus est dolor; non nisi necessitate coacti ad *opiata* confugemus. Obiter monendus est medicus, *ne criticis vigiliis*, *seu ab inquietudine critica suscitatis auxilium hypnoticis præbere satagat*. *Vigiliæ.*

Art. 75. Prædicto malo contrarius est *sopor nimius* in Febribus, seu *coma*, *sive assidua somnolentia*; quando sopor morbosus evadit, excutiendus est omni arte, ne calor nativus opprimatur; injiciendi sunt *clysteres acres*; *epispastica* variis partibus admovenda sunt, & *cataplasma de halecibus* sive *de raphan. Fulleri* plantis pedum applicandum; interne conveniunt *salia volatilia*, *cephalica &c.* *Coma.*

Art. 76. Pervigilium frequentissime est causa delirii, non ideo delirium *hypnoticis* curari tentandum est; nam id esset temerarium, sed indaganda est causa, & remediis appropriatis auxilium ferre, conandum est. Camphora (inquit *Quincy*) in delirio Febrium somnum conciliat opio neutiquam proficiente. Delirium Febribus iminere signum præbet, urinarum, quæ antea valde tinctæ erant & flammeæ, in tenues & aquosas mutatio. *Delirium.*

Art.

Spasmi. *Art.* 77. Convulsiones quoque interdum superveniunt, tremores item & affectiones spasmodicæ; in tali rerum statu diligenter expiscanda est causa horum symptomatum, unde medicus intelligat, quibus remediis internis opem ferre valeat, interim plantis pedum applicari possunt *duo columbi* pullive recenter mactati & per medios secti, vel toti pedes involvi possunt *calidis pulmonibus agninis*, *vitulinis*, vel *vervecinis*; renovari debent hæ applicationes saltem ter in die.

FEBRIS EPHEMERA.

D. Fizes sententia.

Ratio Nominis. *Art.* 78. FEbris hæc ita dicta fuit, quod per diem hoc est horas viginti quatuor durare soleat, extenditur tamen interdum ad diem tertium conclusive; cumque ulterius extenditur abit in synochum imputrem, aut etiam putrem.

Typus. *Art.* 79. Febris Ephemera ea est febris continuæ simpliciter brevis species, in qua pulsus magnus est, modice celer ac frequens, æqualis & mollis, calor mitis absque gravibus symptomatis, quæque intra diem, aut ad majus intra tres dies sua percurrit tempora.

Diagnosis. *Art.* 80. Febrem hanc non antecedit cibi fastidium, nec corporis lassitudo, nec horror, multave oscitatio, verum repente ea febris velut tota accedit cum calore, interim nullis febrilibus symptomatis notabilibus stipata est: qualia sunt capitis dolor aut ventriculi, nausea, vomitus, inquietudo corporis, æstus, immutationes in urina, & similia; solvitur brevi, interdum latenter sine manifesta ulla evacuatione,

sæpius

sæpius per copiosos halitus aut madores; aut per sudores, neque multos, nec fœtidos.

Art. 81. Causa hujus febris est materies febrilis constans particulis parum crassis, quibus admixtæ sunt, & laxe adunatæ multo copiosiores particulæ tenues, duræ, actuosæ, a quibus quidem sanguis exagitatur protinus, duciturque in rarefactionem non tamen impetuosam, quod sanguis vix spissior fuerit factus, ex qua rarescentia aliquantum difficile transit sanguis per vasa nonnulla minima incitatis simul ex tensione majori suscitata cordis & sanguiferorum viribus & adauctis, ex quibus sequitur frequentia pulsus modica & celeritas, magnitudo sine tensione tamen vel duritie, calor adauctus nec tamen æstuosus nec acer, neque symptomatum gravium productio, sanguine nimirum non ægre admodum per vasa minima transeunte, symptomatum siquidem febrilium gravitas a difficili eo transitu excitatur potissimum. *Causa proxima.*

His autem materiei febrilis particulis cum exigua insit viscositas, ea facile solvitur, particulæque eæ tenues motu sanguinis agitativo vel destruuntur facile, vel solutæ penitus per cutim cum diapnœ excernuntur, unde cito dissipata materia febrili febris brevitas ejusqne terminatio, aut modo insensibili, aut per halitus copiosos & madores, aut per sudorem aliquem suavem.

Art. 82. Causæ febris diariæ remotæ evidentes esse solent; eæ namque potissimum existunt: vigilia, sollicitudo, mæror, ira, solis æstus, lassitudo post exercitium immodicum, temulentia, inedia, & similia; quæ quidem causæ omnes febrem eam excitant, quatenus occasionem præbent, ut sanguis inspissetur leviter, simulque fiat aliquantum acrior, seu, quod idem est, *Causa remota.*

qua-

quatenus procreantur ab eis in ſanguine particulæ nonnullæ paulo duriores & magis activæ quæ omnes ſimul ſumptæ, ut materia febrilis, febris ephemeræ ſpectari poſſunt.

Febris ephemera ex præfatis cognoſci aut ſaltem ſuſpicari poteſt; neque enim de ea, niſi cum terminata eſt, Medicus certus fit, cum interdum talis exiſtimata continuetur in putridam, fit enim aliquando ut materia febrilis, tum in ſanguine, tum in primis viis deliteſcat gravis, cujus ſpiſſamentum non evolvitur niſi poſt dies aliquot, febrem acutam excitaturum, dum in principio partes tantum quædam ipſius mobiliores extricantur, ac ſine gravibus ſymptomatis febrem excitant, quæ imponit pro febre ephemera.

Prognoſis. *Art.* 83. Semper eſt abſque periculo febris ephemera, tum quod gravibus careat ſymptomatis, quod parum difficile fluere ſanguinem per vaſa minima, primaſque vias a pravorum ſuccorum apparatu liberas eſſe denotat; tum quod ipſius materia motibus ſanguiferorum ſpontaneis & motu ſanguinis agitativo evolvi facile & attenuari valeat per cutem deinde abſque moleſtia diſcutienda facile & ablegenda. Interea tamen cum circa febrem eam falli poſſit medicus, ut vidimus; ſuſpendendum eſt judicium ad tertiæ diei finem.

Curatio. *Art.* 84. Committenda eſt naturæ febris hujus ſanatio: hoc eſt ſanguiferorum motibus ſpontaneis & ſanguinis agitativo. Id unum tantummodo ab arte expetitur, ut nulla committatur culpa, qua in incepto opere natura turbetur; quapropter tota prima die relinquendus æger ſine alimento, potandusque aqua tantum, aut ptiſana aliqua diluente: ut infuſo capillorum veneris; ſi autem ultra diem febris protrahatur juſ-

cu-

cula ei exhibenda quoque erunt, interdicto omni alimento solido, ne ab eo pravi quidam succi in primis viis procreentur, qui febrem putridam excitare possent, nunquam enim in febre quacumque digestiones bene fiunt. Verum si calor paulo nimis adauctus perciperetur, vel aliquod accederet symptoma paulo molestum: ut capitis dolor aut aliud, sanguinem saltem semel mittere prudens foret, tanto magis quo cum febris ephemera corpora potissimum juvenilia & robusta aggredi soleat, ex tali evacuatione nihil detrimenti timeri possit. De cætero si iis observatis febris intra dies tres non dissipetur, tunc Medicus illud non esse febris ephemeræ genium gnarus inquiret per signa: an tunc febris synochus putris aut imputris existat, quo, ut infra docebitur, febrem quantocyus efficaciter impugnet. Imo si ante diem tertium signa putredinis manifestentur, succurret ut febri putridæ incipienti.

Hecqueti sententia.

Art. 85. Ephemera febris, juxta scriptorum judicium, ad spiritus magis quam ad sanguinis corruptionem spectare videtur; ast ephemera febris, quæ pauperes & operarios invadit, quamq; *Courbature Galli* vocant, ab imminuto fibrarum Tono exoriri evidentissimum est; quia ex diuturnitate laboris nervosæ fibræ debiliores factæ laxantur & flacescunt, unde solida debilitata, quantum par est ad circulationem sanguinis promovendam contrahi nequeunt. Est ergo in hoc morbo *virtus Systaltica*, cui incumbit omni præstare valetudinis conservationi necessarium, quæ inepta nanciscitur sanguinem deturbandi. Hinc eodem ubique stagnante molestiam parit, & impedi- *Quid sit Courbatura.*

pedi-

pedimentum iis partibus ubi remoratur, & sistit.

Signa. *Art.* 86. Sic talis Morbus, vulgo *Courbature* nuncupatus, ex lassitudine repente exorditur totum corpus tenente, quam rigores sequuntur, capitis gravitate & universali oppressione conjuncti, cum febre itidem calida, decem vel duodecim horis persistente, quæ demum sudore desinit.

Causa. *Art.* 87. Inordinata perspiratio præcipua *Courbature* causa videtur, nam a violentia exercitationum, & musculorum diuturno motu in operariis & pauperibus, sanguis per totum corporis habitum dispergitur, atque eo quidem promptius & facilius, quod solis ardor, ad modum succus cucurbitarum, eumdem ad externa attrahit. Accedit etiam ex negligentia & sæpius impossibilitate corpus mature obtegendi, ob loca humilia, humida, & insalubria, in quibus degitur. Cum cutis pori improvide constipentur, plurimum, quod perspirare debebat in sanguinis massam recidit, unde humore heteroclito gignito, adversus hunc natura insurgit, ut omnibus viribus ad externa corporis ableget, in quo conatu natura febris consistit.

Curatio. *Art.* 88. Generalis medendi methodus in hoc maxime sita est: ut videlicet spiritus animales compescantur, fibræ ad naturalem tensionem revocentur, & sanguinis quantitas in justa mediocritate detineatur. Sanguinis iminutio phlebotomia expeditur, cui remedio deinceps addi potest Emeticum temperatum, si forte corpus ægri succo alimentitio scateat, vel stomachus impeditus videatur ab impressione, quam vis humoris morbifici adtulit. Tunc enim hujusmodi vomitorium cum apto regimine h. e. humectante & demulciente eo quidem salubrius est, quo foret catharticum insalubrius.

Art. 89.

FEBRES INTERMITTENTES.

Art. 89. Febres intermittentes multiplicis ſunt generis; atque uſus invaluit eaſdem ſequenti ratione a ſe mutuo diſtinguendi: *quotidiana* dicitur ea, quæ eadem hora qualibet die revertitur; *Tertiana*, quæ redit quovis tertio die incluſive; *Quartana* quæ quarto quovis die incluſive. Si Febris quovis quinto die redeat *Quintana* dicitur, ſi ſexto *Sextana*, ſi Septimo, *Septimana* &c. Dantur etiam febres *Tertianæ duplices, vel triplices* dictæ, aliæ vero *duplices*, *tripliceſque Quartanæ*, quarum typus ſequenti ratione diſcernitur. *Plurium febrium intermittentium diſtinctio.*

Art. 90. *Tertiana duplex* eſt quæ binos eodem die acceſſus habet, poſtridie autem nullum, vel ſingulo die unum. Differt febris hæc a quotidiana, quia ſtatam acceſſus horam non habet; ſed ſecus ac in quotidiana primus tertio correſpondet, ſecundus quarto, & ſic deinceps. *Duplex Quartana* ea eſt in qua modo bini eodem die acceſſus ingruunt, duobus ſubſequentibus diebus omni acceſſu expertibus relictis, modo ſingulis diebus acceſſus adeſt, tertio ſemper immuni relicto. Quoad *triplices Tertianas & Quartanas* interdum bini acceſſus eodem die redeunt, interdum diverſis diebus; quod ubi contingit, obſervatur, priorem acceſſum correſpondere quarto, ſecundum quinto, tertium ſexto, atque ita deinceps.

M. I. G. Sententia.

Art. 91. Cujuslibet generis ſit febris intermittens a generalibus remediis ſemper initium ſumendum eſt. Quando febris locum non cedat, ſed pertinaciter inſiſtat, ut in Autumnalibus frequenter occurrit, remedium uſurpabitur methodice: ex Salibus, & Chinachina conflatum, *Ad febres intermittentes remedium.*

cujus præparationem alibi tradidimus. Eligere etiam ex sequentibus aliquod licebit, quod æqualis efficaciæ fore experientia probavit. ℞. *Chin. chin.* ℥vj. *Aloes succotrin. Rhabarb. ana* ℈ij. *Cinnab. natural. Lapid. Hæmat. ana* ℥ *sem. pulverent. simul & cum Syrup. absynt. q. s. f. Opiat.*, de quo capiat æger magnitudinem avellanæ quotidie mane stomacho jejuno, totidemque sero cubitum iturus, usque dum febris eum deserat, & per duos vel tres dies etiam post febris discessum continuetur. Hujus remedii præstantia commendabilis & specifica quidem est, maxime in quartana febre, quam nulla relicta noxa satis frequenter, sed aliis tractata methodis sæpe recurrentem, felicissime subigit. Potest etiam loco ejus sequens usurpari. ℞. *Nucis myrist. n. j. Alumin.* ℈j. *conter. simul & in cyath. Vini alb. gener. infund. per horas quinque; dein trajecta infusione propinetur tota dosis una hora ante frigoris accessum, & stragulis deinde æger probe obtegatur.*

Art. 92. Efficacius autem antifebrile, quod mihi perspectum est, sequens ipse reputo. ℞. *Ran. virid. q. v. quibus intra duobus testis quarum junctura pasta obturantur probe ad ignem exsiccatis fiat pulvis subtiliss.* per setaceum vel potius sericeum trajiciendus. Porrò ℞. *Rad. Cichor. sylv. Malv. Apii*, quibus exsiccatis subtilissime itidem seorsim conterantur. His præstitis ℞. *Pulv. suprad. Ranar. virid. unc. i. pulv. rad. Cichor.* ℥ *sem. pulv. rad. Malv. Apii ana* ℥ij. *misce*. Hujus pulveris dosis pro infantibus est ℈i. pro adolescentulis ℈ii. & ab ætate annorum 20. usque ad 60. est ℥j. Sumitur in cyatho dimidio sp. vin., cui vix ac pulvis subsedit, additur tantumdem aquæ, quibus recte agitatis fit haustus, & os postea aceto & aqua abluitur. Tum æger Ptisana utatur

tur ex radicibus cichorei sylvest. & glycyrrhizæ tantum, quousque in dicti remedii usu perseverat. Prima remedii dosis stomacho jejuno hauritur, bihorio vero elapso jus carnium vel Ptisana, trihorio post altera remedii dosis & bihorio iterum elapso Ptisana, trihorio demum post tertia remedii dosis, atque itidem tertio elapso tihorio ptisana. Ægrum fas est, cibum consuetis horis assumere, sed postridie dabitur ei jejuno remedium, & trihorio elapso ptisana; postea cibum capiet, & die vesperascente alteram remedii dosim hauriet, & trihorio post ptisanam. Sic quoque tertia die semel tantum horis matutinis & stomacho jejuno remedio fruetur, & trihorio elapso ptisana. Pro certo habendum nullam dari intermittentem febrem etiam in locis palustribus, & coenosis, ut illud est Zelandiæ, præcipue vero quartanam, ut'ut contumacissimam, quæ huic remedio non cedat. Cavendum tamen a Lacticiniis, Butyraceis, Caseosis & Saccharatis.

Art. 93. Alterum remedium pro omnibus intermittentibus tanto mirabilius, quo simplicius, quodque ut plurimum sanat, malum citreum est. Hoc sub frigoris febrilis accessu nullo adempto cortice devoratur, tum æger stragulis obtectus ad sudandum decumbat.

Art. 94. Vino modice utendum est semper aqua diluto, non solum in febribus intermittentibus, sed in continuis etiam remittentibus, etsi aliquid de malignitate participent. Id omne, quod ab eo impendere potest, levis est tantum capitis circumgyratio, aut mentis alienatio, quæ symptomata, utpote leviora & fugacia, non prohibent, quin prædicto modo vinum usurpetur; etenim ægri molestæ ab utili- *Quomodo dandum vinum febricitantibus.*

tate, & commodis inde emanantibus affatim compensantur.

Externa remedia ad febres. *Art.* 95. Quoad Topica sive remedia externa quorum nonnulli in curatione intermittentium febrium virtutem celebrant, duorum hic meminerimus, quorum vis ceteris præstat. ℞. *Cortic. Allii, Croc. Piper. Sal comun. Fuligin. q. v. f. pulv. Acet. subigendus, quo in pastam redacto quartus digitus utriusque manus singula die, qua febris iminet, obvalvatur.*

Art. 96. Aliud Topium ℞. *Salv. tenuis man. i. Sal. comun. man. i. contund. simul additaque aceto, quantum ovi cortex capere potest, & tantundem Fuliginis durioris & splendentis, diu misceantur omnia, atque addito demum ovi albumine f. emplastrum, carpis utriusque manus applicandum.*

Art. 97. Hujusmodi externa remedia interdum effectum obtinent, sed iis plurimum non est fidendum. Præstantius, quod adhiberi potest, Theriaca est, qua in spiritu vini dissoluta, eadem in accessu frigoris spina dorsi confricatur, ubi febris intermittens est; sed in continuis febribus ad vitanda deliria plantis pedum pasta farinæ plurimum fermentata, & aceto soluta admoveri potest. Monendum tandem est, ne hujusmodi topicis antifebrilibus manus admoveatur, nisi generalibus adhibitis remediis, secus vero aut recidivæ periculum impendit, aut febris in immodicam longitudinem protrahit.

Morbus febrim producens primo curandus. *Art.* 98. Observationem demum non prætermus, quodsi febris a quovis alio morbo producatur: ut a Diarrhœa, Dysenteria, Pleuritide &c. danda est opera præcipuo morbo, febre quodammodo prorsus despecta; siquidem eodem adempto febris etiam simul subtrahitur, & sponte sua, rite sanato priore morbo, eadem conquiescit.

Mor-

Mortoni sententia.

Art. 99. FEbris intermittens est calor præternaturalis in sanguine accensus ab insolita spirituum expansione statis periodis redeunte; in hac autem Febre algor, rigor, calor, & sudores se invicem excipiunt; adsunt etiam in paroxysmo ægritudo universalis, nausea, & vomitus, dolor capitis, lumbago, &c. Paroxysmus quidem acutus est, morbus vero ipse ut plurimum plus minus chronicus. Febris intermittens simplex facillimè cognoscitur; ultro enim sese in conspectum dat: quotcunque autem sint ejus varietates (h. e. quotidiana, tertiana, quartana, &c.) *fermentum morbificum* omnium idem est, & viribus *corticis Peruviani* certo ac cito cedit. *Definitio Febris intermittentis.*

Art. 100. „ Species Febrium intermittentium „ communes sunt: *quotidiana, tertiana, & quartana simplex; quotidiana, tertiana, & quartana duplex; semitertiana,* &c. Sunt etiam Febres intermittentes quinto, sexto, vel septimo „ die recurrentes. Contigit mihi in praxi videre fœminam per integram septimanam Febre „ laborantem, deinde proxima septimana omnino liberam; atque ita alternis septimanis febricitantem, & alternis apyrexiam habentem, „ idque per longum tempus. Cortice Peruviano curata fuit. „ *Species Feb. intermitt.* *Historia rara.*

Art. 101. Neque venæsectio, neque vomitoria, cathartica, aut diaphoretica, neque aliud quodcunque remedium in paroxysmo exhibitum aliquid ad curationem hujus morbi promovendam conducere observantur; a justa dosi vini benedicti trihorio ante tertium paroxysmum expecta- *Curatio.*

tum exhibita, sæpius Febrem tertianam curatam novi. *Antimonium diaphoreticum* paulo ante adventum paroxysmi datum interdum morbum tollit; *Sal absynthii* febrifugum audit, & sequentem haustum usu comprobavi, ℞. *Aq. card. ben. theriacal. stillat. ana* ℥ij. *sal. absynth.* ʒß. *syrup. limon.* ℥iß. *misce*; sumat æger dimidiam partem trihorio ante paroxysmum, & reliquam in primo insultu. „ In Febribus intermittentibus (inquit Dolæus) pro singulari secreto mihi est *lapis Lazuli* a ʒß. ad ʒj. cum spiritu vini ante paroxysmum traditus. „ Efficacia plurimorum amarorum (antequam vires *corticis Peruv.* satis exploratæ fuissent) experta fuit: uti *absynthii*, *cardui benedicti*, *rad. gentian. flor. chamæm.* fere specifica, & privatim *decocti amari febrifug. seq.* ℞. *Fol. matricar. card. ben. absynth. summit. centaur. min. flor. cham. ana* mj. *sem. card. ben. citr. ana* ʒj. *sal. absynth.* ʒiſs. *coq. in aq. font. q. s. ad* ℔iſs. *dosis* ℥iij. vel iv. quarta quaque hora extra paroxysmum. Item pulvis febrifugus sequens; ℞. *flor. cham. subtilissime pulverizat.* ℈j. *antimon. diaphoret. sal. absynth. ana* ℈ß. m. f. pulvis pro una dosi quarta quaque hora extra paroxysmum, utilissimus est quidem iis, quibus vires corticis defecerunt, vel quando ob ἰδιοσυγκρασίαν non possumus exhibere. In confesso est his & hujusmodi remediis Febres intermittentes æstivo tempore quandoque curari: *Cortex* vero *Peruvianus* consensu medicorum (hodie omnium) est *catholicum febrifugum*; quod omnes Febres intermittentes, in quavis anni tempestate, in omni ætate, & temperamento, penitus, cito, tuto, & feliciter sanat: neque opus est, ut medici ingenia sua amplius torqueant in aliis febrifugis explorandis. „ Cortex Peruvianus sudorem omnino nullum excitat; tan-

Cortex Peruvianus remedium polichrestum.

„ tum

„ tum omnigenas concoctiones e vestigio emendat, sine ulla sensibili evacuatione, nisi aliquando alvum aliquoties, idque leniter admodum moveat. Modus exhibendi nunc dierum omnibus innotescit. *Hactenus* de Febribus intermittentibus simplicibus.

Art. 102. Symptomata vero Febrium intermittentium *spuriarum* nonnumquam sunt perquam vehementia, & typus Febris ipsius in variis suis stadiis sub larva vomitionis, diarrhœæ, doloris alicujus gravissimi, &c. absconditur. A periodica symptomatum vehementium exacerbatione & remissione, nec non ab urina lateritii coloris verus morbus potissimum dignoscitur: alios etenim morbos frequentissime simulat, unde arrepta occasione, creantur nunc hæc, nunc illa gravissima symptomata, vomitiones, diarrhœæ tormentosæ, cholera morbus, colica, dolores lateris punctorii, tanquam pleuritici, ophthalmia, apoplexia, hemicrania, spasmi universales, vel particulares, dolores nephritici, *&c.* „ Item *dolores parturientium æmuli.* In fœmina quadam hujusmodi dolores, alternis diebus recurrentes, duobus vel tribus a partu septimanis accedentes semel ipse observavi, idemque ab alio observatum fuisse audivi. Et (quod rarius adhuc videtur) *dolorem unius cruris* periodice revertentem in homine quadragenario semel in praxi adnotavi: dolor fuit vehementissimus per 24. interdum per 30. horas durans, unde ingens intumescentia totius membri superveniebat; tumor cruris erat quasi partim *flatulentus & partim œdematosus*, qui non nisi longo post tempore fasciatione ad pristinam dimensionem redactus fuit. Ambo hi ægroti cortice Peruviano sanati fuerunt.

Febris intermittens spuria.

Art. 103. Versatilis quidem est horum affe- *Curatio.*

ctuum Proteiformium genius, sed ab uno eodemque fermento pendentes omnes, unica antidoto, nempe *cortice Peruviano*, cum prudentia adhibito, facile profligantur.

Prognosi. *Art.* 104. Nemo unquam a Febre intermittente interimitur, nisi in primo paroxysmi stadio, durante, scilicet, algore ex spirituum oppressione orto. Febres intermittentes, ubi valde chronicæ evadunt, viam sternunt ad alios morbos maxime funestos.

Historia. *Art.* 105. „ Sequens historia inter casus oppido raros merito recenseri potest. Paucis abhinc annis Vvincauntioniæ in agro Somersetensi mortuus est senex, Theologus, nomine *Bulgin*; hic annum agens trigesimum quartum in Febrem intermittentem quotidianam incidit, quæ per totum vitæ cursum (dictu mirabile, verissimum tamen) per sexaginta scilicet annos, usque ad vitæ in extrema senectute terminum, duravit. Febris cum frigore præeunte, calore & sudore succedentibus per diuturnum istud spatium, utcunque non semper cum eodem sævissimo impetu, constanter tamen, quotidie illum invasit. Postremo *senio* potius quam morbo confectus nonagesimum quintum agens annum obiit. Hæc narratio a filio & filia prædicti senis adhuc viventibus, fidei indubitatæ ambobus, renunciata est.

FEBRES INTERMITTENTES. cum Caro.

VVerlhof sententia.

Art. 106. EX tertianarum genere fuerunt omnes, in quibus id quidem Febrium symptoma observavimus, vel observatum comperimus, simplices aliæ, aliæ paroxysmo secundario adscito duplices, quamquam *Galenus* soporem quotidianæ maxime proprium esse notat, & *Forestus* Carum ex quartana memorat. Tempus quo id contingit, in tertium primariæ accessionis paroxysmum, sive diei morbi quintum, aut ubi accessiones valde anticiparunt in quartum incidit: nonnullos serius afflixit. Fuit sane hoc ipsius febris & paroxysmi symptoma, qui cum aliquo sensu consuetorum motuum, justo tempore plerumque incœpit, statim deinde interdum, alias vero nonnisi sensim, & cum incremento accessionis, sopore illo accedente, & increscente. Pulsus in plerisque frequens, in unico per novem ante mortem dies continuos apoplectico tardissimus, in quibusdam exantlato quidem tempore paroxysmi, non autem ipso affectu soporoso, naturalis, in multis durus fuit, & intermittens. Verbis sanè *Eugaleni* ejusmodi accessionem describere licet: *profundo somno, caro scilicet correptus absque omni sensu ac motu jacuit, ut ne digitum haberet, quem dimoveret, & sola respiratione a mortuo differret*; hæc autem plurimis ore hiante singultim, & cum stertore fiebat, quo maxime indicio apoplexiam a Caro, gradu ad illam proximo, dirimere solent Auctores: *Nullis vellicationibus excitari atque revocari ad se potuit, & si*

Carus cum intermittentibus sociatus.

si post vellicationes punctionesque, vel post phlebotomiam, scarificationes, sternutamenta, clysmata acria, cauteria, *leviter aliquando oculorum palpebras attolleret*, *statim tamen rursum illæ connivebant*; interdum inæqualiter, ut altera semiclausa appareret, vel manebant immotæ & apertæ sine visionis sensu. *Idque malum quibusdam in singulis febrium accessionibus recurrebat*, *iisque desinentibus sponte solvebatur*, *etsi obtusiores tum quoque sensus viderentur*, *neque plane integri*, *sed quodam quasi stupore præoccupati*: paroxysmo etiam deinde gravius in dies affligere solito. Nonnullis prima statim vel altera talis accessio exitio fuit. Aliqui evigilarunt quidem finiendi paroxysmi tempore, sed diutius longe, quam ante hunc laborantes, magis alii, alii minus: continue febricitantes, somniculosi, magno stupore, immo interdum veluti catoche, seu catalepsi affecti delirantes, anxie, & assidue micturientes, motibus vel haud voluntariis, vel anxiis jactati, dextro latere interdum, tanquam ab hemiplegia immoto, vel parum mobili. Hi vero sub ingressum novi paroxysmi plerumque sopore iterum, immo sæpe apoplexia insanabili correpti, sub eo ipso vel quod paucioribus evenit, post aliquot demum dies, sensim exspirarunt. Complures mature satis advocato Medico, posteaquam medicina & tempore excitati fuerunt, melioris, & præcipue longioris remissionis, aut intermissionis participes facti, medicamentis generosis ab instante paroxysmo, & mortis periculo vindicati sunt. Pauci sine ejusmodi remediis, sponte naturæ, post toleratos aliquot paroxysmos soporosos, sub longo languore febris intermittentis, variorumque symptomatum, vel convaluerunt sensim, vel consumpti, aut relapsi, atque extincti sunt.

Art.

Art. 107. Unicum mihi visum est exemplum in mulierculia sexagenaria, quæ quidem extra accessiones aliquantulum, post externa remedia, sensuum vigorem recepit, medicamenta vero nulla admisit, & nihilominus tandem, diu misere conflictata, rediit cum sanitate in gratiam. *Casus.*

Art. 108. Neque vero ullum ex remediis, quæ febrifuga audiunt, in tam ancipiti rerum statu, certum satis fidumque comperimus, præter unum illum Corticem Peruvianum sive Chinchinam tantopere multis invisam. Ejus vero virtus omnium manifestissima in restituenda subito oeconomia corporis, horrendis symptomatibus per paroxysmos turbata, excitare potius ad rectum usum detegendum, vel confirmandum, & contra abusus muniendum, cordatos medicos deberet, & imperfectis de modo agendi ideis, ad vituperandum hoc divinæ providentiæ munus, & castrandam generoso præsidio materiam medicam febribus medentem seduci non patimur. *Corticis Peruviani in his febribus præstantia.*

Art. 109. Atque in hoc quidem, de quo scribimus, rerum statu pulverem corticis electi subtilissime tritum, in substantia, quod dicunt, longe quippe, ut in confesso est, & in vulgus notum, efficacissimis omnibus anteponimus præparationibus pharmaceuticis, & chemicis, quas ipsi magni alioquin æstimamus. Exeunte igitur, & in intermissionem, immo vel remissionem satis observabilem terminato paroxysmo, facta vel omissa pro indicantibus evacuatione, drachmam integram pulveris tertia, immo vel altera quavis hora exhibuimus, quocunque modo minime nauseoso deglutiri commode potuit, ut uncia una aut etiam amplius in accessionum intervallis assumpta, vel penitus instantia symptomata averteret, vel minueret certe, & pericu- *Modus usurpandi.*

lum amoliretur. Et longe tunc profecto tutius major hæc, & repetita, quam exigua, & vano medicamenti timore, refracta, & rara dosis, aut nescio quibus correctionibus castrata, præbetur. Quicquid enim metuendum est, id non a corticis particulis naturæ amicis, sed a perniciosa materia morbosa est metuendum, si incassum imbelli remedio tentata fuerit, proximo forte paroxysmo jugulatum relinquet ægrum, quem servare potuisset. De hoc morbo sane verum est, quod poeta de animo iracundo canit:

—————————— *nisi servit.*

Imperat: hunc frænis, hunc tu compesce catenis.

Quandiu continuandus. *Art.* 110. Declinante accessione repetendus est statim cortex, nullaque alia medicina, nisi quid urgeat, interpolatus, in notabilium paroxysmorum intervallis tertia vel quarta quavis hora dandus, neque desistendum est prius quam paroxysmi fugati sint penitus, & æger cum sanitate in gratiam rediisse videatur: adjuvante optima diæta, & quam primum fieri potest, moderato motu in aere liberiori, puriorique. Pulsus æquabiliter perpetuo bonus sit, lingua sana, urina qualis per sanitatem consueta, vel solito limpidior aliquantum, & copiosior, appetitus naturalis, vel naturali acrior, nullus dolor, nulla functionis turbatio, quæ sub febris acciderunt, præsertim per intervalla paroxysmorum, affligat amplius, lassitudo corporis quasi ulcerosa, & cutis color febrilis evanuerit, antequam a continenti corticis usu desistas. Atque hæc, si, quid in arte certi est, certissime ita evenient intra unius plerumque, vel saltem alterius hebdomadæ decursum. — Imminui dosis periculo superato potest, sed non facile, his quidem in casibus, ubi vitæ periculum instans adfuit, infra scrupulum unum, vel drachmam dimidiam vel quan-

quantum fere æquipolleat decoti aut infusi ter, quater, quinquies, vel sexies, si fieri potest, quotidie assumendum.

Heisteri Sententia.

Art. 111. Speciatim vero *sitim, æstumque nimium moderantur*, ac simul sanguinem spissum attenuant, acremque temperant, partim *sufficiens potus aquosus*, ut Infusum Theæ, Coffeæ, veronicæ, card. bened. præsertim in principio paroxysmi, aliaque similia: item *cerevisia tenuis* cum pauco nitro vel frustulis dissecti pomi citri adjectis. Vel præsertim in progressu paroxysmi, aut ejus declinatione, quando cum primis ægri potum calidum aversantur, *decoctum hordei citratum*, aut blande acidulatum, v. g. spir. sulph. vitriol. vel syrup. citri, ribesior. berberis, vel cerasor. acid. vel etiam aqua simplex pane tosto alterata cum vel sine frustulis citri; vel syrupo acidulo q. s. ad gratum saporem, vel aqua simplex cum pauco vino & saccharo, additis vel omissis citri frustulis; partim *mixturæ diaphoreticæ* ex aquis destillatis temperatis, cum pulveribus temperantibus, & leviter diaphoreticis, pro materia vitiosa febrili cum corrigenda tum e sanguine expellenda: ut Lap. cancr. antim. diaphor., aliisve temperantibus jam *alibi* laudatis, addito syrupo quodam grato ex modo laudatis. Quibus ita, una cum *diæta parca* & tenui, per aliquod tempus rite usurpatis, hæ febres, præsertim vernales, post aliquot paroxysmos, intra quatuordecim dies, vel citius quam optime sæpe solent profligari. *Uberior febris & symptomatum curatio.*

Art. 112. Quodsi vero intra hoc tempus non fiat, primæ tamen viæ bene prius purgatæ, & vitiosi humores ex parte correcti sint, tunc ad *Specifica antifebrilia.*

speci-

ſpecifica antifebrilia id eſt, febrim peculiari virtute ſiſtentia accedendum eſt, qualia plurima laudantur, & inter hæc maxime *ſpecificum antifebrile Crolii*, aut *Strobelbergeri*, itemque *Regulus Antimonii medicinalis*, aliaque ſimilia terrea ad ʒj. bihorio vel trihorio ante paroxyſmum exhibita, commendantur. Ita & *mixtura febrifuga Crolii* ex aquæ cardui bened. unc. ij. Sal. abſynth. ʒ. ſ. ſucc. citr. ʒiij. conſtans, vel in robuſtioribus ex Sal. abſynth. ʒj. & ſucc. citr. ʒiv. aut Eſſent. abſynth. ʒj. cum Eſſent. vitriol. ℈. ſem. ante acceſſionem ſemel iterumque data, ſæpe juvat. Præterea omnia *ſalia neutra* præcipue vero tart. vitriol. arcan. dupl. Sal digeſtiv. Sylv. Sal armoniacum, Sal antimoniatum &c. nec non *ſalia fixa* majori paulo doſi & ſæpius exhibita febres has ſæpe profligant. Quidam *alumen* vel per ſe ad ℈j. vel ʒ. ſem. vel cum N. M. part. æqual. datum valde extollunt, ſed ob nimiam, adſtrictionem, & inde metuenda mala, valde ſuſpectum eſt; id quod & de *pulvere galarum*, qui a Gallis in Acad. Reg. ad ʒj. valde laudatur, ſentiendum eſſe puto.

Nonnulli *piper* quoque præſertim phlegmaticis ad grana xx. & ultra; alii *piper hiſpanicum* vulgo dictum, ex ſpiritu vini aliquoties ſumptum valde commendant, quæ vero ob fervorem nimium facile præſertim imbecillis nocent, & calorem præternaturalem, vel alia mala inducunt.

Alii *Nucem Vomicam*, & huic affinem *fabam S. Ignatii* a gr. v. ad x. vel ſolam, vel cum aliis mixtam, & ante acceſſionem datam magnopere laudant; alii *vitrum Antimonii*, immo ipſum *arſenicum* ad gr. j. vel ij. immo gr. iij. pro ſpecifico euporiſto habent; quæ vero tanquam violentiora & venenata, aut ad naturam venenorum quam proxime accedentia, non facile, &

forte

forte non nisi in casu necessitatis, ubi securiora nihil præstarent adhibenda. *Flores chamæmali* contra in decocto, quam in forma pulveris aut electuarii, larga dosi propinati, securissimi sunt, & multum sæpe in febribus hisce debellandis præstant. Ita & *radix pentaphyli* aut *Imperatoriæ* aut *gentianæ* vel & *cortex cascarillæ*, vel cortices aurantiorum in pulvere vel electuario larga & sæpe repetita dosi, febres has egregie, & tuto sæpe tollunt. Id quod etiam non raro *crocus martis antimoniatus*; quem Stahliani valde extollunt perficit, itemque *pilulæ Vvildegansii* dictæ. At si securiora ex his debitum effectum non præstant, sicuti sæpius contingit, aut certioris effectus causa omnibus illis tamquam minus certis uti nolumus, ne scilicet ægri nimis diu a febre torqueantur, *corticis peruviani* sive *chinæ chinæ* legitimus usus (licet multis adeo exosus sit, & multa obloquantur) intermittentes quascumque certo & tuto etiam profligat.

De Gorter sententia.

Art. 113. Quæ medicamenta febris causam extinguunt *Antidota* vocantur. Febris vero continuæ causa, quæ non fuit ex intermittente orta, nullo mihi cognito medicamento extingui potest, at vero in intermittentibus varia summa laude extolluntur. Quid non Riverius in suis observationibus prædicat de febrifugo suo ad gr. xx. exhibito, quod alvum movet, & quandoque vomitum, quamvis præparationem alto silentio supprimat? Quibus encomiis non extollitur Sal Ammoniacum & ejus spiritus? neque *Gentiana* neque *Chamæmelum* auctoritate carent; Imo Alumen, aliaque adstrigentia celebrantur. Omnibus tamen palmam præripit *Cortex Chinæ chinæ*: *Antifebrilia.*

Expe-

Experientia in his omnibus est consulenda. Si autem quis invenerit tutissimum & promptissimum, ægrotantium saluti confectare velit exopto. Ego vero in multis horum, licet omnem cautelam adhibuerim, raro felicem successum obtinui, nisi quandoque in sale Ammoniaco. Verumtamen numquam tanto successu, quanto in Cortice Peruviano, hujus ergo usus paulo altius inquirendus.

Cortex Peruvianus. *Art.* 114. Multa accepit hic Cortex nomina, omnium frequentissime cortex *China china*, vel *Kina-Kina* & *Peruvianus* ex arboris & regionis nomine, item *pulvis patrum* quia Patris e Societate Jesu Romæ pauperibus gratis eum largiebantur; etiam pulvis *Cardinalis de Lugo*, quia primus ex India in Hispaniam eum transtulit.

Nativitas. *Art.* 115. Crescit hæc Arbor in America Peruviana circa Loxam in montis cacumine, non valde procera est, ornatur floribus albis & cœruleis, foliis instar prunorum, & seminibus quasi cucurbitæ; neque in his, neque in ejus transudante resina tanta vis febrifuga invenitur, quanta in cortice.

Electio. *Art.* 116. Eligendus recens, vegetus, non admodum crassus, a ramulis derasus, facile terendus, odore peculiari grato, saporeque aromatico amaro, atque colore cinnamomi, præditus.

Art. 117. Inclaruit ejus virtus primo in Regno Peruviano 1616. brevi post iterum suppressa, at majori studio exculta iterum 1648. multa tamen passus est dein fata, quæ lites hucusque nondum compositæ sunt.

Usus. *Art.* 118. Usus Corticis primarius est in febribus intermittentibus puris, atque symptomatibus obstinatissimis ex febre intermittente productis

ductis; atque etiam in febribus continuis, ex causa intermittentium natis: extinguit enim febris intermittentis causam, sine sensibilis evacuationis augmento, verum omnibus ex phænomenis insensibilem perspirationem augere videtur, qua via forte subactam materiam educit, quum aliis in evacuationibus nullum præbeat indicium. Si vero simul hæreat cacochylia in primis viis, ea primo purgante, vel emetico educenda, si plethora urget, venæ sectione minuenda, sed tunc statim exhibendus, priusquam vires detritæ non possent in actum ducere medicamentum; quando frustra sæpe præscribitur, majori dosi exhibendus, ut observatio docuit.

Art. 119. In aliis præterea morbis quandoque, sed tamen minus certe, multa præstat, ut in debilitato tono solidorum, hystericis, hypochondriacis, ventriculi inappetentia, atrophia ex nimia humoris evacuatione, chlorosi, Leucophlegmatia, hydrope, vel podagra enervatis; epilepsia, & convulsionibus istis, quæ ex inanitione excitantur, hemicrania, aphtis, & singultu in fine febris, si in longum tempus protrahantur, atque omnibus symptomatibus a febre intermittente relictis, egregium etiam inter roborantia, sua leni adstrictione, & amaritudine meretur nomen.

Art. 120. Prudens vero Medicus ejus usum intermittet aliquandiù, si ipsa febris intermittens inveteratum malum expellere possit; aut si aliquid prius sit educendum. Quandoque etiam coacti sumus ob vehementiam febris statim exhibere corticem, & dein educere humorem malignum, summo cum successu; præstat enim mutare methodum, quam ut, nimis religiose servata Methodo, pereat æger.

Art. 121. Ejus usus non modo suspectus, sed *Abusus.*
etiam

etiam damnandus in febribus symptomaticis, humorum putredine, acrimonia scorbutica, pure latente, melancholia biliosa, cacochymia, bile acri adusta, inflammatione, erysipelate, multisque febribus epidemicis, & pestilentialibus, ab acri inquinatione, atque in omnibus febribus acutis continuis; febris enim intermittentis causam, non vero continuæ extinguit.

Præparatio corporis. *Art.* 122. Antequam exhibetur, non est opus ulla præparatione, nisi in primis viis hæreat cacochylia, quæ educenda est; omnes enim evacuationes, aliaque, quæ corpus debilitant, actionem hujus febrifugi minuunt; si vero alvus nimis laxa sit, vel vomitus urget, compescenda prius; ingressum enim corticis in vasa lactea impediunt.

Exhibendi tempus & dosis. *Art.* 123. Tempore Apyrexiæ, vel quando ea adesse debebat, incipiendus, & continuandus singulis vel alternis horis ejus usus ad semidrachmam vel ultra pro dosi, donec redeat paroxysmus; continuandus finito paroxysmo, donec cedat febris, quæ quandoque uncias duas, vel tres exigit, præprimis si corpus fuit debilitatum, vel si quartana in continuam fuit conversa: verum tertiana quandoque drachmis duabus cedit. Licet unica vice ad unciam sumatur, nulla inde fuit facta molestia, & tamen sine recidiva curata fuit quartana, & plusquam semel vidi in ægris, qui suo periculo una vice integram quantitatem, partitis vicibus assumendam, devoraverant, ex quorum imprudentia didici, non opus esse, ita timide dosin definire. Verum in aliis morbis §. 100. sufficit, si quotidie ad semidrachmam vel drachmam unam assumatur. Hoc tempore non est opus, æger rigidissima inedia vexetur, aut calidiori regimine, imo jugis decubitus in lecto remoratur operationem; sed commen-

mendet modo alimenta facilis digestionis. Nihil praeterea addendum cortici, nisi aliquod symptoma talia exigit. Saepe addere debemus anodynum, vel adstringens, quia alvum quandoque laxat: verum purgantis admistio ejus minuit vires. Praescribitur omni forma: pilularum, electuarii, infusionis, decocti, clysmatis. Sed simplex dosis in substantia tantum valere solet, quantum duplex in infusione.

Art. 124. Fugata febre nihil moliendum; nisi quod continuetur per mensem quotidie assumere semidrachma ejusdem corticis aut unica per 14. dies; ita enim metus recidivae evanescet. Si purgante vel vomitorio vexetur aeger, brevi a febre curatus, ut plurimum febris recidivat. Quia vero curata febre ut plurimum nimis augetur appetitus, cavendum est, ne aeger se alimentis repleat, sed modicam servet diaetam. Ita tuto, & felicissime curatur febris, sine recidivae periculo. *Quid postea agendum.*

Farrago sententiarum.

Art. 125. Post accuratum examen totius historiae Febrium intermittentium causa proxima constituitur *viscositas* liquidi arteriosi, superveniente dein causa quacunque velocioris, & fortioris contractionis cordis, atque resolutionis ejus, quod stagnaverat. *Boerhaave.* *Causa proxima Feb. intermittentium*

Art. 126. Galenus hac methodo curavit quartanas; primò propinavit vomitorium, die sequenti dedit *succum absynthii* bibendum, & denique bihorio ante paroxysmum dedit *theriacam*. *Galeni methodus in quartana.*
„ Sed his adminiculis tutò inniti nequimus. Fe-
„ bris tertiana veteribus, quibus vires antidoti
„ Peruvianae ignotae fuerunt, curatu erat valde
„ difficilis, & quartana opprobrium medicorum

 audie-

„ audiebat; at hodie secus esse nemo non noscit: „ quo enim longius recedunt intermittentium „ paroxysmi a naturam Febrium continuarum, „ aut quo majus est intervallum inter acces- „ siones, eo minus periculi ab illis impendit; „ quoniam amplior est locus commodiorque cu- „ rationis.

Epithemata. *Art.* 127. Epithemata & pericarpia quandoque prosunt Febribus intermittentibus abigendis; ejusmodi est *Emplast. febrile pro carpis D. Michaelis* ℞. *Fulig. furni splendent.* ℥iß. *terebinth.* ʒvj. *tel. aranear.* ℥ß. *camphor.* ℈ij. *ol. scorpion.* q. s. m. f. emplast. pro carpis. Mortonus duo sequentia ex propria experientia commendat. ℞. *Pulv. oliban. terebinth. venet. ana p. æ. f. pericarpia.* ℞. *Fol. chelidon. maj. rutæ ana* m. j. *fuliginis e lignis combustis, sapon. venet. salis marin. ana p. æ.* cum aceto acerrimo f. massa, &c. „ *Empl. rubrum febrifugum* sequens scrobiculo cordis applicatum in te- „ nelis infantibus frequenter prodesse deprehen- „ di. ℞. *Thur. subtilissime pulv.* ʒv. *minii* ʒj. *ol.* „ *olivar. q. s. f. empl.*

Enema febrifugum. *Art.* 128. Qui *corticem Peruvianum* ore assumere pertinaciter respuunt, curari possunt cum enematibus ex ejusdem decocto; istiusmodi est *enema febrifug. Fulleri*; sed pueris certius solet opem fere quam adultis.

Ad algorem. *Art.* 129. Dum febrilis horror, aut frigus universam cutim convellit, tum *oleum destillatum caryophyllorum* epigastricæ regioni illitum remissionem horroris undequaque procurat. *Baglivius.*

Vires succi limonum. *Art.* 130. Ansam mihi suppeditari autumabam, aliquid ad artis nostræ incrementum ediscendi, idque aliquoties tentans, non infœliciter processit; in Febribus scilicet intermittentibus, circa initium proxysmi, *haustu calido succi liminum*

cum

cum saccharo & aq. fontan. tantum semel atque iterum exhibito; exacerbationes vel in totum cessasse, vel saltem in dies præter expectationem simul cum siti deferbuisse, & intra paucos dies plane siluisse, deprehendi, subsequente utique manifesto effectu, urinæ scilicet, & inprimis sudorum larga promotione. *Piso* p. 315.

Art. 131. Sunt & alia nonnulla remedia a quibusdam plurimum decantata, tanquam Feb. intermit. specifice curantia. Nempe *pulvis corticis in erioris fraxini* a ℈ß. ad ℈j. cum pauco *sale absynthii* in vehiculo idoneo exhibitus, more *corticis Peruv.* vires ejusdem adæquare, immo superare, dicitur; fœlici cum successu sæpe exhibuit doctissimus & insignis medicus D. *Hen. Vaghan.* Idem perhibetur *de cortice ulmi prope radicem*. *Flores salis armoniaci* optimum febrifugum censentur, præcipue in Febribus intermittentibus. De quo remedio audiatur clarissimus Boerhaave: non novi (inquit ille) melius febrifugum quam gr. xx. *salis armoniaci* in calido haustu, una vel duabus horis ante paroxysmum. *Succus rad. gentian. inspissatus*, & in vehiculo appropriato cum myrrha assumptus propter ejus vim febrifugam non immerito usurpari potest ad instar cort. Peruvian. cujus succedaneum fere est (inquit Ettmullerus.) Sed forsan *cortex radicis pruni sylvestris*, i. e. *spinæ nigræ* vulgo appellatæ, est adhuc præstantius medicamentum, quod olim honorandus D. Sloan in literis mihi datis communicavit. *Camphora* est remedium diaphoreticum nobilissimum, & omnium adhuc notorum certissimum. Insignis est ejusdem usus in curandis Febribus intermittentibus, & viribus corticis Peruviani magnopere opitulatur. *Specifica alia.*

Art. 132. Unicum hic, quod multa experientia didisci, in bonum commune evulgari volo de

Recidivationis præcautio. *Recidivatione* præcavenda; nimirum, Febre cortice Peruviano prius fugata, cui penſo iſtius remedii unica vel ad ſummum ſeſquiuncia ſemper ſufficit, intra triduum vel quatriduum propinare ſoleo *medicamentum aliquod chalybeatum*, & huic operi leviſſimas præparationes eligo, & in hunc fere modum præſcribo. ℞. *Vin. chalybeat. pharm. Londinenſ.* ℔ij. *tinctur. ſtomach. amar. Quincii* ℥iij. vel iv. miſce doſis coch. iv. vel v. bis in die, vel loco hujus infuſum chalybeatum amarum ſequens.

Infuſum chalybeat. amar. ℞. *Limatur. ferri* ℥iv. *ſucc. limon. N*. iv. *aurant. acid. N*. vj. *infund. per hor.* 24. *deinde add. rad. gentian.* ℥. *ariſtoloch. rotund.* ℥j. *cort. vvinteran. rad. calam. arom. ana* ʒij. *ſummit. abſynth. centaur. min. ana p.* j. *vin. alb.* ℔iv. *aq. gent. comp.* ij. *infund. frigide per ſeptimanam*, & *decantetur pro uſu*. Vel ℞. *Flor. ſal. ammoniac. martiat.* ʒij. *myrrh. elect.* ʒj. *rubig. ferri* ℈ij. *extract. rad. gent.* q. ſ. m. f. pil. med. doſ. iv. bis in die, ſuperbibendo infuſ. ſtomach. amar. ſequent.

Infuſum ſtomach. amar. ℞. *Rad. zedoar. caſſummuniar. ana* ʒiß. *cort. flav. aurant. Hiſpalenſ.* ʒij. *ſem. cordamom. min.* ℥ß. *ſummit. abſynth. Rom. p.* ß. *infund. in aq. bullient.* ℔j. *coletur frigidè*. Atque ita ventriculo optime conſultum eſt, ut res in vado ſit; Febris nullatenus recrudeſcit, niſi ex gravi aliquo ſex rerum non naturalium errore. Interdum in caſu ancipiti, & in corporibus valde debilitatis *chalybs* & *cortex Peruvianus* junctim maritati melius cedunt, quam alteruter eorum ſeorſim exhibitus; in hunc finem decoctum nigrum ſequens eſt remedium appropriatum;

Decoctum nigrum. ℞. *Cort. Peruv. pulveriſat.* ℥ij. *chalyb. cum tart. præp.* ℥j. *coq. in aq. font.* ℔iij. *lento igne ad* ℔iß. *addendo ſub finem coctionis cinnam. acutiſſim.* ʒij. *colatur. add. aq. abſynth. magis comp.* ℔ß. *m.*

Tinctura burgundica. vel in magis delicatulis vinum chalybeatum prædict. & tinctura ſequens uſus tempore commiſta; doſis

dosis ad coch. iij. ℞. *Cort. peruv. pulverisat.* ℥x. *calam. arom. cinnam. ana* ℥j. *cort. aurant.* ℥ij. *cochinel.* ℥ß. *macera per biduum in vin. alb. Ulissiponens.* ℔iiß. filtretur, &c. hanc ob venustum colorem *tincturam Burgundicam* vocant.

Art. 133. Febre profligata victus parcus ac tenuis, medicamenta amara, stomachica, & roborantia adhuc aliquandiu sedulo continuanda; haustulus vini generosi in pastu usurpandus, frigusque diu vitandum, & ne morbus hic, quod ei alias solemne est, facile recrudescat, præsertim si jam antea pertinacioris fuit indolis, aut jam sæpius recruduit; bis terve in die portio aliqua corticis chinæ vel cascarillæ, & quidem in tertianis curatis post octiduum a superata febre, in quotidianis vero & quartanis tertia quavis, post debellatam febrem, hebdomanda salutariter usurpanda; subjuncto, tempore idoneo, motu corporis moderato, & præsertim ambulatione; aut equitatione, aut vectione frequenti.

Art. 130. Si ægri *Sudores* in paroxysmi declinatione oriundi refrigeratione corporis impediuntur, ii augent lassitudinem corporis, morbum protrahunt, & varia insolita aeque sæpe gravia hoc ipso symptomata excitant, & febres leves facile in lentas periculosissimas, hecticam; cachexiam; oedemata, asthmata, hydropem, aliosque pessimos morbos transmutant, quæ mala sæpe insonti Cortici Peruviano, sed falso adscribuntur.

Art. 135. Frigus nimium in paroxysmo quarumdam febrium, & præsertim quartanarum lenitur calore lecti, potu calido, balsamis stomachicis, & aromaticis, ventriculo ac spinæ dorsi calide illitis; item spiritu vini rectificato, linteis complicatis calide ventriculo impositis, stragulis sufficientibus, lapidibus, aliisque machinis calidis pedibus suppositis.

Art. 136. Febre debellata si cibi desiderium diutius deficiat Rec. Vitrioli Martis Ludovici, aut Elixir vitrioli Mynsicht bis terve in die ad gutt. 50. sumpta egregie prosunt, interpositis lenibus purgantibus.

Art. 137. Oedemata post intermittentes, ut sæpe vel ob potum nimium, vel ob sudorem impeditum relicta, frictionibus, motu corporis, exercitationibus, salibus digestivis, atque essentiis, itemque infusis amaris, cum vino, aut cerevisia paratis, præsertim ex cardo benedict. summit. absynth. bacc. junip. cort. aurant. & cascarill. immo & ipsius chinæ chinæ curantur, interpositis subinde remediis martialibus, lenibusque laxantibus, atque observata simul tenui ac parva diæta, & vitato potu nimio.

Art. 138. In febribus intermittentibus senum, soporosis dictis, ubi ægri altero vel tertio paroxysmo in soporem gravem, ut tertio vel quarto paroxysmo in apoplexiam lethalem incidere solent, ut præstantissimi practici observarunt, mox post paroxysmum, quo sopor ille accessit, cortex peruvianus sæpe & larga dosi est exhibendus, ut sequens paroxysmus avertatur; alias ægri plerumque in sequenti paroxysmo apoplectici moriuntur. Confer hanc ob causam utilissima scripta celeb. Itali Torti & VVerlof nostri de febribus. *art.*(106.)

Art. 139. In febribus inveteratis aliquandiu salia, vina medicata amara, & pilulæ amaræ balsamicæ, interjiectis purgantibus, sunt usurpanda antequam specifica sive sistentia exhibeantur.

Art. 140. Quoties ex quartana hydrops oritur, nullo remedio melius uterque curatur morbus, quam cortice peruviano, tam in substantia, quam in infuso recte exhibito. Conf. Filii Dissert. de quartana, & hydrope per corticem Peruvianum curatis anno 1740. Helmstadii editam.

FEBRES REMITTENTES.

Mortoni sententia.

Art. 144. FEbris Συνεχὴς, continens sive remittens ex manifesta *exacerbatione* & *remissione*, singulis ut plurimum, vel alternis, diebus; stata & certa hora, periodice recurrentibus, facillime dignosci potest; atque equidem ab intermittente inde duntaxat discriminatur, quod calor febrilis in intervallis hujus Febris nunquam penitus extinguatur, & singuli exacerbationis paroxysmi cum algore & horrore minoribus incipiant. Sub finem cujuscunque paroxysmi æger sudoribus plerumque perfunditur; & urina, quæ durante paroxysmo rubedine multa perpetuo tingitur, in remissionibus hypostasin laudabilem ut plurimum deponit. Atque sic se habet typus Febris remittentis simplicis.

Typus Febris remittentis simplicis.

Art. 142. In Febre vero remittente *spuria* gravia symptomata in genere nervoso suboriuntur, nempe: dolores in musculis, tendinibus, & membranis, rheumatismum, pleuritidem, colicam, ceterosque id genus morbos inflammatorios, & spasmodicos simulantes, & a partibus glandulosis enormes subsequuntur humorum excretiones; vomitio scilicet immodica, cholera morbus, diarrhœa, dysenteria, &c. unde typus Συνεχέος *spuriæ* multum obscuratur: paroxysmi periodici inde incerto, & nonnunquam sæpius eodem die recurrere solent: scilicet evacuatione, vel dolore aucto, calor, & pulsus minuuntur; his autem diminutis illi augentur.

Spuria.

Art. 143. Febris remittens simplex, qua talis, & quam diu talis, raro admodum, si unquam, est funesta; priusquam exitialis evadat, typum

Prognosis.

ac genium suum mutat, & transit in Συνοχον *malignam*. Spuria vero sive mixta, ut ut in se non sit funesta, ratione symptomatum adjunctorum ægrotantes haud raro e vivis tollit. Quo exacerbationes, & remissiones diei hora magis certa redeunt, & quo remissiones magis sunt protensæ, eo melius, & vice versa. Evacuationes in Συνεχεῖν a natura institutæ ferè semper sunt *infidæ*, atque ut plurimum *symptomaticæ*: Evacuatio critica, & salutifera fit solummodo *per sudores*, vel *salivationem*; prior est magis cita; altera verò æquè certa, licet tarda & molesta. Durante morbi augmento pessimum signum est, si urina sensim in tenuem, & pallidam mutetur, & pulsus magis celer, debilis, ac vacillans evadat, &c. e contra pulsus fortis, & constans, urina rubedine multum tincta, & contentis saturata, multo magis, quæ hypostasin laudabilem deponit, ubi morbus ad statum pervenerit, optimum præsagium exhibet, ut ut reliqua symptomata contrarium prognosticon denunciare videantur.

Curatio. *Art.* 144. Febris remittens simplex viribus *corticis Peruviani* æquè certe cedit, ac ipsa intermittens; quippe fermentum febrile in utraque ferè idem est. Efficacia ejusdem Antidoti in Συνεχεῖ spuria debellanda est propemodum æquè certa, ac in simplici (modo ritè ministretur, respectu ad symptomata vehementia habito) non autem adeo cita est, quoniam morbus est intensior, ideoque majorem remedii quantitatem postulat: in justa autem ac regulari hujusce antidoti exhibitione, atque repetitione, harum Febrium cura radicalis consistit.

Curatio debet esse alia si *Art.* 145. „Curationem symptomatum maximè urgentium quod attinet, vel potius mitigationem, in his sicut in aliis febribus, alibi

„ bi (*Articul.* 63. &c.) dictum fuit . Interim „ ſat erit in præſentiarum adnotare , quod , ſi „ quando Febris remittens , vel ex peculiari „ morbi genio , & indole , vel ex errore aliquo „ typum mutaverit , & in continuam vel mali- „ gnam migraverit , curationem tunc prorſus a- „ liam expoſcit , ut infra videbitur . „ *Febris typum mutaverit.*

FEBRIS CATARRHALIS.

Benigna ſeu lymphatica acuta.

Art. 146. Febris hæc ad continentes ſive remittentes ſpectat , ut ejus invadendi forma oſtendit , quæ plurimum ad quotidianam continuam accedit . Sed quas *Mortonus* continentes febres vocavit , has *Junckerus* continuas facit , ideo parum ſolliciti de vocabulis ipſam rerum naturam proſequemur .

Junckeri ſententia.

Art. 147. Invadit hæc febris plerumque circa veſperas tempore æquinoctii præcipuè autumnalis . Præcedunt vel ſtatim junguntur gravedo , aut coryza ; raucedo , moleſtia deglutitionis , immo intra collum eryſipelacea quaſi conſtitutio ; prægravatio pectoris , tuſſis ſatis quidem violenta parum tamen excernens , & per totum morbum ferè durans univerſi corporis languor . Invadit autem hæc febris , frigore horrido , immo rigore , præcipue vero tenſivis doloribus in dorſo . *Febris catarrhalis ſigna.*

Art. 148. Durat hoc frigus per dimidiam circiter horam , aliquando integram , raro diutius ; & calor ſuccedit protinus ſatis quidem lenis , cum anguſtia tamen , & anxietate circa præcor-

dia

dia conjunctus; quæ circa præcordia pathemata in paucissimis tantum subjectis nauseabunda, aut vomibunda observantur. Durat hic æstus pro gradu plethoræ per horas bene multas, ita ut primis paroxysmis vix altero mane notabiliter tepescat.

Art. 149. Pulsus est celer, & frequens, appetitus & vires labefactatæ, somnus imminutus, caput est magis debile quam dolens. *Ad diarrhœas hæc febris valde inclinat*, interdum accedunt vomitus; sudores quovis tempore matutino æstum excipientes febrim sensim mitiorem reddunt, ac catarrhales hos morbos infringunt; elapso tamen primo vel secundo septennario febris cum symptomatibus cedit. Urina demum præter colorem aurantium febribus acutis familiarem hoc peculiare habet, quod pauca mora tenuissimam cutem vitro subtiliter adhærescentem ostendat lacteo-liventis coloris cum sedimento roseo-pallido.

Prognosis. *Art.* 150. *Hippocrates* jam observavit a fluxione ejusmodi materiæ acris causticæ in pharyngem præcipue, oriri raucedines, cynanchas, erysipelata, peripneumonias, & quamdiu materia in tali intemperie existat, perdurare talia pathemata, si vero spissescat, & concoquatur, illa minui, & febrem solvi.

Art. 151. Nisi ergo mature, & placido successu, materia hæc sensim abstergatur, & dissipetur, ulceratio sanioso-ichorosa succedit, quæ prompte in sphacelosam, & funestam putredinem ruere solet, id quod satis confirmant ulcera illa externa, ex diuturno erysipelate vel phlegmonibus non discutiendis oriunda, quæ licet topica præsentiora admittant, pessimam tamen indolem exhibent.

Art. 152. Quo acrior igitur inflammatoria

stasis

ſtaſis ſubeſt, eo propior dicto eventui exiſtit.

Art. 153. Quo magis autem febris *ſimplex* & *benigna* catarrhalis dici meretur, eo longior ab hoc eventu diſtat; magis autem in lentas, & hecticas febres propendet, præcipue quando nimiis abſorbentibus, & refrigerantibus tractatur.

Art. 154. Indoles hujus febris non eſt, ut *apoſtaſes* formet, ſeu materiam ſemel reſolutam extrinſecus in locum arctiorem cumulet, uti hoc in parotidibus, & angina contingit. Quando autem per intempeſtivas artis commotiones aliquid extrinſecus protruditur, adparentes tales *apoſtaſes* pro criticis excuſſionibus vulgo venditatæ, genio huic febri proprio non debent imputari.

Art. 155. Multo lenius adhuc decurrunt *febriculæ* illæ catarrhalibus adfines, quæ hyeme tepida repentinis tumoribus e. g. glandularum ſub auribus, tonſillarum &c. ſuperveniunt.

Art. 156. Ceterum quam benigna etiam ſit hæc febris catarrhalis, eſt tamen contagioſa, uti & ipſi catarrhi tenuiores, & coryza ejuſdem indolis eſſe obſervantur. Quo magis autem contagioſa reperitur, eo certius petechiæ complicantur.

Art. 157. Diarrhœæ, quando ſub initium accedunt, minuunt impetum morbi; in ſtatu quæ ſuperveniunt, ſi moderatæ, & indolentes exiſtant, non adeo ſunt periculoſæ. Alvi autem adſtrictio hic æque ac in petechialibus purpuratis nocentiſſima eſt, & præcipue in ſtatu, deliria, comata, convulſiones, inducit.

Art. 158. Indicatio eſt, ut vitium lymphæ in muco, & tenacitate conſiſtens corrigatur. Reſolvunt lentorem, (1.) Radices catarrhales alexipharmaco-diureticæ: præcipuæ rad. pimpinellæ albæ, vincetoxici, ari, helenii, Imperator. Angelic, *Curatio.*

gelic. (2.) Essent. alexipharm. ex. gr. *Stahlii* tinct. antimon. tartarizat. (3.) salia colliquantia digestiva e. g. arcan. duplic. tart. vitriol. nitrum antimoniatum.

Art. 159. Motus febriles secretorii, & excretorii eumdem finem respicientes prudenti ratione sunt adjuvandi; cui scopo antifebrilia temperata ex. gr. essent. alexipharm. *Stahlii*, mixtura simplex, pulvis bezoardicus ex nitro, antimon. diaphor. ocul. cancr. acid. citr. saturat. & sale digestivo satisfaciunt.

Art. 160. Tussis sicca tuto est mitiganda; in quem finem conducunt (1.) Antifebrilia modo commendata. (2.) Liquiritia cocta; syrup. violar. de erysimo *Lobelli* (3.) Emulsio. ex amygdal. vel sem. card. bened. mariæ, parata. (4.) Mucilago hordei, avenæ, (5.) ol. amydal. (6.) Trochisci becchici.

Art. 161. Alvus semper aperta est servanda (1.) per diætam liquidam ex prunis, passulis, pomis, (2.) per potum sufficientem tepidum, ex infusis thee, veronicæ, tussilag. teucri veri, (3.) per clysteres emolientes cum stimulo salino (4.) per pilulas *Stahlianas*, vel *Beccherianas* mane exhibendas.

FEBRES ACUTÆ STOMACHICÆ,

Et intestinales, a quibusdam mesentericæ dictæ, a nobis autem malignæ remittentes.

Heisteri sententia.

Ad malignas relatæ. *Art.* 162. A plerisque hæ febres ad malignas relatæ sunt, quia inusitata quædam ac gravia, vel mox in principio symptomata ipsas comitaban-

tabantur, vel per curationem consuetam diaphoreticam, & potissimum sudoriferam eas insequebantur, qua plerisque ægris præcordiorum angustiæ, anxietates, dolores circa ventriculi regionem, virium prostratio, deliria, exanthemata varia, & præsertim petechiæ aut purpura inducta; & in ipsum tandem vitæ periculum ii sæpè conjecti sunt.

Art. 163. Febres autem hæ in primis viis: hoc est in ventriculo, & intestinis potissimum, sedem suam habere videntur. Nonnulli easdem mœsentericas appellarunt ut *Baglivus*, & speciatim *Burchardus* Medicus Rostochiensis. *Sydenhamus* summus ille Medicus similes quoque febres descripsit in tractatulo *de novæ febris ingressu*. *De nominibus earum.*

Art. 164. Manifeste igitur ad hoc genus pertinent dysentericæ, & petechiales sive petechizantes, aliæve congeneres, ad malignas vulgo referri solitæ; præterea febres nonnullæ catarrhales dictæ, itemque continuæ quotidianæ, & quam maxime tertianæ, ut & febris semitertiana sive hemitritæus, quo nomine a Veteribus eæ intelligi solent, ubi ægri vel quotidie, vel tertio quovis die novam accessionem sive horrorem ac postea calorem experiuntur magis intensum, & ubi sæpè, quando corpus in lecto commovent, horrore quodam afficiuntur, unde & φρικώδεις id est *horrificæ* veteribus dictæ sunt, atque φρικώδεις, & *hemitritæi Hippocratis* synonima sunt, quas veteres rursus pro symptomatum varietate in plures alias, ut *Typhodem*, *Assodem*, *Elodem*, *Epialam*, & *Lypiriam* subdiviserunt: quæ vero essentia omnes conveniunr, sed symptomatibus tantum nonnullis differunt. *Species febrium huc spectantiū.*

Art. 165. Sunt itaque omnes hæ febres tales (1.) ut ægri eis correpti per vices horreant, *Earum diagnosis.*

sed

sed incertis temporibus (2.) *dentes*, *lingua*, & *fauces* viscida, & spurca pituita, ac speciatim *lingua* squalore sæpe luteo, fusco, vel nigricante, ipsis obsitæ sint, ita ut adstantes plerumque fœtorem oris, ægri vero ipsi adversum *saporem* gustu inde percipiant (3.) *alvi fluxus* ut plurimum adest, & excrementa, quæ per anum ejiciuntur fœtorem sæpe pessimum spirant (4.) *hypochondria* tensa sunt, & sæpe simul valde dolent (sine dubio a copiosis, & turgentibus humoribus noxiis in ventriculo, & intestinis contentis) (5.) *pavores frequentes* in somno incidunt, ut propter eos dormire aut quiescere nequeant, qui sensibilioribus etiam vigilando haud raro sunt molestissimi, ita ut ex levissima sæpe causa concutiantur, & vehementer expavescant: atque hos pavores in febribus acutis quibuscumque, haud sine ratione, pro certissimo indicio habet *Burchardus* mineram febris in intestinis hærere, quæ etiam ratio esse videtur, quare triteophyas febres *Hippocrates* terrificas dixerit, atque mali plerumque præsagii habuerit (6.) *dolores* quoque plerumque adsunt *capitis*, & *cervicis*, a spasmis, ut videtur, oriundi (7.) *urina* initio morbi ut plurimum naturali similis (forte quia tunc causa morbi nondum est in sanguine) in progressu turbida est, ac limosum sedimentum deponit, quod sæpius ita usque ad finem durare solet.

Prognosis. *Art.* 166. Adsunt quidem sæpe adhuc alia signa, quæ vero non tam febres hasce, quam potius gravem, & periculosum earum statum, si adsunt, indicare solent, qualia (1.) sunt summæ *præcordiorum anxietates* (2.) *dolor ventriculi* aut *lateris* unius circa hypochondria acutissimus, pleuritidem mentiens (3.) *vires* valde *prostratæ*, & lypothimiæ (4.) *ardor interne*, sed *exter-*

ne

ne frigus (5.) *motus manuum tremulus, subsultus tendinum, mens vacillans, singultus, floccorum collectio, & sudor frigidus;* quæ ultima simul materiam morbi malignam atque summum vitæ periculum indicant, atque simul ex his indiciis peti potest præsagium.

Symptomata minus consueta.

Art. 167. Sunt & quædam symptomata hisce febribus familiaria, quæ vero proprie non ex natura earum, sed potius & plerumque, sicut in aliis multis, ex malo ipsarum regimine, ac præsertim nimis calido vel sudorifero; dum scilicet eo ipso, ut supra jam dictum est, materia vitiosa ex intestinis ad sanguinem ac partes nobiliores propellitur, sed exhalare forte a sanguine in cute ob spissitudinem vel aliam rationem nescia, hinc inde in ea hæret, & maculas aut papulas rubicundas, aut lividas producit; quo casu tunc febris petechialis, vel purpurata dici consuevit; vel si ad aures interne deponitur, surditatem sæpe producit, vel circa glandulas parotides, vel maxillares, atque ibidem tumores inflammationes, & abscessus pessimos concitat; si ad cerebrum transfertur deliria, & phrenitidem: atque sic prout in partem corporis magis, vel minus nobilem impellitur, diversa necessario mala, & pericula: ut pleuritidem & peripneumoniam, hepatis, lienis, ventriculi, intestinorum &c. inflammationem producit; quæ diversissimam causam, & morbum diversum indicare videntur, licet revera unus, idemque sit morbus, & una eademque causa, atque vix nisi loco affecto, malisque accidentibus inde oriundis, differat.

Quibus remediis evacuatio instituenda morbosæ causæ.

Art. 168. Quare si hisce in malis alvi fluxus supervenit, isque per medicamenta cohibetur, ægri in pejus ruunt, quia materia noxa excernenda cohibetur; sed si sibi relinquitur, dum cau-

causa primaria in intestinis hærens sic e corpore expellitur, morbum plerumque minuit, aut omnino solvit —— Hinc *Duretus* antiquo medicamento purgante *hiera picra* dicto per aliquot dies in hujusmodi casibus fœlici cum successu usus est, cujus primarium ingrediens est aloe, quod & *Baglivius* hic valde commendat: ideoque & alia aloetica blanda remedia, ut pilulæ Francofurtenses, Immanuelis, vel Becherianæ, hisve similes, vel alia idonea aloetica compositio hic adhiberi poterunt. Alii decocto, vel rhabarbari, cum aut sine manna utuntur; vel horum loco apte quoque tinctura, sive anima rhabarbari ad morem *Degneri* ad cochleare j. vel ij. per intervalla dari apte potest, infantibus vero gutt. 20. vel 50. *Burchardus* sal anglicum purgans hic laudat, ejusque ℥j. puerperæ cuidam optimo cum successu exhibuit, quo sexdecim secuti sunt sedes cum perfecta febris hujusmodi intestinalis solutione, adeoque, & aliis cum fructu dari potest. Alii ægro mannam cum cremore tartari, & nitro fœliciter dedere. Ego sæpius potiuncula ex leni decocto tamarindorum, & foliis sennæ cum manna, fœliciter usus sum, vel & anima rhabarbari, vel etiam pulveris rhabarbari ʒj. cum nitri ℈ sem. vel in mulieribus ubi forte menses instant pilulis etiam *Beccherianis*: hisque & similibus evacuantibus dolores ventriculi, & hypochondriorum, itemque præcordium angustiæ ægregie tolluntur. Cum itaque evacuantia ejusmodi lenia ægregie hic prosint, sudorifera autem, & quæcumque corrigentia alia hactenus tentata noxiam hanc materiam in primis viis non destruant haud male *Baglivius* indignabundus quasi in eos, qui febres tales solis alterantibus curare volunt, invehitur medicos, dicendo: *quantum exardeo, cum video*

Me-

Medicos ad corrigendam, & dulcificandam solum materiam occupatos; sed de humore peccante foris eliminando non cogitare.

Art. 169. Verum præter hæc lenia evacuantia in eumdem scopum simul quoque lubricantia varia apte adhiberi, atque illis interponi ac subjungi possunt: ut scilicet sunt potus seri lactis, decoct. C. C. cum pomo citri paratum, decocta ex hordeo cum pomo citri, & saccharo, vel ex avena cum passulis confecta; decocta prunorum dulcium, aut pomorum fragrantium saccharo grata reddita; emulsiones ex amygdalis, & pineis, aut semin. 4. frigid. si recentia sunt, quæ omnia etiam roborandi vi pollent, immo & oleum amygdal. dulc. quoque in iis, qui oleosa non aversantur -- itemque potiunculæ diluentes ex aquis temperatis, & syrupo paratæ, atque acidulæ redditæ ad corrigendam materiam acrem, putridam, alcalinam commode etiam porriguntur. Pulveres ex absorbentibus terreis cum nitro, & cinnabari &c. -- verum non ad scopum diaphoreticum, & sine regimine sudorifero. *Quænam alia adhuc conveniant.*

Art. 170. Quodsi laudata lenia evacuantia, & lubricantia ad humores noxios extrudendos forte non sufficiant, atque æger de magnis præcordiorum angustiis, doloribus ventriculi, & hypochondriorum conqueratur, clysteres quoque simul lubricantes, & demulcentes qualia sunt: ex decoct. avenæ cum ol. oliv. vel lin. vel decoct. fl. chamæm. in lacte cum ol. melle, aut saccharo, quod ægregium simul est antipasmodicum, & anodynum, in usum adhuc sunt vocandi -- Clysteres tamen semel, bis, terve, in die reiterandi, quoties gravia mala, & cum primis anxietates, aut dolores hypochondriorum urgeant. *Clysteres quoque utiles.*

Quando morbus caput impetit. *Art.* 171. Quando impetus humorum vitioſorum verſus caput ferri videtur, id quod ex capitis dolore, rubore faciei, mentiſque alienatione &c. intelligitur, pedes calidis fovendi, ſuperiores vero partes frigidiores, & parum tectæ ſervandæ ſunt, atque ab omnibus calefacientibus, ac ſudoriferis abſtinendum. *Riverius* tunc quoque induſia mutare jubet, quod vero vix ſuaderem. Veſicatoria præterea ſuris, & rubefacientia, uti vel fermentum cum ſale, & ſinapi contuſo, atque aceto plantis pedum calide impoſitum, ut ſic vehementius a capite revellat. Quem in ſcopum etiam, præſertim quia veſcicatoria tardius agunt, clymatibus quoque ex decoct. prunor. cum foliis ſennæ, nitro impregnatis revulſio a capite procurari debet, eaque ratione ſæpe quidem qui jam deſperati videntur, præter ſpem adhuc reſtituuntur.

Quid in ſingultu faciendum. *Art.* 172. Eadem ratione procedendum eſt ſi ſingultus incidat; aut ſi his non cedat, ſal Anglicum Epſamenſe eſt propinandum, vel ſicut *Duretus*, & *Baglivius* ſæpius cum ſucceſſu fecerunt, hiera picra. Potus Coffeæ etiam in ſingultu ſanando ſingulari pollet virtute, eumque hic jam pro ſecreto commendavit *Baglivius*. Quando ſingultus ab inflammatione ventriculi camphoræ gr. ij. vel iij. pulveribus antiſpaſmodicis miſceri, & ſp. vin. camph. ventriculo extus imponi cum fructu poſſunt.

Quid de V.S. ſentiendum. *Art.* 173. Sanguinis miſſio, quam *Sydenhamus* fere promiſcue in febribus commendat, apud nos raro, & niſi in valde plethoricis, aut qui vini copioſiori potui dediti ſunt, prodeſt, & quidem tantum in principio.

Quid faciendum in diarrhœa. *Art.* 174. Quando natura in his febribus alvi fluxum facit, tunc & ab evacuantibus internis, & a clyſteribus abſtinendum, atque ſolis ferè

aqueis

aqueis tepidis diluentibus ac lubricantibus supra indicatis, ac potionibus satis largiter haustis, ea juvanda est. His terrea nitro adjecto interponenda. --- Interea tamen tincturæ rhabarbari quandoque etiam cum fructu cochleare j. interponitur.

Art. 175. Quod si vero natura fluxus alvi nimis vehementes, & colliquativos concitat, ita ut vires ægri valde prosternantur, extrema frigida reddantur, aliaque prava symptomata inde subsequantur, ægro diascordii ʒ j. ex aqua cinamomi sine vino, vel cydoniata ℥ j. s. exhibenda, quod vires non solum roborat, & fluxum moderatur, sed & simul blandum somnum conciliat. Sed si alvus inde nondum quiescat, iterata vice post aliquod tempus exhibitum raro spem Medici destituet, quemadmodum præter nostram experientiam, & *Sydenham* & *Burchardus* pag. 29. sancte etiam id affirmant. *Si alvi fluxus nimius.*

Art. 176. In anxietatibus præcordiorum, & doloribus ventriculi atque hypochondriorum evacuantia, præsertim rhabarbarina supra laudata dari, atque clysteres leniter evacuantes sæpius injici debent: ut sic materia noxia a superioribus evocetur, & per inferiora educatur. *Ubi anxietates & ventriculi dolores.*

FEBRES CONTINUÆ.

Art. 177. „Febris Συνοχος, continua, sive Febris putrida dicta, est, quæ per plures dies „sine *exacerbationibus & remissionibus* usque ad „ultimam & integram sui cessationem perdurat. Ejus causa ita perhibetur. *Fermenta febrilia, seu fomes morbosus in febribus omnibus* „*ante dictis, & in hac quoque gradu tantummodo differre videntur.* *Febris continua quid.* *Fomes Febrium harum omnium ferè idem.*

Art. 178. „Febres continuæ putridæ plerum- *Vena sectio.*

„ que venæfectionem requirunt; intermittentes
„ & malignæ rarissimè aut nunquam eandem
„ admittunt. In Febrium progressu ad statum
„ appropinquantium sanguinem detrahere nefas
„ est juxta antiquorum præcepta; *Cœlius Aure-*
„ *lianus*, *Celsus*, & reliqui sanguinem mitti
„ solummodo *primo triduo* requirunt, ultra ve-
„ rò nunquam.

Non sine necessitate. *Art.* 179. „ De venæfectione in genere dicen-
„ dum est; in sanguine est *radix vitæ*, & san-
„ guis est ipsius *vitæ thesaurus*; unde si aliis mo-
„ dis ægro vel sine periculo, vel æquè commo-
„ de succurrere poterimus, sanguini parcatur.
„ Rariores sunt sanguinis emittendi occasiones,
„ quàm vulgò creditur. *Itali*, *Galli*, & *Hispa-*
„ *ni* sanguinem mittunt, non unciatim, sed
„ libratim. In *Germania* non ultra quinque vel
„ sex uncias emittunt. Inter hos nos *Angli* me-
„ diam viam amplectimur.

In qua vena. *Art.* 180. „ In brachio subter venam basili-
„ cam jacet arteria, subter medianam nervus,
„ subter utramque tendo; juxta cephalicam nul-
„ la est arteria, neque nervus, neque tendo;
„ Atque hanc ob causam hæc ultima minimo
„ cum periculo aperiri potest.

Vvillisii sententia.

Quatuor stadia Febrium putridarum. *Art.* 181. In Febribus putridis continuis quatuor numerantur stadia, viz. initium, augmentum, status, & declinatio; *in initio* plerumque adsunt symptomata sequentia: rigor aut horror, lassitudo & perturbatio cum siti & vigiliis, dolor in capite aut lumbis, nausea aut vomitus. *In incremento* sequentia: sitis intolerabilis, dolor capitis & vigiliæ pertinaces, deliria, phrœnitis, motus convulsivi, oris amaror, sapor ingra-

gratus, linguæ ſcabrities, pulſus vehemens, & citatus, urina ſumme rubicunda, plerumque turbida, contentis ſaturata, ſine hypoſtaſi aut ſeſedimento laudabili. *Status* morbi *criſin* continet, quæ in Febre continua ferè idem eſt ac paroxyſmus intermittentium, qui non niſi ſtato tempore, & poſt totidem horas, evenire ſolet, ſic etiam motus critici in Febribus continuis a die quarto in quartum aut forſan a ſeptimo ad ſeptimum contingunt: Hæ *Criſes* ſunt plerumque per ſudorem, vel hæmorrhagiam; ſunt etiam aliquando *criſes imperfectæ*, quæ morbum non ſolvunt, quales ſunt per urinas, vomitum, ſeceſſum, exanthemata, bubones, &c. *Criſeos* tempora ſunt valde incerta. Si Febris in principio ſit vehemens, plerumque intra dies quatuor expectanda eſt *criſis*; quod ſi tardior ſit Febris in initio, circa diem ſeptimum ad ἀκμὴν perveniet; ſi verò adhuc remiſſius incipiat, ad diem undecimum, aut decimumquartum, vel ultra protrahi ſolet. *Criſis.*

Art. 182. Interea notandum eſt, quod ſicut paroxyſmi intermittentium ſtatis redeunt temporibus, ita *motus critici in continuis*; (diem autem quartum ut plurimum obſervant,) nam licèt criſis perfecta ad 14um 17um aut 20um diem prorogetur, tamen intermedio tempore motus leviores contingunt, quibus materia Febrilis velut per partes amputatur, donec pleniorem ejus diſcuſſionem natura aggredi valeat; *natura etenim ut plurimum, niſi alias perturbata, quarto quovis die partem oneris ſui excutere tentat*; quare ut plurimum 4to, 7^{m}, 11^{o}, 14°, motus critici, non planetarum directione, ſed ob naturæ neceſſitatem* eveniunt. *Nota bene.*

Art. 183. Per declinationis ſtadium intelligo conditionem ægri & morbi, quæ ſtatum ſequi- *Declinatio.*

tur, ſive in ſalutem ſive in mortem tendat, vel alterationem, quam ſanguis ſubit poſt criſin bonam vel malam, cùm res adhuc in dubio verſetur, quandoque etenim, criſi imperfecta exiſtente, ægri diuturna imbecillitate labefactantur, & non niſi longo tempore, ſi omnino, convaleſcunt.

Ptyaliſmus. *Art.* 184. Aliquando in declinatione Febrium *incruſtatio* in partibus oris ſucceſſit (quaſi ſpecies *aphtharum*) & etiam adeſt *ſalivatio* copioſa, velut ab aſſumpto Mercurio, cum fœtore anhelitus, item linguæ & gingivarum intumeſcentia.

Diviſio in Febr. ardentem & lentam. „ Ut inſtituatur harum Febrium therapœia rationalis utiliſſima eſt earum diviſio in *Febres* „ *ardentes & lentas*, utpote quoad medendi „ methodum toto (quod ajunt) cœlo a ſe in- „ vicem diſcrepantes. „

FEBRES ARDENTES.

Cauſus quid. *Art.* 185. Cauſus ſeu Febris ardens ea eſt, quæ cum majori æſtu, ſiti ferè intolerabili, aliiſque ſymptomatibus inſigniorem ſanguinis *phlogoſin* arguentibus, curſum ſuum peragit; ſymptomatis magis horrendis ſtipatur; criſin habet difficilem & eventum periculoſum. Calor ad tactum ferè urens eſt hujus Febris *ſignum pathognomonicum*; & ut plurimum, habet conjunctam inſignem alicujus viſceris *inflammationem*.)

Lipyria, Aſſodes, Elodes, &c. *Art.* 186. Huic Febrium claſſi aliquo modo „ referri poteſt 1°. Febris *lipyria* dicta in qua „ interiora uruntur, exteriora verò frigent. 2. „ *Aſſodes*, in qua ægri decubitum eundem non „ ferentes jacendi ſitum perpetuo variant in le- „ cto indeſinenter jactitantes. 3°. *Elodes*, in „ qua ægri profuſiſſime ſudant, ſudore nihil „ proficiente, &c. Sed revera hæc ſunt potius „ Febrium ſymptomata, quam novæ ſpecies.

„ Ejuſ-

„ Ejusdem quoque commatis est Febris *Calentura* dicta, quæ nihil aliud est, quam peculiaris *delirii* species. „

Art. 187. „ Calentura est Febris nauticis peculiaris. Hoc morbo correpti singulari delirii specie afficiuntur; nimirum ajunt se in vireto, quod semper in conspectu habent, & præsto esse arbitrantur, ambulare velle; &, nisi vi detineantur, in mare prosiliunt; atque hoc symptoma est *signum hujus morbi pathognomonicum*. In mari mediterraneo frequenter occurrit; juvenes robustiores & temperamento sanguineo præditi huic Febri sunt magis obnoxii. Larga sanguinis missione ut plurimum sublevantur. „ *Calentura.*

Boerhaavii sententia.

Art. 188. In Causo adest calor ardentissimus, siccitas in cute tota, naribus, ore, lingua; respiratio densa, anhelosa; cita; lingua sicca, flava, nigra, exusta, aspera; sitis inexplebilis; nausea, vomitus; anxietas, inquietudo, lassitudo summa: tussicula, vox clangosa; delirium, phrœnitis, pervigilium, coma, convulsio; diebus imparibus exacerbationes. *Symptomata frequentiora.*

Art. 189. Tertio & quarto die sæpe lethalis evadit, septimum raro transit, & perfecta; solvitur sæpe hæmorrhagia (quæ, si tertio vel quarto die parca, lethalis;) hæc prænunciatur cervicis dolore, temporum gravitate tenebricosa, caligine, præcordiorum contentione sine doloris sensu, invitis lacrymis sine lethali signo alio, rubore faciei, pruritu narium, optima fit die decretorio; solvitur & die decretorio: vomitu, alvo, sudore, urina, sputo crasso; accessio die pari pessima, si id ante diem sextum, urina nigra, *Prognosis.*

pauca, tenuis hic lethalis; lethale sanguinis sputum; lethalis sanguinis mictus; deglutitio læsa, mala; extremorum refrigeratio pessima; facies rubra & sudans mala; parotis non suppurans exitialis, alvus nimis fluxa lethalis; cum tremore abit in delirium, inde in mortem, transit in peripneumoniam sæpe cum delirio. „ In Febre ardente (inquit Hippocrates) si tinnitus „ aurium cum visus habetudine fiat, & ad „ nares accedat gravitatis sensus, delirium portenditur. „

Intentiones curativæ. *Art.* 190. In hoc casu integumenta debent esse minime aggravantia corpus; situs corporis paulò erectior; potus copiosus, blandus, demulcens, subacidus, aqueus, calidus; cibi leves, farinacei, hordeati, avenacei, ex fructibus subacidis confecti; requiritur venæsectio, si morbi initium, plethoræ indicia, inflammationis singularis signa, calor intolerabilis, rarefactio nimia, revulsio necessaria, symptomata urgentia, neque alio remedio facile superanda, hanc exigant. Indicantur etiam quandoque *clysmata* blande *laxantia* & *refrigerantia*, prout vis ardoris, siccitas alvi, imperant; medicamenta *diluentia*, *nitrosa*, alvum lenissime *laxantia*, &c. Interim „ in animo probè tenenda est Vvaldschmidii ad„ monitio; Febris maligna (inquit ille) in „ principio sæpe speciem Causi præfert; cautus „ itaque sit medicus, ne in errorem incidat: „ animadvertendum ergo est, an febricitans de „ cordis anxietate, virium jactura, aliisque gra„ vioribus accidentibus conqueratur, & qualis „ sit urina, &c. nam longè diversa est harum „ Febrium curatio. „

„ Remedia particularia his intentionibus sa„ tisfacientia a sectione de Febrium symptoma„ tis petenda sunt. (*pag.* 18. *& seq.*)

FE-

FEBRES LENTÆ.

Ettmulleri sententia.

Art. 191. FEbris *lentæ*, etiam si sint minus acutæ, sunt tamen continuæ, in quantum continuo affligunt ægros, sed tardiore motu sua absolvunt tempora; hinc diuturniores sunt, & symptomata habent minus urgentia. De febribus his apud practicatos pauca prostant. A vitiis lymphæ (vel pituitæ) potissimum oriuntur; & a Sylvio Febres lymphaticæ appellantur, forsan rectius pituitosæ.) *Febres lentæ.*

Art. 192. Inter has eminent Febres *catarrhales* dictæ, quæ in principio & incremento conjunctum habent *catarrhum*, *coryzam*, *tussim*, *raucedinem*, &c. Hæ Febres sunt plerumque lentæ, interdum mites, vesperi vero aliquanto exacerbari solent: adest lassitudo artuum, durant symptomata sub coryza & tussi gravioribus usque ad statum morbi, donec materia catarrhalis (ut vocant) coacta fuerit, & spissior mucus emunctus, & deinde cessat Febris. Sedes morbi est in glandulis conglobatis. *Febres catarrhales.*

Art. 193. In Febre catarrhali conducit *decoctum ligni sassafr.* (cum *rad. liquiritiæ* & *passulis* ad humorum acrimoniam) item *succus raparum expressus* cum pauco saccharo; item *volatilia* & *sudorifera*; solutio *gum. ammoniac.* &c. vid. catarrhum, tussim, raucedinem, &c. alibi. *Curatio.*

Art. 194. Præter dictas observantur quoque Febres *lymphaticæ* (potius *pituitosæ*) vitio lymphæ (pituitæ) glandularum conglomeratarum, quæ in certam cavitatem suum effundunt succum; inter quas eminent parotides & pancreas, quæ in os & intestina, & consequenter in massam *Febres pituitosæ.*

sam

ſam ſanguineam ſecretos liquores evomunt. Peccant hi humores, quando ſunt nimis viſcidi, ſalſi, & acres, unde excitantur hæ Febres, (quæ quoque non improprie interdum Febres *ſcorbuticæ* audiunt.) Acutæ continuæ, nonnunquam etiam intermittentes, in hujuſmodi *lentas* degenerant, & quandoque in *hecticas* tranſeunt. Origo harum Febrium eſt plerumque in ſtomacho ex indigeſtione & cruditatibus.

Curatio. *Art.* 195. Ideoque tam in principio quam in incremento mitius *vomitorium* ad curam optime viam ſternit, & poſtea viſciditas vel acrimonia pro re nata corrigenda eſt, & ſymptomata mitiganda, & ventriculus roborandus, &c. Pro his ſcopis conſequendis aliquo modo valent remedia ſequentia, *Tartarus vitriolatus*, *pulveres teſtacei*, *antimonium diaphoreticum*, *antihecticum Poterii*, *tinctura coralii*, *ſalia volatilia*, *&c.*

Febres colliquativæ. *Art.* 196. „ Febres *colliquativæ* ſunt, in quibus corpus brevi tempore inſigniter conſumitur, & emaciatur; partes ſolidiores & ipſa pinguedo colliqueſcit, nunc per diarrhœam, nunc per ſudorem, nunc per urinam, nunc ſolo ardore febrili ſine ulla ſenſibili excretione; Febris aliquando *colliquativa* ex cancro mammarum cum diarrhœa obſervata eſt.

Hecqueti ſententia.

Species febris lentę quę alios morbos ſequitur. *Art.* 197. Urgent inter medendum quaſdam occurrere febres, dicas: an febriles pulſuum habitudines, quæ nec hecticæ, nec colliquativæ ſunt, continuæ tamen, quæque gravium morborum non raro appendices ſunt; ſub his pulſus adeſt celer, frequens, & duriuſculus, noctium inquies, vigiliæ, ſitis adeſt, & linguæ ariditas, con-

constat appetitus, coctiones perseverant, interim ægrotantes ejusmodi non revalescunt, ad *evexiam* non pervenientes, & in statu neutro versantes; licet ex pulsus conditione constanti febrem adesse pronuntiares: at amabo, qualem febrem, quæ si vel in annos plures abeat, nullum conatus dabit indicium, quo ad hanc vel illam propendeat evacuationem aut apostasin? Revera comperta est lenta febris, aut hectica, quam ferme cum ante dicta misceres, sed hæc colliquativa est, pulmonibus minitans, in sudores, sputamina, diarrhœas propendens, quæ risus exterminantis signa sunt: igitur illam forte pro lenta habendam voles? neque adversabimur, modo a colliquativarum numero illam arceas, proindeque recognoscas conatus omnis exsortem.

Febris lenta spasmodica.

Art. 198. Inobservatæ febris forte genus est, quæ tota in tonica partium evibratione spasmodica, aut spasmodico arteriarum *rithmo* consistit, quam alit imbibitus stimulus, irritatio, fremitus a prægressis febris succussionibus superstes; solidorum anxietudo, instabilitas, aut inconstantia adest a sua cum fluidis inæquali fultura veniens, aut a perditis fluidorum premendorum cum solidis prementibus contactuum, resistentiarum, & distantiarum commensu & proportionibus, unde male fultæ, spasmoque tensæ arteriæ in se celerius reflectuntur, seque motando fremunt.

Ejus curandi ratio.

Artic. 199. Hujus *ætiologiæ* veritatem promit curandi ratio, quæ istiusmodi febri medetur; hanc exasperant *cathartica*, *amara* lædunt, *diluentia nitrata*, & *absorbentia* juvant, modo fatua fuerint, non *salina*, non *acria*, quibus addes *anodyna*, *fotus*, *balnea*; sed hinc aberit *cortex peruvianus* febrium ille Hercules, aut febrium debellator, a quo hæc febris novas aquirit vires; quæ tamen monita omnia cassa erunt,

omissa

omissa corporis, & animi quiete; adeo quiete tractari amat hujusmodi febris!

Art. 200. Interim sub assiduo illius labore, arteriarum conatus mille tentari crederes, quibus in quandam materiem excernendam eluctarentur, nitendo tamen jugiter, enituntur nihil, *critici* enim nihil, aut *judicatorii* observatum usquam est, quo expedire se sueverit hic morbus; irritus ergo, ecce inquient, & impotens febrilis conatus? irritus quidem si materiem spectes, utilis si ordinem; ordinis autem est, non solum ut absolvat naturæ debitas fluidorum evacuationes, sed & ut tueatur nativi solidorum motus regulas, & leges, sicque servet solidorum cum fluidis amicabile commercium; porrò ab hoc concentu recessus, & abalienatio est isthæc febrilis inquies, quæ proinde nihil aliud est, quam ad quietem conatus.

Art. 201. Spasmodica enim affectio est, sub qua partium elastica vis, suum ultra tonum extensa agitatur: at ut suam ad quietem regredi contendit nimium dilatatus elater, sic suum ad tonum redire nititur spasmodicè tensa arteriarum elasticitas; hicque conatus erit illius, quam hic tractamus spasmodicæ febris. Ut ergo nulla febris est, quæ sit conatus expers, morbusque nullus, qui suam non habeat febrem, nullus quoque erit morbus, qui, aut sub quo non sit aliquis proprius conatus, conatus autem ad evacuationem modò, modò ordinem, sed semper ad æquilibrium, a quo totius animalis œconomiæ concentus, fœlicitas functionum, ipsa sanitas.

FE-

FEBRES CONTINUÆ MALIGNÆ.

Ettmulleri sententia.

Art. 202. FEbris malignæ primum signum est subitanea virum prostratio citra causam manifestam cum pulsu debili; calor externus non adeo intensus ac in quibusdam aliis Febribus, potius interiora urens; adsunt vigiliæ pertinaces mox a principio morbi, inquietudo anxiosa; conqueruntur ægri, & monstrant regionem stomachi seu præcordiorum; urina est sanorum similis; facies interdum solet esse tetra, & a statu naturali multum mutata, livida interdum, aut plumbea. In his Febribus, quod æstus & Febrilis ebullitio ut plurimum remissior sit, malignitati, quæ sanguinem occupat, prorsus debetur, & spirituum magis *affectorum & quasi sideratorum*, quam turbatorum humorum indicium est: aut saltem in humoribus, præsertim sanguine, fermentativam maligni miasmatis confusionem, & in textura & in motu intestino eorum inordinationem indicat, & ita incalescentia quidem, sed interne tantum gliscens, non vero ad exteriora pergens accidit, unde natura quasi oppressa non potens est symptomata illa magis regularia exercere, quæ morbo competunt. *Febris malignæ Diagnosis.*

Art. 203. Ratione symptomatum adjunctorum magna est varietas Febrium *malignarum*; dum quædam cum certis, & insignibus cutis *efflorescentiis*, quædam sine iis, vel paucis admodum, quædam aliis symptomatis stipatæ sunt. *Magna varietas.*

Art. 204. Nonnulli asserunt (ex observationibus microscopicis) in omnibus Febribus malignis, & ulceribus gangrænosis talem adesse putredinem san- *Vermiculi.*

ſanguinis, ut exinde copioſiſſimi generentur *vermiculi*, qui, ubique ſcaturientes, & corpus lancinantes, tam varia inducant ſymptomata, neceſſe eſt: Sed hi vermes non niſi putredine præcedente generari poſſunt. In Febribus malignis ſanguis eſt nimis fluidus, vix aut planè non omnino congrumeſcit, ſed hoc quoque eſt morbi *productum*. Malignitas aliquando eſt tanta, ut partes nunc internas nunc externas *ſphacelo* ac *gangræna* correptas obſervare liceat.

Prognoſis. *Art.* 205. Audita Febre *maligna* homines contremiſcunt; ſiquidem omnes Febres malignæ ſunt admodum periculoſæ, & quoad exitum valde incertæ, unde *Galenus* malignas Febres ſtatuta ad judicandum non habere tempora aſſerit. Surditas in principio periculoſiſſima, in ſtatu vero morbi ſalutem portendit. Narium ſtillicidium, ut & alvi fluxus, quocunque morbi tempore, ſunt peſſima ſigna. Muſcarum venatio, aut floccorum collectio eſt fere ſemper lethalis. Interdum bubones circa genitalia apparent, quibus die undecimo erumpentibus morbus evaneſcit. „ Medi„ cus (recte admonente Vvaldſchmidio) nun„ quam ab ægro recedat, niſi prius inſpexerit „ *oculos*, quorum inſolita mutatio infauſtum pre„ dicit eventum; & dum pulſum explorat, ſem„ per attendere debet an manus ægrotantis ſit „ tremula.

Curatio. *Art.* 206. Venæſectio in Febribus malignis locum non habet: quò malignior eſt Febris, eò magis nocet; & quò tardius inſtituitur, eò deterius. —— *Vomitoria* in primo principio morbi præ cæteris omnibus maxime conducunt, antequam natura moliatur aliquam excretionem per cutim; elapſo vero primo principio elapſa eſt occaſio: Et poſtea cura aggredienda eſt medicamentis ſudorem moventibus; ſudores etenim

(ipſa

(ipsa natura monstrante viam) causam & morbi fomitem frequenter expellunt, hæc medicamenta *bezoardica* aut *alexipharmaca* appellantur: quo autem major est malignitas eo copiosius provocandus est sudor; respectu semper habito ad morbi genium, diversitatem, ægroti vires, &c. *ter ad minimum in* 24. *horis sudorifera sunt propinanda*; interponenda sunt *analeptica & blande acida*, inter quæ eminet *spiritus nitri dulcis*, (item *tinctura croci cum spiritu nitri dulci extracta*) *succus citri, cydoniorum, &c. Camphora* est nobile alexipharmacum, sed omnes ejus usum ferre non possunt, præsertim mulieres & literati, quorum spiritus animales sunt mobiles & dissipabiles; est mirabile concretum, &, si cum cautela usurpetur, vix datur par remedium. *Rob. sambuci* est egregium sudoriferum pro pauperibus. *Cantharidum* & *vesicantium* usus in statu morbi insigniter prodest. *Sal volatile C. C. & sal viperarum* sunt sudorifera, & malignitati resistunt: & hic locum habet *mixtura simplex* Paracelsi, viz. ℞. *sp. theriacal. camphorat.* ℥x. *sp. vitriol.* ℥ij. *sp. art. rectificat.* ℥vj. digere in phiala hermetice obsignata ad tres septimanas, ut uniantur exactissime; dos. ʒj. plus minus in vehiculo appropriato, ciet sudorem. „ *Item decoctum sacrum* „ *Fulleri, & haust. diaphoret. ejusdem, bezoard.* „ *mineral. tinctura bezoardica, oleum Heinsij.*

FEBRIS PETECHIALIS.

Ettmulleri sententia.

Art. 207. FEbris *petechialis* est Febris *maligna*, in qua, præter symptomata reliquis Febribus malignis communia, adest insignis lassitudo totius corporis, dolor universalis contun- *Febris petechialis symptomata.*

tundens & lancinans; maculæ raro die quarto, sæpius circa septimum erumpunt, præsertim circa pectus & scapulas, hinc abdomen, crura, brachia (collum) ordinario facies solet esse libera: interdum non maculæ solum sed vibices apparent, in declinatione aliquando quasi *ptyalismus* exoritur cum euphoria ægri.

Prognosis. *Art.* 208. Maculæ hæ in morbo salubri efflorentes intense rubent instar publicum morsuum, (petechiæ differunt a puncturis pulicum, quod in puncturis in medio punctum apparet, quod semper manet etiamsi reliquum ruborem compressione vel frictione pellas.) Hinc pedetentim, pallescunt, flavescunt, sicque evanescunt, & quo magis rubicundæ sunt, eo melioris notæ; e contra, quæ ex rubore livescunt, vel nigrescunt, pessimæ sunt; si retrocedant, ingens periculum imminet. *Contagiosa.* *Contagiosæ* sunt hæ Febres, & interdum *epidemicè* grassantur, admodum periculosæ sunt; plures moriuntur quam evadant.

Curatio. *Art.* 209. Quoad curam Febrium *petechialium*, eædem indicationes, atque supra circa Febres malignas in genere, hic locum obtinent; si præmature & nimis cito maculæ retrocesserint, applicanda sunt *vesicatoria*, quæ etiamsi raro aut nunquam denuo apparere solent, earum tamen absentia vesicatoriis quodammodo suppletur, & symptomata nervosi generis ex earum retrocessione interdum fœlicissime præcaventur. Apparentibus *petechiis* nihil amplius in primis viis moveri debet; ipsa enemata sunt suspecta.

Donckersii sententia.

Symptomata. Invadendi modus. *Art.* 210. Febris *petechialis*, sive *continua maligna epidemica in* civitate agroque *Coloniensi* circa annum 1673. ad hunc modum se habuit; ex im-

improviso plurimos occupavit anxietas præcordiorum, gravitas circa regionem ventriculi, appetitus dejectio, spontanea artuum lassitudo, nec non vertiginosus capitis dolor, præsertim circa originem nervorum opticorum; quibus omnibus postmodum cum virium subita prostratione accessit Febris putrida plurimum referens ideam *synochi*: utpote quæ præmisso brevi horrore vel rigore, universum corpus magno, & quem dicunt, præternaturali perfundebat calore, sequentiaque secum adducebat symptomata.

Art. 211. Pulsus in omnibus erat celer, & plerumque parvus ac debilis; sitis, invalescente morbo cum linguæ siccitate, inextinguibilis; urina in morbi principio ordinario quidem apparebat sana, aliquando tamen rubra & obscura, in fine vero augmenti, vel initio status turbata, in declinatione semper cum sedimento, saltem aliquali; alvus in aliis adstricta, in aliis laxa erat; infestabat ut plurimum ægros hypochondriorum præcipue sinistri dolor (quod notandum) per lumbos secundum spinam dorsi ascendens, lancinans, ad scapulas extendebatur, & cui non raro se præbebat comes *pleuritis* vel *angina*; multos in principio augmenti defatigabat alvi fluxus, cum quo non raro lumbrici excernebantur; multi quoque alii in medio augmenti in aurium tinnitum, gravedinem auditus, & aliquando oculorum suffusionem, qui nonnunquam in omnimodam eorundem sensuum ablationem incidebant; omnes denique affligebantur perpetuis vigiliis, & delirio, quod in aliis levius, in aliis gravius fuit, concomitantibus semper rubris vel lividis aut subnigris maculis. *Symptomata.*

Art. 212. Horum similiumque symptomatum *syndromen* in omnibus, quorum cura mihi commissa fuit, vel (quatenus ex aliorum relatione *Solutio.*

potui colligere) quorum natura inversa curandi methodo non fuit plane consternata, septimum circa diem subsecuta fuit *crisis*, vel manifesta vel obscura.

Contagium. *Art.* 213. Hic morbus in primo sui ortu aliquandiu apud paucos veluti latebat, pedetentim vero symptomatum malignitate funerumque frequentia longe lateque sæviebat, & ad tertium usque annum plus minus invaluit, & nonnullis in locis tertiam incolarum partem e medio sustulit.

Prognosis. *Art.* 214. Si delirium circa diem criticum vel primum accidebat, vel majus evadebat, concomitantibus diarrhœa, obscura voce, & difficillima (citra faucium tumorem) deglutitione, necnon digitorum manuum labiorumque tremoribus convulsivis, indubia instantis mortis erant indicia; in hac Febre quando alius aliquis morbus se illi conjunxit, multo periculosior fuit: lethalis fuit frequentius in cacochymicis, plethoricis, & valde obœsis; pulsus parvus celer in morbi principio male ominatur; Maculæ parvæ & nigræ aut lividæ male portendebant: quibus vero floridæ tempestive prodierunt, nempe die quarto seu indicatorio, sub *legitima medicatione*, ut plurimum servatos vidi, alii autem, in quibus tales maculæ serius vel instante die critica sub cuticula obscure prorepererent, septimoque die vel immediate post magis debilitarentur, ac pejus haberent non evasere; exitialis quoque ægro ut plurimum fuit, si præter pulsum a principio insigniter parvum, debilem & celerem, urina quoque semper maneat sani coloris & consistentiæ; si ægrotus mente consternatus se non ægrotare ast bene habere & continuo esurire putet; si cum magna faucium linguæque ariditate parum bibat; continuaque adsit oculorum lacrymosa distillatio: hæc enim & similia symptomata, si non

Signa ut plurimum lethalia.

si non certum interitum, saltem extremum vitæ discrimen denotant. Certus denique pronunciatur interitus, si circa criticum seu septimum diem, urina in eadem perseverante bonitate & claritate, delirium majus fiat; si sitis aucta sit cum tanta linguæ fauciumque ariditate, ut æger non nisi inarticulate loqui, neque nisi cum difficultate deglutire queat; si adsint convulsiones; insuper si, exiguis & fuscis sub cuticula obscure emergentibus maculis, alvi fluxus superveniat, mors in propinquo est.

E contra vero si pulsus non sit nimis debilis, & si sit mediocriter magnus, & non præter modum celer; si delirium leve & insomnio quam delirio similius; si lingua non admodum sicca, sitisque tolerabilis sit; si maculæ sint *rubræ*, *majusculæ*, *rotundæ*, *claræ*, & *distinctæ*, si post tertium diem erumpant; & urina circa idem tempus rubra & obscura, vel cum nubecula spectetur, bonum hinc lætumque præsagire oportet eventum, qui sine dubio septimo die insequitur, quando scilicet erupto sudore quietoque oborto somno symptomata quæque graviora remittunt, & æger perfecte judicatur. *Signa salutaria.*

Art. 215. Cura ab *alvi purgatione* semper inchoanda est, si nempe nullum aliquid urgens symptoma aliter suadeat; sin vero morbus fuerit valde inflammatorius, pleuriticus, vel anginosus, &c. ante omnia præmisso clystere *venæsectio* instituenda est, & remedia *antipleuritica* propinanda, & aliquando phlebotomia est iteranda (sed parce & non nisi cum cautela aperienda est vena in Febribus malignis.) Cathartica valida sunt vitanda, lenitiva, & quæ sanguinem minus exagitant, sunt eligenda. Factis his juxta indicationes particulares evacuationibus, sanguinis naturalis effervescentia confortanda est convenien- *Curatio.*

 tibus

bus *Alexipharmacis*, *sed non violenter*, ac si hostis una vice expellendus esset. Ex innumeris remediis, quæ in hunc scopum apud authores inveniuntur, elegimus vulgatissima, atque ab omni ævo probatissima, & idcirco tutissima; *mithridatum* nempe, *theriacam*, *diascordium*, &c. Cavendum est inprimis ne sudorem expellere conemur sola vi medicamenti, antequam ipsa natura

Potus. eum sponte excitare molitur. Potus debet esse neque nimis calefaciens, neque valde refrigerans; inchoante crisi cum sudore nihil convenientius

& expertus sum, quam ut ægri *aquam hordei calidis-*

Cibus. *simam* copiose bibant cum vino mixtam, & quandoque cum *flor. papav. errat.* & *rasur. C. C.* incoct. Cibus debet esse tenuissimus vel potius nullus.

Art. 216. *Purgationis* in morbis principio necessitatem, & bonos effectus non tantum inculcat ratio manifesta (de qua, si quis velit, videatur author) *sed & experientia mihi confirmavit, adeo frequens, adeo certa, adeo clara, ut si hæc falsa sit, aut esse possit, nulla certa aut sit, aut fuerit, aut futura sit unquam.*

Cathartica. *Art.* 217. Remedia cathartica mihi usitata fuerunt vel hujusmodi *apozema* vel *electuarium* subsequens: ℞. *Fol. sen. mundat.* ℨiij. *sem. fœnic.* ℨiß. *crem. tartari* ℨj. *coq. in q. s. aq. font. ad* ℥vj. *in colatura* dissol. *pulp. tamarind.* ℥ij. *syr. ros. solutiv* ℥j. *m.* sumatur partitis vicibus. *Electuarium* sic se habet; ℞. *Pulp. tamarind.* ℨiß. *confect. alkerm. pulv. jalap. ana* ℨß. *resin. ejusdem gran.* vj. *diagrid. gr.* v.

Alexipharmaca. *cum q. s. syr. de cichor. cum rheo f. electuarium.* Misturam alexiteriam fere semper hujusmodi cochleatim bibendam propinare solebam; ℞. *Theriac. andromach. diascord. fracastor. ana* ℨj. *sal absinth.* ℨß. *ocul. cancrorum.* ℈ij. *aq. card. ben. meliss. ana* ℥ij. *theriacal. syr. papav. errat. ana* ℥j. *sp. sulph. q. s. ad gratum acorem, f. mixtura.* Ex magno ægros

grotorum numero, quos sub mea habui cura, licet aliquando quinque, sex, vel septem simul in eadem domo Febre ista laboraverint, nullus, quod meminerim, sit desideratus præter unum virum & unam fœminam. „ Fides sit penes au- „ thorem. *Succes-sus mirandus.*

Art. 218. „ In calce libelli historias LII. hac „ Febre decumbentium in medium profert, quo- „ rum duo tantum mortui sunt. Illius methodus „ est plane singularis; &, si dictis fides adhiben- „ da sit, proculdubio curationes hasce *laudano* „ potissimum acceptas referre (ut mihi visum est) „ debemus: in omnibus enim fere præscriptis *lau-* „ *danum* larga manu propinavit: exemplo sit lo- „ cus sequens, ℞. *Diascod.* ℥iß. *laudan. opiat.* „ *gr.* ij. *m. f. bolus* pro una vice, concesso eodem „ tempore in potu ordinario *syrupo papaveris er-* „ *rat. p.* 467. His expendendis haud mihi suppetit „ tantum otii, sed ad propositum revertendum „ est. „ *Sed in dubium vocandus.*

DE FEBRIBUS ERUPTIVIS in genere.

Inter legendum.

Art. 219. FEbres *Eruptivæ*, quarum *crises* per eruptiones cutaneas expectandæ sunt, (quales sunt variolæ, morbilli, Febris scarlatina, Febris cum rubeolis, cryſtallis, Febris miliaris, &c.) præter symptomata aliis Febribus communia hoc habent peculiare & sibi proprium, nempe, *ingentem pectoris oppressionem*, quæ harum Febrium est signum fere *pathognomonicum*; nimirum est quidam validus naturæ conatus materiam morbificam a centro ad circumferentiam propellendi; unde certamina gravissima, anxie- *Febrium eruptivarum symptoma peculiare.*

tas præcordiorum, pectoris angustia & oppressiones maximæ: facta autem eruptione, statim hæc dira symptomata evanescunt. Ejusmodi *pectoris oppressio* in aliis quoque Febribus est *crisium præcursor* (unde dictum illud, nox ante crisin est molestissima) in his tamen serius accidit, scilicet sub morbi finem; in eruptivis vero non procul ab initio, imo frequenter propemodum in primo insultu; quoniam *efflorescentia* in propinquo est.

Symptomata quædam insigniora & fere propria.

Art. 220. „ Præter symptomata aliis Febribus „ communia (inquit Mortonus) in Febribus eru„ ptivis adsunt signa quædam quasi *pathognomo*„ *nica*, talia sunt pulsus debilis, & celer, res„ piratio cita & anhelosa, hypocondriorum op„ pressio & angustia, urina pallida, ac tenuis, „ coma, seu vigiliæ pertinaces, subsultus tendi„ num, nonnumquam spasmi manifesti, & de„ liria prorsus efferata, gravativa palpebrarum „ debilitas, oculorum rubedo, punctura dolori„ fica, & lacrymæ involuntariæ, in gutture do„ lor ulcerosus, raucedo clangosa, tussis perpe„ tuo molesta.

Art. 221. In erysipelate, variolis, morbillis, Febre scarlatina, &c. (inquit *D. Freind.* Hist. Med. p. 75.) si symptomata vehementiora fuerint, si caput aut pulmones vehementius urgeant, aliæve partes ingenti dolore super modum afficiantur; ratio postulat, ut vena incidatur, ac tuto fieri licet. Et teste experientia (nihil enim frequentius expertus sum) audacter affirmo me nunquam observare potuisse eruptiones istiusmodi ex venæsectione retroire.

Exanthemata præbent materiam

Art. 222. Humores acres stimulantes in corpore retenti: ut urina sanies atrabilaria, cancrosa, herpetica, sphacelata, materiæ alias evacuari solitæ; vel cacochymia, atrabilis, materia

Erysi-

Erysipelatosa, ea febris intermittentis, & continuæ acutæ, atque malignæ ad nervorum principia delata, convulsiones funestissimas suscitant: ita etiam materies podagrica, rheumatica ex articulis, variolosa, morbillosa, scabiosa, herpetica, Erysipelatosa, scarlatina a cute in caput delata; verum ante horum eruptionem convulsio producta minus periculi portendit: scorbutica convulsio levi paralysi ut plurimum conjungitur: venerea vero doloribus circa noctem acutis jungitur, & aliis hujus morbi signis. *De Gorter*. *convulsioni.*

Art. 223. Vitio relicto ex febre intermittente, continua, maxime hæmitritæo, variolis, morbillis, febre scarlatina, inflammationibus diuturnioribus internis, febribus putridis, & ephemera protracta non bene sanata — si vero pus misceatur sanguini ex abscessu, vomica, ulcere interno quodam præprimis pulmonum, aut aliis ulceribus externis, & fistulis, produxerit febrem hecticam, medicamentis antipuricis curandam. *De Gorter*. *Eadem interdum hecticam febrem producunt.*

Art. 224. In omnibus denique exanthematicis refrigeratio, itemque lecti, & indusii mutatio summe sunt noxia, adeoque serio vitanda: nam hæc facile mortem, ut sæpe vidi, aut gravissima saltem mala inducunt. E contrario autem nimius calor quoque est perniciosissimus. Tranquillus vero decubitus in moderato, & æquali calore, ad blandam, & æqualem transpirationem semper conservandam, quam utilissimus est, atque quam maxime commendandus, nisi forte in lenissimis Variolis, morbillis, scarlatinis & urticatis, ubi deambulatio in cubiculo temperato, clauso, ipsis concedi potest, quamdiu ambulare volunt, aut possunt: *Heisterus* *Quodnam Regimen observandum.*

FEBRIS SCARLATINA.

Sydenhami sententia.

Febris scarlatina. *Art.* 225. FEbris *scarlatina* quovis anni tempore, sed ut plurimum sub autumnum, se prodit, infantes præ cæteris infestans; Rigent, horrentque in initio, ut in aliis Febribus, neque vehementer ægrotant; postea cutis universa maculis parvis rubris interstinguitur, latioribus magisque rubentibus, at non perinde uniformibus, ac sunt in morbillis: ad duos tresve dies perdurat rubedo, & deinde evanescit, cutem relinquens aliquanto asperam & furfuraceam.

Curatio. *Art.* 226. Quoad curam naturæ prorsus relinquenda est, vel, si medicatione opus sit, cum morbillis satis convenit.

Efflorescentiæ modus. *Art.* 227. „ Febris scarlatina (inquit Mortonus) a morbillis minime distat, nisi *efflorescentiæ* modo; *morbilli confluentes* dici potest. „ Idem postulat regimen, eandemque medendi „ methodum. *Efflorescentia* in morbillorum in„ terstitiis figuram diversam viz. oblongam, qua„ dratam, vel multangulam obtinet, unde cutis „ variegata est: in Febre autem *scarlatina* una „ continuata inflammatione & rubedine cuticula „ perfunditur.

Junckeri sententia.

Historia Scarlatinæ accurata. *Art.* 228. Incipit & hæc purpuræ species cum leni horripilatione, quam temperatus subsequitur æstus, plerumque siti moderata, faucium ardore, & virium dejectione stipatus. Adest etiam oppletio pectoris, respirationem difficilem reddens, cum tussicula sicca. Accedit capitis

gra-

gravitas vertiginosa, aut dolor magis acutus. Die quarto tota facies intumescit, & erumpunt maculæ intensius rubicundæ, primo parvæ, mox vero latiores redduntur, & coalescunt, ac totam faciem summa rubedine tingunt. Circa hoc tempus in quibusdam, præcipue plethoricis superveniunt hæmorrhagiæ narium. Postea hæc maculæ latæ etiam in pectore, & dorso, tandem in artubus prodeunt, & totam superficiem tegunt. Postquam duos, aut tres dies ita substitere, rubor ille insignis perit, facies detumescit, & squamulæ decidunt. Febris satis tranquille excurrit, & cum moderata diaphoresi salutarem eventum obtinet. Alvus ordinarie toto hoc tempore est clausa, uti etiam in reliquis speciebus, quæ tamen sub finem morbi sponte aperitur. De reliquo hæc febris sereno, & æstivo tempore usitatius affligit.

Art. 229. Febris scarlatina quando sibi relinquitur nihil mali portendit, & sponte interdum iterum cessat. Si autem imprudenter tractatur in primis per regimen nimis calidum, aut per alia sanguinem commoventia, mala plerumque consectaria habere solet. Sufficiens hæmorrhagia narium sub eruptione scarlatinæ contingens, morbum insigniter imminuit.

Art. 230. Methodus vero medendi hic eadem omnino est, ac quæ ad purpuram urticatam adhibetur, cujus ex eodem descriptionem mox subnectemus.

Heisteri sententia.

Art. 231. Febris *scarlatina* cognoscitur, quando in febre acuta maculæ amplæ, rubræ, ad colorem scarlatinum accedentes in cute hinc inde prorumpunt, eæque mox primis diebus, immo *Diagnosis.*

mo quandoque antequam febris percipiatur, quæ supra cutem non elevantur, & quidem etiam in facie, ubi petechiæ vix unquam prodeunt.

Methodus medendi. *Art.* 232. Per se quidem non adeo periculosa, & pueros fere solum aggreditur. Quando levior, sola natura, præsertim si aptum regimen accedat, sæpissime sine medicamentis curatur; sed si paulo gravior, causa morbi optime corrigitur, & quoque expellitur sufficienti potu diluente, temperante, acidulo, potiunculis, & mixturis temperantibus ac diluentibus, ut & pulveribus temperantibus, & blande diaphoreticis, quando ægri a pulveribus non abhorrent, vitatis medicamentis, & alimentis omnibus calidioribus, quia ab his morbus redditur gravior, servatoque eodem regimine & victu ut in ceteris exanthematicis, & speciatim variolis. Qua via maculæ post aliquot dies sensim disparebunt, cuticula ferè tota per lamellas decidet, & ægri tunc reconvalescent: quo tempore purgandi, & postea adhuc per plures dies in cubiculis, præsertim si tempestas frigida est, conservandi, ut transpiratio aliquandiu libera conservetur, utpote quod ad sanitatem integram recuperandam valde hic est necessarium.

Quomodo anasarca post scarlatinam curatur. *Art.* 233. Quodsi vero ægri aut parentes hoc negligant, post tres circiter hebdomadas *tumore ventris* immo totius sæpe corporis, sive *anasarca* cum vel sine febre corripiuntur, immo & *tumoribus glandularum*, aliisque sæpius malis gravioribus; urina simul solet fieri fusca ac turbida, & multi inde moriuntur. Cum vero novus hic morbus, (quem quidam pro altera febris scarlatinæ periodo habendum esse censent) ex retentis noxiis humoribus in corpore ortum trahat, optime ei medetur remediis, quæ hos humores e corpore educunt: id quod optime

fit:

fit: 1°. alvum ducentibus, iisque per intervalla repetitis, 2°. quæ eos per urinam, utpote quam viam natura, urina illa fusca ac turbida, indicare videtur, expellunt; qualis præ ceteris est tinctura tartari bis terve in die ad x. xv. vel xx. guttas exhibita; vel & huic liquor terræ foliatæ tartari, aut spiritus nitri dulcis commode admisceri potest; 3°. quando infantes aut pueri purgantia assumere renuunt, clysteribus quoque e decocto fol. senn. satis apte purgantur. Sudoriferis vero hic nihil efficitur, dum sudor vix ulla ratione obtineri potest. Interea tamen partes tumidæ a frigore probe sunt defendendæ: nam si valde frigent, sæpe instantis mortis indicium præbent. Si febris combinata est, quæ frequentissimum hujus mali solet esse symptoma, mixturæ & potiunculæ temperantes ex aquis diureticis paratæ, horis pomeridianis, & vespertinis sedulo exhibendæ. Alia symptomata remediis suis propriis sunt oppugnanda.

FEBRIS cum PURPURA URTICATA.

Art. 234. Febris hæc invadit sæpius cum subtili sensu refrigerii in superficie corporis. Subsequitur inde moderatus calor, hunc comitatur sitis non tamen adeo intensa; jungitur etiam aliqua capitis perturbatio, aut lenior ejusdem dolor. Tandem cum multo pruritu, & superficiali tensione, & rigore hinc inde exanthemata tam in facie, quam in reliquo corpore erumpunt. *Diagnosis.*

Art. 235. Hæc exanthemata cutim superant, & citò in notabile augmentum adcrescunt, ac paucas quasdam eminentias, paulo latiores coloris pallido rosei urticarum læsiones referentes, offerunt. Nonnumquam cum tuberculis semi-erysipe-

sipelaceis, & asperitate serpiginosa efflorescit, & aliquo modo erysipelatis indolem imitatur.

Art. 236. Febris si adest mitioris indolis esse solet, non tamen constanter permanent exanthemata, sed diurnis in primis horis evanescunt, quibus etiam motus febriles remittunt. Circa vesperam vero, ubi febris revertitur, denuo prodeunt, & eo tempore etiam pruritus molestus, & ardens insigniter adfligit. Totus morbus intra triduum, aut quatriduum finem suum assequitur, & si a febre immunis est, adhuc citius exitum sortitur. Una cum temperata diaphoresi exit, & post cessationem exilissimæ squamulæ ab affecta parte secedunt.

Curatio. *Art.* 237. Si umquam alibi certe in purpura methodus medendi debet esse temperatissima. Hinc essentias alexipharmacas utut temperatas, durante morbo hic excludimus, & solos pulveres febriles cum potionibus diapnoicis, & emulsionibus adhibere commendamus. Immo in purpura simpliciore non maligna, sed chronica, nec antimoniata quidem fixa adhibenda esse censemus, quoniam in sensibilibus plus commotionis excitant, quam imperitus forte crediderit. *Confer. Præfat. Illustr. Stahlii.*

Art. 238. Quando diarrhœæ accedunt pulvis corticis cascarillæ ad grana decem pulveri febrili miscendus est. Sudores spontanei, qui durante morbo non exigua incommoda efferunt, neque supprimendi, neque promovendi, sed prudente ratione moderandi, vel tolerandi sunt. In declinatione morbi essentiæ alexipharmacæ temperatæ cum lenissimis laxantibus locum habent.

Art. 239. Regimen coactum licet noxium sit, caveant tamen sibi decumbentes, ne exiguum etiam aeris accessum refrigeratorium admittant:

hinc

hinc necessarium erit per illos dies, quibus purpura durat, lectum non sternere.

Art. 240. Quando exanthematum recessionis metus subest, potus aquæ calidæ ex. gr. thee commendatur, extra hunc autem timorem pro potu ordinario cerevisia dilutior, bene tamen defoecata, usui esse potest.

MORBILLI.

Sydenhami sententia.

Art. 241. In morbillorum apparatu primo die calor & frigus se mutuò expellunt, die secundo Febris sensibilis adoritur vehementi ægritudine, siti, inappetentia, lingua alba (non verò sicca) tussicula, capitis atque oculorum gravedine, & somnolentia perpetua stipata, plerumque etiam a naribus & oculis stillat humor (*signum certissimum* morbillorum ingruentium) insuper maculæ latæ & rubræ in facie & pectore conspiciuntur; sternutat æger, intumescunt palpebræ (viz. paulò ante eruptionem) vomit, sæpius tamen laborat diarrhoea cum dejectionibus subviridis coloris. Ingravescunt symptomata ad quartum usque diem, vel aliquando ad quintum, quo tempore maculæ pulicum morsibus similes prodeunt, quæ tam numero quàm magnitudine auctæ racematim coalescunt, & faciem maculis rubris variæ figuræ intersti nguunt, quæ quidem maculæ a parvulis quibusdam papulis rubris haud longè ab invicem dissitis super cutis superficiem paululum elevatis conflantur, digitorum levi tactu deprehenduntur, oculis remotis fugiunt: a facie sensim ad pectus, ventrem, crura, &c. se diffundunt. Die sexto aut circiter asperescit facies emorientibus pustulis; octavo in facie penitus eva-

Historia morbillorum accurata.

evanescunt, nono vix ullibi inveniuntur; tunc temporis augetur Febris, & spirandi difficultas, urget tussis, &c. *Morbilli omni vacant periculo, si modo perite tractentur.*

Curatio. *Art.* 242. „ Morbili ab Avicenna *variolæ cholericæ* appellati cum ipsis variolis coœvi sunt, „ & quoad curam his cum illis satis convenit: *Diacodium* quotidie vesperi exhibendum est; *linctus* quoque & *apozemata pectoralia* propinari possunt ad tussim leniendam. Sin verò ex calidiore regimine, vel aliter, febris, dyspnœa, aliave accidentia post morbillorum decessum supersint, *venæsectione* sola curantur, quæ sine metu in tenellis audacter celebranda est. In regimine intense calido exanthemata aliquando livescunt, & nigrescunt, in adultis phlebotomia & temperatiore regimine sublevantur aut pereunt; in peripneumoniam incidunt.

Art. 243. „ Morbilli nonnunquam (inquit Sylvius & omnes hoc scimus) per aliquot dies distingui non possunt a variolis, *ne quidem a medicis peritissimis, atque diu in praxi versatis:* „ longè proinde satius est in re dubia medicum „ vel suspendere suum judicium, vel dubiè dumtaxat respondere.

Mortoni sententia.

Curatio in singulis stadiis. *Art.* 244. Quoad curam morbillorum, in primo stadio, scilicet, ante efflorescentiam paucissima remedia sunt adhibenda, nisi gravissima symptomata superveniant, uti spasmi, enormes humorum colliquationes, &c. Si spiritus nimis irritentur, & in spasmos rapiantur, remediis appropriatis compescendi sunt, nempe *julapiis & aquis cœphalicis cum tinctur. castor. pulvere de Guttetà*, &c. Et si nisus spirituum indè non nimia-

nuatur, guttæ aliquot *laudani liquidi* propinari debent. Ad *diarrhœam* quod attinet, satius est palliativa curatione ejusdem molestiam, quoties insolito more sævit, minuere, quam contra naturæ legem eam penitus tollere, atque ita ægrotantem occidere; abstineat æger a cerevisia, bibatque decoctum album, & exhibeantur pulveres testacei; non nisi extrema necessitate ad *laudanum* perveniendum est. Ad tussim ferinam ab acri lympha ortam quadantenus cohibendam conveniunt *mucilaginosa*, *pectoralia*, *oleum amygdalarum dulcium*, *&c.* (privatim *syrupus e coral.* *& tinctura ejusdem*.) „ In tussi morbillorum pa- „ thognomonica, sæpè permolesta, & convulsi- „ va, & nonnunquam lethali nullum remedium „ præstantius novi (inquit *Harris*) quam *gummi* „ *tragacanthum* copiosius sumptum in linctu vel „ decocto pectorali solutum, & pulveribus te- „ staceis mixtum. Id enim gummi catarrhum „ maxime lenire solet, tussimque inde progna- „ tam, symptoma morbillorum primarium, si- „ stere aut levare aptum natum est, longe melius „ tutiusque narcoticis, quantumcunque hæc lau- „ dantur a clarissimo Sydenhamo, &c.

Alvi fluxus.

Tussis.

Art. 245. Efflorescentia jam incepta, imo eruptione plena existente quandoque suboritur *peripneumonia* cum respiratione anhelosa, strangulatione suffocativa, deglutitione læsa, &c. quo in casu, multo usu fretus omnibus author sum, ut sanguis copiosius educatur, æque ac si æger morbilloso affectu correptus non fuisset. Idem in *ophthalmia* molesta ac periculosa faciendum moneo. Ad *alvi fluxum* in hoc stadio compescendum non minus tutus quàm necessarius est opiatorum usus. Efflorescentia peracta, si Febris venenatis symptomatis adjuncta remaneat, actum est de ægro. Contra, si crisis fuit perfecta, ca-

Peripneumonia.

Ophthalmia.

Diarrhœa.

thar-

Ultimum stadium. thartica hydragoga adhibeantur, ad lymphæ colliquatæ affectus exitiales impediendos: non tamen præpropere massa sanguinis agitetur, antequam venenum fuerit omnino subactum. Quoties æger post morbillos *tussi ferina, & perpetua*, vexatur; primo in loco *venæsectio* celebretur, &, si opus fuerit, post unum vel alterum diem iteretur, & una cum *linctibus & medicamentis lenientibus* (quemadmodum in catarrho exhibere solemus) *cortex Peruvianus* copiose exhibeatur, & *opiatum* hora decubitus pro re nata.

Tussis ferina superstes.

V. S. *Art.* 246. „Ad præcavenda dira symptomata „in hoc affectu evenientia, ab authore nostro „enumerata, *phlebotomia* mature, in morbi ini„tio, celebrata, & vomitorium exhibitum fœ„liciter plerumque succedunt.

Art. 247. „Qui Variolis laborarunt, non sunt „adeo morbillis postea obnoxii, quare ætate „grandiores non ita prompte inficiuntur.

Hoffmanni sententia.

Morbillosa febris descriptio. *Art.* 248. Morbillosa febris est catarrhalis exanthematica, ut plurimum epidemica, qua motu vitali cordis, & arteriarum aucto, materia acris caustica, inflammans, ex interioribus, nervosis maxime partibus, sub forma macularum rubrarum ad cutem pellitur.

Differt a variolosa. *Art.* 249. In scholis & scriptis Medicorum plerumque quidem morbilli simul cum variolis pertractantur. Nec negandum multum utrisque esse affinitatis. Utraque enim febris exanthematica contagiosa, & epidemica, omnibus hominibus perpetienda; utraque certis temporibus magis vel minus benigna, & sequitur quam maxime atmosphæræ statum, corporis dispositionem ac temperamentum.

Art.

Art. 250. Maculæ ut plurimum post tertium diem prodeunt, pro varia corporum, succorumque dispositione diversæ, in aliis latiores, & ampliores, in aliis minores, in quibusdam instar morsus pullicum, modo rubicundi & purpurei, modo pallidioris, & magis plumbei aspectus. Maculæ hæ non elevantur in pustulas, ut variolæ sed lenticulari aliquali eminentia planam cutis superficiem excedunt --- Petechias item amplitudine, & elevatione tantisper notabiliori superant, longe mitioribus etiam symptomatibus stipantur, & malignitatis ut plurimum sunt expertes. *Morbillorum characteres, & differentiæ.*

Art. 251. Interim Morbilli per se minus periculi habent, & sæpius, potissimum in plebeis sine Medici ope, debito tantum regimine, iterum discedunt. Interdum tamen ob præcedentem, anomalam, insalubrem, diuturnam, temporum constitutionem, malignam habent epidemici in primis indolem, vel accidentales etiam possunt accedere causæ, ægros in discrimen adducentes. Malignitatem autem prodit virium impensa prostratio, extremorum frigus, inquietudo summa, vomitus, deglutitio difficilis, mentisque alienatio. Malum dein quando aliæ maculæ, virulentiæ non expertes, uti petechiæ, purpura, vel etiam pustulæ scorbuticæ complicantur, vel in fine cum vitæ discrimine superveniunt. Tussis porrò continua cum alvi profluvio, & inquietudine magna, infaustum præsagire solent eventum. Neque boni ominis sunt sudores largi præsertim in provectioribus, qui ob malam diætam, & spirituosorum potum, calidum alunt, & impurum sanguinem; ex facili enim admisso levi frigore, maculæ funesto plerumque eventu recedunt. Finito etiam morbo si tussicula cum raucedine *Prognosis.*

persistit, nisi citò idoneis succurratur remediis, in phthisim, & hecticam fit transitus. Qui autem morbillis occumbunt, maxime ex infantibus nono plerumque die suffocantur; in quibusdam superato morbo remanet alvi fluxus ad aliquot hebdomadas durans tabem cum morte demum inducens.

VARIOLÆ.

Art. 252. „ Nihil de Variolis ante *medicos Arabes* scriptum invenitur. Hic verò morbus antiquior est, quam vulgò creditur. Authores isti existentiam ejus usque ab initio septimi seculi temporibus *Muhammedis* investigarunt. (Vid. *Freind.* hist. med. p. 188. vol. 2.) Variolæ ita appellantur, quasi parvi vari, quod cutem varient. Homini omni soli, & semel convenit Variolis & morbillis affici: in hoc autem censu non supputandæ sunt pustulæ variolosis similes, quas vulgò vocant *the Chicken Pox*; pueris familiares sunt; Variolis veris quidem similes sunt, quoad magnitudinem & figuram, sed in eo ab iis distinguuntur, quod Variolæ cum rubore & inflammatione insigniori appareant, hæ verò albidiores sunt, & veluti vesiculæ seroso humore repletæ, quæ intra triduum disrumpuntur, & exsiccantur, nullumque afferre solent periculum, & plerumque sine Febre erumpunt. *Morbus est adeo benignus, ut nunquam sub curam medicam cadat.* Variolæ (inquit Dolæus) quoad ortum suum seminarium habent nobiscum connatum, quod aliquamdiu sepultum jacet, donec nacta emergendi occasione ex latibulo erumpat, & massæ sanguineæ commixtum symptomata terribilia, & sæpe mortem producat: inter multas ho-

Chicken Pox.

homi-

„ minum myriadas vix unus & alter per totam „ vitam ab his immunis manet. Ex cadaverum „ sectionibus patet viscera universa in corporis „ cavitatibus contenta pustulis variolosis confer„ tim affici, æque ac cutis externa. „

Sydenhami sententia.

Art. 253. Variolæ sunt *distinctæ* vel *confluentes*: Distinctæ seu discretæ cum rigore ac horrore invadunt; sequitur calor intensus, capitis & dorsi dolor vehemens, vomituritio, dolor circa scrobiculum cordis, somnolentia, in infantibus præsertim; quandoque etiam paroxysmi epileptici, qui Variolas mox proruptura, easque futuras esse mites ac benigniores plerumque præsagiunt; quarto ut plurimum die ab invasione erumpunt, & symptomata febrilia evanescunt, nisi quòd adulti in sudores sint propensi. In facie primò conspiciuntur pustulæ subrubræ, deinde collo, pectore, & universo corpore, quæ magis magisque inflammantur, & in dies elevantur, & subalbidæ fiunt, cute in interstitiis satis floridum colorem exhibente; die undecimo faciei tumor ac inflammatio recedunt, & pustulæ exarescere incipiunt; in hac Variolarum specie (si quando) die 14°. vel 15°. pereunt. *Variolarum discretarum historia.*

Art. 254. Confluentes cum discretis symptomata communia habent, nisi quod hic atrociora sint omnia; tertio die erumpit hæc species, aliquandò citius, raro serius; interdum verò, licet oppido raro, ob gravius aliquod symptoma, lumbaginem doloremve lateris, &c. serius erumpunt, neque periculo vacant. Febris etiamnum durat, crescente morbo pustulæ non in spectabilem molem attolluntur, uti in discretis, sed sibi invicem implicitæ vultum omnem conte- *Confluentium historia.*

gunt, & illum in tumorem elevant, dein ad instar pelliculæ albæ in cutis superficie conspiciuntur. Præterlapso die octavo pellicula alba quotidie exasperatur, & ad colorem fuscum vergit, eoque magis quo Variolæ confluxerunt. *Magnitudo morbi a facie maxime æstimanda est, potiùs quam reliquo corpore*. In hoc genere adest in adultis salivatio, in infantibus diarrhœa; salivatio nonnunquam sub primum eruptionis tempus se prodit interdum post diem unum vel alterum; die ferè undecimo saliva viscidior facta difficulter excreatur, ægri suffocationem intentans, & circa id temporis ut plurimum cessat, & tumor faciei paulatim subsidet, & tunc ejus loco manus intumescere solent, aut debent; diarrhœa non ita mature infantes invadit; sub vesperam exacerbatur morbus. Variolis discretis laborantes octavo, confluentibus verò undecimo die maxime intereunt. Interdum accidit pleuritis, interdum coma; interdum maculæ purpuræ (*totidem quasi sphacelis*) pustulis intersperſæ (mortis ferè semper prænuntiæ;) quandoque mictus sanguineus, & aliæ Hæmorrhagiæ, quæ idem ominantur, nonnunquam urinæ suppressio.

Art. 255. In confluentium genere æger (ut dixi) maxime periclitatur (a primo insultu computatione facta) die undecimo viz. in maxime vulgari confluentium genere, in crudiori adhuc 14, in crudissimo 17, rarissime 21. Ego Variolosum ab usu lectuli interdiu semper arceo usque ad sextum diem a prima morbi invasione, quartum ab eruptione, quo tempore omne pustularum agmen in conspectu est; posthac eundem lectulo committo usque ad morbi finem.

Regula ferè semper observanda.

Curatio.

Art. 256. „ In confluentibus (ut recte inquit „ *Dolæus*) periculosæ plena res est aleæ, & me- „ dicus occasionem habet suas tentandi vires, &

„ osten-

„ ostendendi, quid in arte medica calleat. „ Indicationes curativæ duæ sunt, nempè, 1° ut æquabilis tenor ebullitionis conservetur; 2° ut pustulæ debito modo sustineantur, regimen calidum vitandum est; *gradus caloris earum expulsioni accommodatissimus naturalis omnino est*; non opus est, ut æger ante diem quartum (255.) lecto addicetur; neque ut ad propellandas variolas ullum remedium sumat; quarto vero die, si eruptio ex votis haud succedat, exhiberi licet cardiacum aliquod blandius. Discretum genus ex sua natura plerumque omni vacat periculo. In confluentibus æger a sudore, quantum fieri potest, prohibendus est, & ptyalismus in vigore conservandus; promovetur autem affatim bibendo cerevisiam tenuem vel liquorem alium non nimis calefacientem. Adultis propinare soleo *paregoricum cum laudan. liquid. gut.* xiv. *vel syr. de mecon.* ℥j. hora sexta vel septima vespertina singulis noctibus post plenam eruptionem ad morbi usque finem; temporius autem *hypnoticum* quam pro recepto more præscribo, quoniam exacerbatio caloris quotidie sub vesperam ferè reperitur; ex quo non modo incommodi nihil, sed magnum emolumentum, quod frequentius experientia didici. *In hoc genere diarrhœa in infantibus est salutaris, & non temere sistenda, contrà in discretis.* De venæsectione die octavo, & de auræ liberaliori exponendo, si quis velit, authorem consulat. *p.* 153. &c. Cum saliva admodum viscida evadat, uti soleo *gargarismate* sequente; ℞. *Cort. ulmi* ℥vj. *rad. glycyrrhiz.* ℥ß. *passular. enucleat.* N. xx. *rof. rub. p.* ij. *coq. in q. s. aq. font. ad* ℔ß. *colatura dissolv. oxymel. simpl. mel. rof. ana* ℥ij. *m. f. gargarisma.* Interdum *emeticum* propinandum est. In *urinæ suppressione* æger e lecto debet eximi. Pustularum depressio & diarrhœa *Nota bene.*

in variolis discretis medicamenta *cardiaca* postulant. Febris illa, quæ die undecimo, &c. adoritur, diversa est ab ista, quæ eruptionem præcedit; nihil enim est aliud, quam *Febris putrida proprie dicta hæc Febris secundaria;* ad hanc autem fugandam nihil efficacius præstat, quam copiosa sanguinis eductio; non enim nunc cum variolis res est sed *Febre putrida;* mittendus est itaque sanguis ad ℥x. vel xij. & *anodynum* bis in die propinandum; ob immensam alvi constipationem præscribere soleo *elect. lenitiv.* ℥iß. in aqua lactis solut. Nihilominus *anodynum* stato tempore continuandum est; si prima vice votis non respondeat, iteretur die proximo: atque hac ratione tam *venæsectio* quam *catharsis* per intervalla repeti possunt, prout Febris mos atque ægri inquietudo postulare videntur, donec tandem res in vado sit. Sched. mon. p. 81. &c. In Variolis confluentibus magna est virtus *spiritus vitrioli* a 5to vel 6to morbi die usque ad finem copiose in cerevisia ten. exhibiti; commoda & incommoda hujus remedii. p. 256. &c. ubertim recensentur.

Variolæ anomalæ discretæ. *Art.* 257. Variolæ anomalæ: *Discretæ* hæ a legitimis discriminabantur, quòd erumpebant die 3°, illæ 4°, pustulæ minores fuerant; sæviebant tamen magis, & ante maturationem frequentius nigrescebant, ptyalismus (ut in confluentibus) aderat immediate post eruptionem; *Confluentes* hæ ab aliis discrepabant, quod nunc die secundo, nunc tertio se primum monstrabant tumore subrubro atque uniformi, quibusdam in locis; in femoribus præcipue, vesiculæ, ambustorum ad instar, sero limpido distentæ eminebant, quod disrupta pellicula copiose affluebat, subjecta carne nigredine & *sphacelo* quasi affecta; periculo non vacant ante diem septimum, in aliis con-

Confluentes.

fluen-

fluentibus dies undecimus (ut plurimum) est criticus. Postremo hæ calidioris naturæ & magis inflammatoriæ; ideoque temperato regimini indulgendum est. *Hydrogala* ex tertia parte aquæ & lactis una simul coctis ægri palato & votis ut plurimum respondet, & ptyalismum fœliciter promovet.

Mortoni sententia.

Art. 258. Variolarum quatuor sunt stadia, viz. apparatus, eruptio, maturatio, & declinatio, in quibus varia occurrunt symptomata, quæ diversam medendi methodum postulant. *Quatuor stadia Variolarum.*

Art. 259. Primum stadium est a morbi ipsius insultu usque ad eruptionem generalem. In hoc stadio urina tenuis & pallida, præsertim si adsit frequens micturitio, male ominatur; urina rubicunda & contentis saturata contrarium indicat (insolitus aliqualis dolor vehemens, præsertim colicum æmulans, est pessimum signum.) Diarrhœa in hoc stadio non permittenda est, quin *decocto albo* & repetitis *laudani* dosibus est cohibenda, vel astringentibus sistenda. Vomitio in hoc stadio non statim supprimenda est, sed potius (nisi valde enormis fuerit) cum repetitis haustibus liquoris possetici carduati, vel cum pauco sale Vitrioli leniter promovenda est: Evacuatione autem hac levi peracta, vel si vomitio ex morbi ipsius genio modum excedat, illico tumultum spirituum compescere oportet, eorumque vires conservare alexipharmaco aliquo remedio cum opiato commixto, & post justa intervalla repetito; sequens est formula mihi familiaris, ℞. *Aq. card. lact. alexiter. hord. menth. stephan. ana* ℥ij. *sal. absynth.* gr. xij. *pulv. rad. serpent. virgin. e chel. cancr. comp. lapid. Contrayerv.* *Primum stadium.* *Diarrhœa.* *Vomitio.*

ana ʒß. *ſyr. caryoph. vel menth.* ℥ß. m. f. julap. de quo capiat ægrotus coch. ij. iij. vel iv. quarta quaque hora, addendo ſingulis doſibus laudan. liquidi guttas aliquot pro re nata. „ Sanguis (inquit *Liſter*) in Variolis non proprie mittitur, „ ſed ex accidente tantum ut ſymptomati alicui vehementiori ſuccurratur. „ In dolore capitis, artuum vel lumborum, item in dolore pleuritico, ſeu peripneumonico, ut etiam quandoque in colico, neceſſaria eſt *venæſectio*, ut ſymptomata iſta averruncentur; *veſicatoria* etiam & *opiata* hic locum habent; præcipue autem in affectibus comatoſis. Ubi vigiliæ in hoc ſtadio pertinaces fuerint, non raro in proximo ſtadio exanthemata confluunt, quorum eruptioni deliria, ſpaſmi, cæteraque funeſta ſymptoma ſuperveniunt, quo nomine hoc ſymptomata venæſectione & opiatis, ut ut ſpirituum vires inde minuantur, opportune cohibere par eſt, adhibitis interea viſicatoriis & alexipharmacis. „ Inſolitus „ aliqualis dolor vehemens ante eruptionem Variolarum, privatim *dolor colicam paſsionem æmulans;* eſt peſſimum ſignum, & fere ſemper „ lethale, ut plus ſemel obſervavi, præſertim ſi „ adfuerit etiam *micturitio*. „

Dolores ſpaſmodici.

Vigiliæ.

Stadium ſecundum.

Art. 260. In ſtadio ſecundo exanthemata parva inſtar acu puncturarum primo in facie, collo, pectore, &c. erumpunt tumore renitente, & rotundo; die ſecundo baſes ſuas ampliant, & tertio (ultra quem hoc ſtadium non excurrit) in ſummitatibus acuminantur; quo longius eſt hoc ſtadium, eo periculoſior eſt eventus; in hoc ſtadio in benigniori ſaltem genere, ubi nullum adeſt funeſtum ſymptoma, haud par eſt ullo remedio naturam laceſſere, utpote quæ propriis viribus inſtructa ſine artis ſuppetiis ſatis valide ſuo officio ſungi potis eſt.

Art.

Art. 261. Triduo eruptionis elapso variolæ, sicut alia quævis tubercula inflammata, concoqui incipiunt, & lympha venenata per glandulas cutaneas naturæ lege colata acrimonia sua cuticulam a vera cute separat; unde apices exanthematum, paucarum horarum spatio, primum albescendo quadantenus intumescunt; dein lympha eadem pro morbi indole & naturæ viribus citius vel serius in pus mutata flavescunt, aut saltem colorem cineritium vel subfuscum obtinent, ubi desinit hoc stadium. Durante maturatione variolarum benignarum nulla exsurgit indicatio, sic forsan adhiberi possunt *laudani liquidi* guttæ aliquot ad dolorem leniendum, & somnum conciliandum. Inter maturandas variolas, si tarde procedant, ℞. *Lentium crasse contus.* ℥j. *ficuum ping. par.* vj. *ras. C. C.* ℥ß. *coq. in liquore posset.* ℔ij. bibatur copiose ad libitum, & si adsit ptyalismus commode usurpatur gargarisma sequens, ℞. *Lentium crasse contus.* ℥j. *rad. alth.* ℥ß. *ficuum ping. parv.* vj. *vel* vij. *hord. mundat. p.* j. *glycyrrhiz. ras.* ℥ij. *coq. in q. s. aq. font. ad* ℔ißs. *colatur. add. mel. ros.* ℥iß. *m.* vel gargarism. variolos. *Fuller.* Vitentur acida in gargarismatis, nisi in maxima deglutiendi difficultate; deficiente salivatione, promoveatur urinæ profluvium exhibendo dosin unam vel alteram pulveris Æthiopici. *Stadium tertium.*

Art. 262. Stadium ultimum Variolarum est earum declinatio, in quo exanthemata pure maturo, & laudabili referta primum incrustari, & scabie subflava obduci incipiunt; dein post unum vel alterum diem pure concrescente exsiccantur, & in arida tubercula ubique mutantur, quæ sensim emollita sponte evanescunt. Raro quispiam hoc morbo interimitur, nisi in declinationis stadio, scilicet in variolis benignis; de his etenim *Stadium ultimum.*

ut plurimum hactenus locuti sumus. Declinatio cum ἀπυρεξία, & appetitu restituto optime significat. Petechiæ seu vesiculæ miliares in hoc stadio erumpentes funestum eventum denuntiant; deliria, vigiliæ, subsultus tendinum, &c. in hoc stadio pejus ominantur, quam in præcedentibus: paucissimi enim vel nulli hoc modo affecti convalescunt; scabies diu pure scatens, atque inde sæpe decidens, & renascens, meliorem sortitur eventum, quam ea, quæ de repente exarescit; variolæ, quæ scabie sessili & adhærenti obducuntur, male præsagiunt.

Variolæ benignæ. *Art.* 263. Ubi Variolæ fuerint figuræ exactissime rotundæ, discretæ, & margine admodum rubro circumcinctæ, neque petechiis, eruptionibus miliaribus, vel quavis alia nota exitiali, interpunctæ, & primo maturationis die in summitate albæ, tumore turgidæ, & die secundo circa basin auctæ, & in summitate acuminatæ, minus pellucidæ; & tertio materia in pus convertatur, eventus fœlix duodecimo saltem morbi die insecuturus expectandus est.

Variolarum malignarum quatuor gradus. *Art.* 264. Quatuor sunt variolarum malignarum gradus, viz. confluentes universaliter, confluentes particulariter, discretæ verum admodum parvæ & cohærentes, maxime confertim ubique erumpentes, & denique discretæ cum petechiis & eruptione miliari conjunctæ. *Gradus primus.* Primi gradus sunt, quando cutis universa erysipelatoso tumore (maculis nigris hic illic interspersis) cum æquali superficie quadantenus crassescit; post triduum cutis albescit, & pergamenæ speciem inducit; atque hæ sunt variolæ maxime exitiales; ægrum ultra secundum maturationis diem nunquam superstitem novi. *Secundus.* Variolæ secundi gradus magis vulgares sunt, quando cutis faciei sola erysipelatosa est, & primo maturationis die pergamenæ spe-

speciem refert, dum in artubus & trunco corporis exanthemata fuerint fere discreta non tamen regularia; vix enim oculo distinguuntur ab efflorescentia morbillosa, vix apices tollunt, sed sæpe livescunt, unde mortem instare certo præsagire licet. Variolæ malignæ tertiis gradus, ubi quasi discretæ verum admodum parvæ & cohærentes, quæ non acuminantur, sed in cute solummodo conspiciuntur, ac si ab urticæ plaga exasperatæ, donec sub initium maturationis albescentes confluant, & speciem pergamenæ exhibeant. Rarius quenquam hac specie affectum, nisi ope Ptyalismi diutius protracti, ingentis urinæ profluvii, vel intumescentiæ artuum diuturnæ, ad decimum quartum vel decimum quintum morbi diem superstitem novi. *Tertius.*

Art. 265. Gradus ultimus est, quando Variolæ erumpunt quidem discretæ figura & magnitudine regulares, verum vesiculis aqueis, vulgo *the VVhith-hives*, petechiis, vel maculis lividis in interstitiis, præsertim in collo, pectore, & artubus distinctæ; atque hæ non minus sunt exitiales quam confluentes. *Gradus ultimus.*

Art. 266. In Variolis malignis Febris continua mali moris post eruptionem remanet cum lingua arida, pulsu debili, &c. Neque prorsus exulat, ut in benignis solet: materia enim morbosa, vel propter malignitatem, vel morbi magnitudinem, per glandulas cutaneas satis protrudi nequit, unde dira symptomata evenire solent nimirum hæmorrhagiæ admodum periculosæ, quæ ut plurimum, (maculis purpureis & nigris eodem tempore in conspectum venientibus) funestissimæ sunt, & vix aut ne vix arte cohibendæ, nisi forsan Vitrioli fræno præpotenti (aq. styptic. reg.) obsignari possint; *nihil tamen profecimus, si non una possimus vesicatoriis & alexiteriis generosissimis* *Curatio symptomatum.* *Hæmorrhagia.*

mis vires spirituum pene extinctorum denuo resuscitare; venæsectio mortem accelerat. *Micturitio.* Micturitio licet non adeo formidabilis, pessime tamen ominatur; in hoc symptomate sublevando *cineres bufonum* egregias obtinent vires (ut mihi usu compertum est) dos. ℈i. cum aliis alexiteriis quarta vel sexta quaque hora. *Dolor. Gutturis.* Dolor gutturis & deglutitio impedita est symptoma quandoque maxime affligens & molestum; fauces itaque externæ ab aeris injuriis pannis laneis mollibus duplicatis muniri debent, quæ plus valent, quam croceata, vel alia quæcunque amuleta; & usurpentur gargarismata appropriata, &c. *Salivatio.* Salivatio copiosa, & diu protensa cum insigni capitis & faciei intumescentia bene significat; ptyalismus vero brevis & de repente suppressus, nisi profluvio urinæ, aut intumescentia extremorum excipiatur, malum omen exhibet; salivatio diarrhœa excepta pessime significat.

Post Variolarum declinationem inappetentia & calor hecticus. *Art.* 267. Morbosi quidam affectus quandoque post Variolas suboriri solent, inter quos inappetentia primum locum vendicat, quæ frequenter cum calore hectico conjuncta est, quo in casu ego multo usu doctus *alexipharmaca* (quo cæteros professores serio moneo) ubi calor fuerit continuus jugiter ministranda duco; *corticem* autem *Peruvianum*, ubi calor statis periodis recurrit, cum fælici successu exhibendum impero; & deinde postea ad alvum subducendam tuto progredior. *Parotides, &c.* Parotides nonnunquam sub finem variolarum suboriuntur, quæ diu tanquam strumæ sine calore vel rubore permanent; *discutientibus* non sunt tentandæ, sed potius *fotibus maturationem promoventibus* tractandæ sunt. *Furunculi, &c.* Eadem via procedendum est in furunculis, scabie saniosa, ulceribus mali moris, impetigine furfuracea, &c. viz. *alexipharmacis & febrifugis* ab evacuationibus

reli-

religiose abstinendo. Gangræna & caries ossium post variolas nullo medicamento cedunt. Tumores œdematosi *frictionibus*, *fotibus lixivialibus* & more hydropicorum curandi sunt. De dolore capitis post variolas. *Gangræna & caries. Tumores œdematosi.*

Freindii sententia.

Art. 268. Sunt nonnullæ Febres, quæ *purgantia* commode recipiunt, sunt etiam, quæ omnino desiderant (sed de hac re nondum satis accuratæ ab auctoribus traduntur regulæ) ex quibus nullam aliam æque *purgationi* opportunam reperio, ac eam, quæ variolas confluentes, maturitate pustularum aut vigente aut jam inclinata, semper excipit; ea quippe Febris uti omnium maxime putrida est, & periculi plena, ita præ cæteris curationem hanc aptius recipit. Atque hanc præ aliis medendi rationem in putridis hisce Febribus, quæ variolis superveniunt, suadet Sydenhamus. Mihi quidem sæpius usuvenit, ut in Variolarum statu, ubi pustulis exarescentibus Febris nihilo secius invaluerit, ad *purgantia* confugerem, quæ ita periculo vacare, ita commode adhiberi posse expertus sum, ut multorum vitas ab hac maxime medendi via conservatas esse haud absurde dixerim. „ Doctrina de usu *phlebotomiæ* „ & *catharsis* in Variolis confluentibus post im„ perfectam crisin in literis a peritissimo *D. Ca*„ *de* ad eundem datis succincte admodum conti„ netur; en ejusdem summarium; *Purgationis usus in Febre secundaria.*

Art. 269. In Variolis confluentibus, quamdiu faciei tumor & inflammatio manet, & saliva recte fluit, a *venæsectione* & *catharsi* (pari ratione ac furunculo maturante) prorsus abstinendum esse duco. Scilicet, ne istæ evacuationes, materiæ morbidæ a massa sanguinea separationem, *Quando neque venæsectio. Neque catharsis conveniunt.*

& per

& per pustulas, tanquam per tot phlegmonas, (cui unico hoc tempore natura incumbit) ejectionem obturbarent. Insuper, procedente morbo, si eo tempore, quo facies detumere, & ptyalismus decrescere incipit (quod die nono vel decimo ab eruptione accidit) si his, inquam, diebus manus debito modo tumeant, & nulla malæ notæ appareant symptomata, haud omnino (me judice) vel *phlebotomia vel catharsis*, adhuc indicatur; sed totum negotium recte committitur naturæ. Interim tamen in hoc morbi statu *enema* quotidie injiciendum præscribo, quo alvum fæcibus exonerare, & Febris furorem coercere curo.

Quando utraque evacuationes sunt necessariæ.

Art. 270. Attamen, facie diebus prædictis criticis detumente, quoties (quod nimis frequenter evenit) pustulæ corporis non turgent maturo pure, nec manus intumescunt; unde (nempe a materia morbida in sanguinis massa remanente eamque inquinante) ardens Febris nascitur; respiratio brevis & frequens oritur, corporis jactatio, & obstinatæ (narcoticis incassum exhibitis) vigiliæ urgent; quoties equidem diris his symptomatibus vexatur æger, medico incumbit per *venæsectionem* & *medicamenta leniter purgantia*, sæpiusque debitis intervallis repetita, humorem peccantem detrahere, & eo, quo possit, modo, laboranti, subvenire. In Variolis denique confluentibus, licet facies & manus & pustulæ corporis debito modo, ac tempore, intumuerint, & saliva satis copiose statuto tempore fluxerit; si tamen, Ptyalismo desinente & dictis partibus jam subsidentibus, Febris utcunque (quod in hac morbi specie ut plurimum accidit) gravior assidue inhæreat, & symptomata, ex hac nata (utpote anhelosa respiratio, vigiliæ, anxietates, cum pallida & diluta urina indesinenter urgeant

geant

geant ægrotantem, rebus sic stantibus, necesse habet medicus sanguinis quantitatem *venæsectione* minuere, (nimirum ut exinde pars reliqua magis placide per vasa fluat) & materiam morbidam (quæ per pustulas, jam induratas & crusta obductas amplius transire nequit) *Catharsi* sæpius repetita evacuare: his enim evacuationibus omissis, semper evenit, ut vel memorata symptomata in dies augeantur, & inter diem duodecimum, & vicesimum quartum lethalia evadant; vel humor putridus in pulmonibus extravasetur, eorumque vesiculas corrumpat; unde ægrotus miseram vitam paulisper trahit, & brevi moritur tabidus.

Art. 271. Anhelosæ respirationi, crisi superveniente *phlebotomia* fœliciter ac unice occurrit, quæ nisi confestim peragitur, actum erit de ægroto, neque hoc in casu pulsus humilis & angustus me terret; quippe sæpius observavi vacuato sanguine arteriam fortius vibrasse: unde constat pulsus obscuritatem non infirmitati virium, sed humoris lædentis oneri, deberi. Venæsectio tamen mictum cruentum non modo non cohibet, sed auget, & mortem in procinctu stantem accersit: hoc tamen funestum fati impedentis prænuntium (Camphora bis in die exhibita & acidis larga manu propinatis) amovi, ægroque brevi morituro ad tempus succurri: sed ut vera fatear, ne unum quidem Variolis affectum, cui urina cruenta fluxerit, diem 16tum ab eruptione supervixisse notavi. De rationibus, quibus innititur hæc praxis, videatur auctor. „ Atque ita *purgationis* „ methodum in Febre secundaria tanquam unicam salutarem venditat *D. Freind* & alii apud „ illum nonnulli magni nominis medici: Ego „ vero, qui sum tardioris ingenii, rurique de- „ go, de hac re aliquanto dubius adhuc hæreo.

In anhelosa respiratione phlebotomia est unicum remedium

In mictu cruento est nociva.

„ Hi

„ Hi viri, ingentia certe artis noſtræ lumina, „ ſeculique ornamenta, ſatis ingenioſe ratiocinantur, omneſque fere ſumma eloquentia victos in illorum ſententiam facillime deſcendentes inveniunt: ſed ſola experientia duce „ caute admodum progredi decet. In praxi mea „ per viginti circiter annos *clyſmatum* injectionis „ utilitatem deprehendi; ſed *cathartica non niſi* „ *rariſſime propinare auſus ſum*. Optandum erat, „ quod viri præfati meritiſſimi numeroſiorem hi„ ſtoriarum ſeriem tam morientium quam viven„ tium protuliſſent, ut in re adeo ancipit æquius „ judicium ferre potuerimus.

Farrago ſententiarum.

Variolæ morbus novus. *Art.* 272. Variolas eſſe morbum novum ſatis demonſtratur, quod in multis mundi partibus nunquam viſæ fuerunt, ut apud *Indos occidentales* ubi nunquam apparuerunt, niſi poſtquam Hiſpani eo pervenere; ſiquidem per contagionem Æthiopis cujuſdam, illuc delati, magnam Indorum partem ſuſtulerunt, ut teſtatur R. a *Fonſeca*. Helbigius indubitanter affirmat incolas *Indiæ orientalis* Variolas nunquam tentaſſe ante commercium *Hollandicum*.

Regimen frigidum. *Art.* 273. In Variolis *Alfaharavius* omnes infrigidantes medicos noſtri ſeculi multis paraſangis anteivit; maxime in primo Variolarum tempore, nempe, in ſanguinis miſſione ad ſyncopen, & frigidæ immenſa quantitate, & conſertim exhibitæ, potione; eaque ſæpius repetita, paucis horis; at quantum video, ſine ſucceſſu; his enim non obſtantibus, venenum intra habitum corporis reſtitabat.

Sanguinis textura in *Art.* 274. Illud tantum (inquit *Liſter*) curioſius animadverti (in Variolato cum maculis purpureis

pureis hæmorrhagia narium & mictu sanguineo) sanguinem refrigeratum tenerrimum fuisse, & ejus crassamentum rubrum quod molliori pennæ pluma percussum facile dividi potuerit. In aliis autem multis, quibus urina cruenta, sanguinem e brachio missum adeo aquatum, putridumque esse vidi, ut fluctuaret crassamentum in vase, non aliter quam ipsum serum; neque ullum servatum memini in tanta pestilentia, (76.) „ Variolæ præcedente crapula accidentes, ut etiam luxuriæ & intemperantiæ deditis, plerumque graviores sunt, & pessimi moris, & fere semper lethales. „ *Variolis malignis.*

Art. 275. In variolis confluentibus (inquit idem author) hunc in modum præscripsi; ℞. *Croc.* ℈j. *cochinel.* ℥ß. *sacchar. tantillum; m. pro chart.* viij. *capiebat ægra unam quarta quaque hora cum coch.* i. *vel* ij. *aq. theriacal. per triduum & postea sexta quaque hora; item diacod.* ℥j. *mane & vesperi, & convaluit*; & pro alia fœmina ad eundem fere modum, ℞. *Croc.* ʒß. *cochinel.* ℥ß. *sacchar. cand.* ʒj. *m. pro chart.* vj *cœpit. unam tertia quaque hora.* *Vires cochinel. in variolis confluentibus.*

Art. 276. Ego (inquit idem) neminem bis infectum memini, præter unam fœminam, quæ in hac urbe (*Eboracensi*) me teste, intra annum variolis bis decubuit, & convaluit. *Rarissime aliquis bis inficitur.*

Art. 277. Nihil observatione dignius est (inquit *Ettmullerus*) quam anhelitus & vox in variolis; ubi enim prompte recteque agitur respiratio, vox facile sequitur, neque raucescit, admodum salutare signum est. *Stercus equinum* in variolis est sordidum quidem, sed egregium remedium, promovet sudorem, præservat guttur, &c. a quibusdam etiam deprædicatur *Stercus ovinum*. „ Nec locum infimum obtinet oleum sem. „ lini, vel amygdalarum dulcium, ut practicis *Signum salutare.* *Remedia nonnulla singularia.*

„ quibusdam peritis satis notum est. Quodnam „ sit istud remedium, cui vires supereminentes „ *Vvaldschmidius* & *Dolæus* attribuunt, plane „ nescimus; optandum sane esset, quod tale me„ dicamentum, de quo loquuntur in morbo tam „ exitiali, in rerum natura revera daretur. De „ hoc remedio hæc habet *Vvaldschmidius*; uti„ mur *alio quodam remedio in forma liquida*, „ quod a primis statim diebus usque ad finem „ in adultis ad cochleare unum dari potest, quo „ ipso puto reconvalescientiam, divina adjuvan„ te gratia, certe promitti posse, ut ut gravis„ sima adsint symptomata; præcipue autem hoc „ remedium est dicatum *inflammationi*, quo & „ externe uti possumus. Et alibi; omnibus com„ mendo *liquorem contra Variolas* a D. D. *Do„ læo* & me millies expertum, quem & nos una „ invenimus. Multo uberior est *Dolæus* in hu„ jusce specifici laudibus, ut & videre licet, „ p. 574.

Art. 277. Variolæ acu perforatæ tardius cu„ rantur, & crustas diutius retinent, unde ci„ catrices fœdiores relinquuntur; ideoque natu„ ræ satius sunt relinquendæ. „ Maculas a variolis relictas (observante Barbette) præprimis delet *oleum myrrhæ per deliquium ex albuminibus ovorum paratum*, ut & *oleum vitellorum ovorum*. „ Si quis linimentum velit, sequens in usu apud „ medicos *Londinenses* est elegans præscriptum; „ ℞. *Ol. amygd. dulc.* ℥iß. *cer. alb. sperm. cet. ana* „ ℨj. *balsam. Gileaden.* ʒß. *f. f. a liniment.* „ Ulcera corrosiva (inquit *Bonetus*) in facie & alibi optime sanantur cum *spiritu vitrioli melle rosaceo ad sufficientem aciditatem permisto*; semper respondet voto medentis, etsi dimidiam genam ulcus absumpserit.

Ulcera corrosiva.

Art. 278. Remedia in hoc morbo insigniora,

præ-

præter jam memorata, sunt, quæ sequuntur: *Kermes, gum. lacca, viperina, cinnabaris antimonii, tinctura bezaordica, tinctura corallor., decoctum rubicundum, decoctum variolosum, gargarisma variolosum, lohoch rubrum, unguentum de bismuth, ad foveas Bat. &c.*

Art. 279. Merito admiramur omnium morborum frequentiorem quavis in Regione tantam disputationum causam ministrasse, ut nondum de curationis methodo sententiæ conveniant. Ut ut verum sit in calidis Climatibus oportere, methodus curativa ab ea differat, quæ in frigidis, temperatisque optime cedit, fieri tamen potest ut de generalibus statim adhibendis conveniratur. Sed quovis modo res se habeat ait *Dictionaire Medicinal* Auctor Bruxellensis nunc eam traddam methodum, quæ diversis in Climatibus etiam ad invicem oppositis mihi fœliciter experiri licuit, quam etiam quispiam ullo absque periculo ubivis locum adhibere poterit, addendo simul id, quod magis congruere aeri, in quo degit, observaverit.

Art. 280. Vix ac signa perspecta habentur hujus morbi ingruentiæ qualia sunt: Vomitus, Capitis dolor, alvi fluxus, dolor lumborum, sed præcipue dorsi & ad cordis scrobiculum (quod certius signum est) ægro venam secare necessarium est in brachio semel, interumve. Si vero somno lethargico æger teneatur, dandus ei tartarus emeticus cum manna in jure carnium, quia hisce in circumstantiis hoc præstantius nullum vomitorium datur, quod adhiberi ideo debet, quia genus nervosum concutere, & excitare aptum est; quod si multis cibis assuetus sit æger, vel hesterna luce alimentis confertim indulserit, vel eadem aliquot supra diebus copiose ingurgitaverit, sequens propinare ei Vomitorium

Methodus curandi variolas.

præferimus, ut inde ſtomachus a cruditatibus infarcientibus vindicetur.

℞. *Vini Emetici unc.* j. *ol. amygdal. dulc. unc. ſem. ſyrup. violat. unc.* j. *aq. card. bened. unc.* ij. *aq. cinamom. hord.* ℥ij. *m. f. hauſtus* unica doſi pro adultis, *cujus dimidium infantibus*, *&* *pueris ab ætate* v. *uſque ad* x. *annor. inſervit*, *quarta pars junioribus*, *&* $\frac{3}{4}$ *partes ab ætate* x. *annor. uſque ad* xvi. Hoc vomitorium niſi poſt binas ſaltem phlebotomias juberi non debet, nec porrigendum eſt, niſi ut memorata impedimenta tollantur. Poſtea ſequenti Ptiſana æger utatur.

℞. *Radic. ſcorzon. Graminis ana man.* j. *bulliant per hor. quadrant. cum Aq. font.* ℔iv., *quibus add. in fine ebullitionis Glycyrrhizæ conciſæ* ℥ij. *pro potu ordinario.* Si autem *Exilir Theriacale* paratum proſtet, de eodem exhibentur ter vel quater in die gutt. iv. pueris decimum ætatis annum non ſuperantibus, gutt. viii. ab anno x. uſque ad xiv, & gutt. ij. ætatem habentibus quarto anno minorem, cum ſupradictæ Ptiſanæ cochleare uno. Loco hujus alexipharmaci exhiberi poſſunt nonnulla *meri* cochlearia cum pauco *Croco*, *pulvere C. C. & ſuccini*, vel cum prædicta Ptiſana gr. vi. xij. vel xx. *pulv. viperin. vel Theriac.* mixtim.

Art. 281. Quodſi Febris ſymptomata admodum non ſint vehementia, opus Naturæ relinquendum abſque ſanguinis emiſſione, purgatione, & vomitu ſuſcipiendis, metu ne a ſurgente conflictu eadem turbetur, a quo victrix ullo abſque auxilio ut plurimum ſolet emergere. Neceſſarium ſolummodo eſt, ægrum in loco decumbere, ubi aer temperatus adeſt, cavendo ne ſtrangulis nimium obtegatur; tum igne mediocri cubile calefaciendum; quod inde aper-

tis

tis feneſtris circa meridiei horas, ſi tempus ſudum, per unam vel alteram horam ventillabitur, curando tamen diligenter ut, quamdiù feneſtræ apertæ manent, velis ductilibus ægri lectum muniatur, quæ clauſis deinde feneſtris ad ejus pedes contrahi poterunt, ut aerem liberius poſſit reſpirare; ſic aer quotidie hac regula diligenter, & ſcrupuloſe obſervata utiliter renovabitur, quia major ægrorum pars neglectu renovationis aeris magis ac qualibet alia de cauſa occumbit. Hoc *ſane regimen tutius* eſt quolibet alio, quod poſſit adhiberi in variolis; in quibus tamen, ſi complicatæ ſunt, & confluentes, vel purpuratæ ad validiora item confugiendum eſt auxilia, cujuſmodi inſigniores Medici præſcribunt.

Artic. 282. Quando puſtulæ albeſcere incipiunt, abluendæ ſunt urina pueri x. vel xii. annis nati, qui ſanus ſimul ſit, & robuſtus, tum ſequenti inguine deliniendæ. *Quid præſtandum circa puſtulas.*

℞. *Adipis ſuilli aqua 24. vicibus diluti q. v. ſtercoris vaccini tantumdem, frixentur ſimul, dein affundantur in ſacculum a fumario ſuſpenſum. Quod ab eo exſtillat pluma albentibus puſtulis illinitur*. Hujuſmodi inunctio cutem emollit, atque laxat, unde minorem reſiſtentiam cum experiatur ſubjecta materia, ſibi viam aperit, & egreditur, nec tempus invenit carnem errodendi, foveaſque ibidem imprimendi. Eadem item quovis alio unguento præſtantior eſt & commodior pro quavis ætate, & quolibet ægro. Ceterum utile ac laudabile eſt alvum purgare poſtquam omnes dies critici elapſi ſunt, qui ad 21. uſque extenduntur, ſed hoc ipſum ultra diem trigeſimum peragendum conſulo.

Art. 283. Febres quæ variolas comitantur, modo benignæ ſunt, modo vero malignæ, quæ- *Obſervationes.*

dam variolæ adeo parum malignæ dantur, ut sponte sua & nullo pharmaco fœliciter deccurant; quemadmodum in rusticis cernimus, quorum pueri hoc morbo dententi hac illacque vagari non cessant. In urbibus autem periculosiores sunt ob delicatulam vivendi rationem, cui pueri adolescendo ascuescunt. Ast adolescentibus ubique gravius periculum impendit quam pueris, quando hoc morbo corripiuntur, quia cum adultiores cutem duriorem firmioremque habeant infantibus pustulæ ægrius in illis erumpunt, atque hinc sequitur humorem, potius ac externe putrescat, intus reverti.

Pustulas in morbillis rubescere bonum signum exhibet, malum vero viridescere, aut luteas fieri. Aliquando eædem pustulæ cæruleæ, lividæ, & nigræ observantur, quod pessime ominatur, non minus in morbillis quam in variolis. Satis tamen notum est, hunc morbum illo graviorem esse, & periculosiorem.

Remedia pro variolis ægre prodeuntibus.

Art. 284. Quando variolæ satis copiosæ non erumpunt, frictionem totius corporis laudat *Brunerus* sequenti unguine instituendam.

℞. *Ol. amygdal. dulc. Chamæmel. ana unc. sem. aq. Chamæmel. unc.* j. *coq. simul. ad unguenti consistentiam, ut in præfatum usum facescant.*

Optimo successu sequens remedium adhibuisse *Ettmullerus* testatur, quando variolæ non prodeunt, ægrumque in præsens periculum conjiciunt.

℞. *Camphor. gr.* j. *castor. Myrrh. ana gr.* iv. *stib. diaph. gr.* xv. *misce. Hoc pulvere gr.* xv. *vel* xx. *sæpe æger utatur.*

Addit *Forestus* se plurimos sequenti remedio sanasse, etiam morbillis & Variolis epidemice grassantibus.

℞. *Cerevisiæ* ℔ viij. *caric. ping. man.* j. *coq. simul & colat. fit in potum ordinar.*

Art.

Art. 285. Alia item remedia pro puſtulis commendantur: quando videlicet ad maturitatem perductæ candeſcunt, ſequenti liniri poſſunt unquento: *Ad Puſtulas putreſcentes edulcorandas.*

℞. Ol. amygdal. dulc. recent. expr. q. v. cremor. hord. tantumdem. Conquaſſent. ſimul ad conſiſt. Unguent. quo ſæpe in die puſtulæ obliniuntur.

Fruſtulum adipis ſuilli ad ignem accenſi dein extincti pro eodem uſu adhiberi poteſt. Hoc puſtulæ illiniuntur. Aliud item laudabile Remedium ab *Ephemer. M. N. C.* excerptum ſic paratur.

℞. Myrrh. q. v. Vini ſpir. q. ſ. m. Hoc liquore puſtulæ ſæpe irrorantur uno, alterove die; dein eædem tepide foventur aq. roſ. cum Sacchar. ſaturni.

Art. 286. *℞. Aq. Roſ. & plantag.* quibus addito *croco* mixtura agatur. Hac vero & pluma palpebræ illiniuntur timore ne puſtulæ affatim circa oculos congerantur. Quidam teſtatus eſt ad defendendos oculos a puſtulis, numquam remedium omiſiſſe, cujus vim præſtantiſſimam expertus eſt frequenter. Hoc vero ita ſe habet. *Quomodo oculi a variolis defendendi.*

℞. Aq. Roſ. plantag. ſolatr. ana unc. j. Gran. ſumach. ʒj. ſem. plantag. ʒ. ſ. coq. & colat. a principio morbi in oculos ſubinde inſtilletur.

Ut oculi a variolis tueantur quidam Aquam Plantaginis laudant, in qua ſæpe extinctum ſit fruſtulum ad ignem candefactum auri. Hanc guttatim ſubinde in oculos deſtillant. Alii etiam oculos ſæpe in die fovent mixtura ex Aq. puræ part. vj. Aceti part. j. ad ignem prius calefacta, quod auxilium ſæpiſſime optimum effectum præſtitit, modo caveatur, ne facies reliqua ab hoc mixtura abluatur, quia ejus virtute variolæ facile recederent, & æger vita periclitare-

tur; vel materia variolosa in fauces deflueret, quod sane haud minus esset funestum.

Quando variolæ oculos obsident, frustulum carnis vitullinæ recentis, & tepidæ imponatur; nam lymphæ acredinem in se recipere valet. Necessarium est autem singulo quadrihorio hujusmodi frustulum renovare, ejusque usum aliquandiu continuare. Quando interjectis impuritatibus palpebræ conglutinantur, easdem abluere sequenti juvat decoctione.

℞. Semin. cydon. fœnugræc. lin. ana p. j. aq. font. ℔j. *ebull. & colat. servetur usui.*

Testatur *Lipsius* ope sequentis decoctionis adolescentulum, ab anno integro visum propter variolas amissum, recuperasse:

℞. Rad. gentian. num. iv. *vel* v. *Aq. font. Vin. opt. ana* ℔j. *Contusæ radices bull., & colat. deinde ter vel quater de die in ægri oculos instilletur.*

Ad maculas arcendas, quas aliquando variolæ in oculis relinquunt, *Forestus* jubet guttulam Ol. Mustellæ instillare. Ceterum, cum omnes Oculorum morbi ratione visus inter graviores reputentur, nihil moliendum, aut suscipiendum est absque peritioris cujusdam, doctiorisque Medici consilio.

Quomodo præservandæ nares. *Art.* 287. Ut etiam nares a variolarum læsionibus tueantur, sequens commendamus remedium.

℞. Rosf. damascen. p. iij. *camph. gr.* viij. *m. f. pulv. sæpe naribus sumendus per se vel aceto mixtus.* Quando in naribus efformantur escharæ: ut eædem facile decidere possint butyro recenti minime salito inunguntur. Eodem butyro aqua rosarum sæpe numero abluto, crustis fricatis, eædem frictionis vi facile concidunt.

Decidentem ad *Art.* 288. Si variolarum impetus fauces obsideat

deat suffocationis periculum ægris impendit, quod ut evitent *Forestus* sequens remedium laudat. *fauces humores*

℞. Aq. plantag. lactis caprill. ana p. æ. m. pro gargarismate. Aliud item eadem de causa remedium laudatur, quod est: *℞. stercor. caballin. pug. j. aq. font.* ℔. j *ſ. aq. sempervivi major. cyath. j. infund. omnia simul, & colat. sit ad usum gargarism.*

Art. 289. Quoad maculas faciei discessis variolis residuas, ut eædem tollantur. *℞. Farin. lupin. fabar. ana* ʒij. *urinæ bovis q. s. m. f. cataplasm. quo cubitum iturus faciem æger obducat, & mane aq. flor. fabar. abluat*. Sed ad cicatrices implendas nonnulli unctionem ex anguillarum adipe commendant. *Pro maculis in facie residuis.*

Art. 290. Quando labia a variolis obsidentur, sequens mucilago utiliter in usum ducitur. *℞. semin. cydonior. pug. j. ebull. in aq. font.* ℔. j. *usque ad consumpt. humid. mucilagine residua oblinantur labia.* *Pro labiis tuendis.*

Præter remedia ad curationem variolarum opportuna, quorum meminimus, meliora, quæ itidem adhiberi possunt sunt, quæ sequuntur: gran. scarlat. gumm. laccæ; serpentar. virgin. cinnab. antim. tinctur. bezoard. *Fulleri*, tinct. corall. *Bates* decoct. rubra ejusdem. Decoct. ad variolas *Fulleri*, gargarisma ad variol. ejusdem Auctoris, Lohoch rubr. ejusdem, unguent. bismuthi ejusdem, & similia.

Art. 291. Methodus curandi infantum variolas in hoc maxime consistit; ut nempè infans nullo alimento solido adhibito, jusculis ex carne vitulina, & volatilium vel gelatinis similibus tantum victitet; ptisanam ex hord. mund. & rad. gramin. glycyrrhiz. cum passul. minor. in potum usurpet, & in cubiculo temperato de- *Methodus curativa variolarum pro infantibus.*

cum-

cumbendo, alvum clysteribus apertam referat: Si variolæ cum vehementi febre conjungantur; & difficilis respiratio adsit, leves phlebotomiæ celebrare, & in fine variolarum alvum quodam syrupo purgare juvabit.

Quomodo curanda pustulæ. *Art.* 292. Statim ac pustulæ in eisdem prodeunt ol. amygdal. dulcium, vel lactis cremore, vel butyro recenti inungantur, ubi candescunt (quod ut plurimum nono die evenit) perforari debent, ut contentum pus evomant. Earum exsiccatione invalescente ægri facies recenti lactis cremore cum quo bolus alba mixta fuit, illiniatur, atque mane & vespere quotidie usque ad crustarum decidentiam continuetur. Oculi infantum a variolarum læsione incolumes servantur imponendo turundas aqua plantaginis, vel rosarum imbibitas, atque, ut respiratio liberior sit, non solum ægri nares a crustis intus natis subinde liberari debent; sed fauces etiam edulcorari, & refrigerari ptisana aliqua tantillo syrupi violati medicata.

Inter legendum.

Art. 293. Variolæ confluentes, eæque ex genere discretarum, in quibus pustulæ mirum in modum plurimæ accurrunt, semper summum periculum habent, quia symptoma aliquod gravius facile inferunt, & difficilis atque implicata evadit ægri tractatio, cum ii qui earum curationi assident, ancipites ut plurimum hæreant in auxiliis, quæ aptius conveniunt, eligendis. Hoc vero casu sequenti ratione se se gerere prudentius consulit *D. Lobb* in suo tractatu Anglice conscripto de variolis, quem Gallice Anonymus quidam vertit, & Parisiis edidit ann. 1749.

2. Cautiones. *Art.* 294. 1°. Quousque nulla idea constat sta-

tus

tus morbi, qui vos ancipites detinet, quonam remedio impetere eumdem debeatis, præstabit nullum jubere; nam tutius erit naturam sui juris relinquere, ac contrarium præbere remedium, quod pro abigendo symptomate, cui intenditur, aliud periculosius invehat.

2. Pulsus conditiones diligenter explorate, gradumque caloris in ægro perpendite, ut ad eorum normam consilia dirigere valeatis.

Art. 295. Binæ quæ sequuntur regulæ sunt itidem magni momenti.

1ª. Si pulsui celeri ac valido una cum calore corporis insigniter aucto symptomata periculosa superveniant, concludendum: pulsum illum nimis celerem ac validum fore caloremque itidem nimium, atque adeo eorum iminutioni opus impendendum erit diligenter. Quamobrem ad usum diluentium affatim hauriendorum confugere præstabit, quæ acidiuscula reddi poterunt additione succi malorum aurantiorum, vel limonum, vel nonnullis spir. vitrioli guttis. Conveniet etiam serum lactis aceto præparatum interdum exhibere, quod tantillo sacchari edulcorabitur. *Regulæ quædam aliæ.*

2ª. Si pulsui celeri, & debili una cum calore corporis aut naturali, aut naturali minore symptomata periculosa accedant, concludendum est pulsum illum, caloremque vitalem debiliores magis quam par est, fore; atque adeo opus esse eosdem augere. Quamobrem serum lactis vino canarino præparatum ægro exhibere præstabit, tum ei dandæ erunt panatellæ, avenacea, hordeacea &c. additione cujusdam aromatis: ut macis, vel nucis moscatæ conditæ; vel etiam merum cum aqua, & saccharo tepide; interdum quoque vini cocti cyathum instar cordialis, advertendo tamen ne aut meri, aut aromatum usus æquo

gene-

generoſior vel partior ſit, quod ex pulſus debilitate, & caloris naturalis iminutione facile cognoſcetur.

Quibus attendendum in variolar. curatione.

Art. 296. Ad tutius dirigendum judicium de ſtatu ægri, & de auxiliis opportune uſurpandis conſulit præfatus Auctor, ut practici memoriter ſemper retineant, tum favorabilia, tum quæ periculoſa ſunt ſymptomata variolarum, atque adeo ut ſæpe perlegant duas, quæ ſubjungit tabulas, ideo concinnatas, ut utriuſque ſpeciei ſymptomata, quæ frequentius occurrunt, facile innoteſcant.

Tabula ſymptomatum quæ bene ominantur.

Benigniorum ſymptomatum recenſio.

Art. 297. Bene in variolis portendunt.

1°. Si in ſtatu febris capitis, & dorſi dolor, calor, ſitiſque moderate urgent.

2°. Si nulla ſupervenit vomituritio, aut ſtomaci anguſtia, nec in infimo ventre ullus dolor percipitur.

3°. Si variolarum eruptio niſi circa finem tertii diei, aut initium quarti prodit.

4°. Si infantibus tertio die epilepticus paroxyſmus accedit.

5°. Si puſtularum eruptio gradatim evenit, earumque incrementum regulariter uſque ad majorem gradum ſuccedit h. e. uſque dum convenientem magnitudinem acquiſierint.

6°. Si ſuppuratione conſtanter regulariterque provehente puſtulæ quæ ſunt in facie decurrentibus diebus 7°, 8°, 9, 10, 11, matureſcunt, quæ vero ſunt in reliquo corpore diebus 12°, & 13°, cum ſenſu doloris ſubcutaneo, vel ſumma cutis ſenſibilitate, atque pulſatione in locis ubi puſtulæ congeruntur.

7°. Si facta eruptione ſymptomata febrilia evaneſcunt.

8°. Si

8°. Si circa octavum palpebræ oculorum inflantur.

9°. Si circa nonum caput inflatur usque ad undecimum.

10°. Si circa decimum aut undecimum inflantur manus atque digiti.

11°. Si rubicundus, & cinnabarinus color durante suppurationis periodo spatia pustulis interjecta tenet.

12°. Ubi respiratio libera sit & facilis.

13°. Somnus moderatus, & vires roborans.

14°. Appetitus ciborum bonus.

15°. Expuitio copiosa materiæ lucidæ, & aquosæ, a sexto fermè morbi die usque ad ejus declinationem perseverans.

16°. Si cum pustulæ undecima die exsiccari incœperint, eædem mutantur sensim in crustas cinereas, vel obscurè albescentes.

17°. Si alvi fluxus duodecimo, vel decimo tertio in confluentibus prodit, & hoc tempore in discretis summum obtinuit, maxime ubi pustulæ etiam interna obsident.

18°. Si urinæ, dum omnia prava symptomata absunt, colorem referunt vini canariensis, cum nubecula suspensa, vel levi sedimento albescente, & copioso.

Tabula symptomatum quæ malè ominantur.

Art. 298. Periculum in variolis minantur.

1°. Si in statu febris, capitis & dorsi dolor, una cum corporis calore admodum aucto vehementer urgent. *Periculosiorum symptomatum recensio.*

2°. Et sitis adest inextinguibilis.

3°. Et stomachi anxietates atque vomitus.

4°. Si vehementes dolores in imo ventre excrutiant.

5°. De-

5°. Delirium si adest ac vaniloquium.

6°. Necnon somnus immodicus.

7°. Et insomnia vexantia.

8°. Inquietudines, agitationes, revolutionesque frequentes per lectum.

9°. Si hæmorrhagiæ ex naribus, per os, & per uterum prodeunt, vel excreatus, urinæque, aut alvi fluxus sanguinei cum pulsu debili, parvoque calore.

10°. Si maculæ purpureæ erumpunt.

11°. Quando variolarum eruptio primo secundo aut tertio a principio morbi die contingit.

12°. Quando pustulæ præcipitanter, & magno numero erumpunt.

13°. Quando eædem admodum parvæ sunt, & profundo rubore splendentes.

14°. Si post eruptionem febris adhuc absque iminutione perseverat.

15°. Si suppuratio repentè cessat, aut, lentius progreditur.

16°. Si tempore maturationis dolor, qui corporis superficiem 6, 7, 8, 9, 10°, 11°, die morbi exercere debet, abest.

17°. Si faucium inflammatio, & deglutiendi difficultas accedit.

18°. Et saliva viscida fit, ac densa.

19°. Quando Ptyalismus suo tempore non incipit, & quando citius quam par est, aut cessat, aut imminuitur.

20°. Quando circa octavum diem, vel nonum caput non inflatur, vel nimis citò subsidet.

21°. Si manuum, digitorumque inflatio circa undecimum, vel duodecimum diem non evenit, vel nimis citò desinit.

22°. Quando lingua exsciccatur, & nigrescit.

23°. Re-

23. Respiratio frequentior, difficilior, & interrupta evadit.

24. Alvi fluxus in aliqua trium periodorum accidit.

25. Et dolores in internis, aut vagi, aut fixi superveniunt.

26. Si pustulæ in centro depressæ quasi insculpta fovea prodeunt, vel facile evanescentes, vel lividæ, vel, ut ajunt, *crystallinæ*, & *verrucales*.

27°. Si symptomata hysterica, horrores, & rigores superveniunt.

28. Urinæque nigræ apparent, vel sponte prodeuntes, vel nullo ægri sensu emanantes.

29. Quando alvus aut involuntario, aut nullo sensu deponit.

30°. Quando convulsiones, & tremores accedunt.

31°. Vel singultus declinante morbo, vel per os internum ulcuscula.

Art. 299. Hæc recensio symptomatum, quæ frequentius accidunt in benignis, periculosisque variolis, inservit cuicumque ægri directio incumbit, ut æquius judicium ejus status concipere possit, & aptioribus remediis eidem opem ferre valeat. *Harum tabularum utilitas.*

Art. 300. Qui plurimam in revolvendis scriptoribus de variolis egentibus impendere operam, compertum habuere in hujus morbis curatione eosdem ad invicem oppositis sententis pugnare, quia alii regimen calidum cum alexipharmacis jubent, alii pariter instando regimen frigidum, & refrigerantia remedia consulunt. Utraque vero methodus ad extrema pertingit. Prior equidem quibusdam in circumstantiis convenit, altera in aliis: sed tutior via inter utraque extrema sæpe consistit. *Necessaria observatio.*

Art. 301.

Art. 301. Perpendenda diligenter est, hac de re sententia *D. Lobb* ut etiam ejus versificatoris præfatio; tum quoque legendæ observationes quas utrique habent circa phlebotomiæ usum in quadruplici hujus morbi stadio; & circa ejus abusum qui (nescio quo fato) huc usque in Gallia plurimum invaluit. Ibidem quoque modum Lector reperiet narcotica, & purgantia utiliter exhibendi. Quare cum horum omnium recensio nos ab hinc longe evocaret, quemque ad laudati *D. Lobb* Opus ablegamus, cujus praxis (maxime quoad Phlebotomiæ, & Narcoticorum usum) naturæ regionum aptanda videtur. *Boudon*.

Inoculatio variolarum.

Procœmium. *Art.* 302. Medicorum est morbos curare non inferre; dices tamen medicum peritum ac probum, humanarum infirmitatum providum, morborum futurorum occasiones præscindere, vel saltem leviores reddere, æque ac præsentes sanare, omni arte decere: Si hoc non concedatur, quomodo venæsectionem imperabimus, emetica, & cathartica adhuc sanis, & vegetis prophylaxeos gratia propinabimus?

Nova praxis. *Art.* 303. Inoculatio variolarum est nova praxis a *Constantinopoli* ad nos nuperis annis translata; & mirum est, quanta expectatione recepta quantaque industria exculta statim incredibiliter inclaruerit. In ipsa domo regia, in multorum procerum & optimatum familiis magna ostentatione celebrata fuit; ubi & fœlici eventu successu eamdem exercentes ediderunt. Nihilominus sub tantis auspiciis & tam magnis exemplis inter *gentem popularem* minùs increbuit; nostrorum hominum genio, & cogitandi modo vix rite qua-

quadrare videtur. Quoad fas, & an cum bona conscientia fieri posse multum varieque litigatur; de certitudine, & incertitudine variolas genuinas producendi, itemque an alios etiamnum morbos, & humorum contaminationes, una cum variolis, implantari posse vehementer ac strenue disputatur. Mihi quidem neque otium neque facultates suppetunt tantas componere lites.

Art. 304. Interim inoculationis operatio ad hunc modum facillimo negotio peragitur. Imprimis in promptu comparandum est exiguum pus (guttæ v. vel vj. puta) ab adolescente variolis discretis decumbente, inter maturandum depromptum, quod parva phiala vel pyxide inclusum loco operationi assignato deportandum est, ubi omnibus præparatis inoculando vulnuscula duo infligenda sunt, unum in brachio, alterum in crure lateris oppositi; & pus prædictum penicillis applicandum, & ligaturis firmandum; non opus est, ut incisiones fiant profundiores quam per cutem, neque grano hordei longiores, penicilli ad finem 24. horarum removendi sunt, & ulcera emplast. Diachl. vel foliis brassicæ operienda, & in futurum semel vel bis in die pro ratione quantitatis puris ibidem scatentis detegenda & medicanda. Hoc facto morbus sensim producetur, & symptomata sequentia plerumque exoriri solent. *Operatio.*

Art. 305. Circa diem octavum post operationem erumpere solent pustulæ, iis, quæ in discretarum genere ordinario contingere solent, haud dissimiles, præeunte febricula, & reliquis usitatis symptomatis, sed mitioribus. Quoad loca incisa, 4to die rubescunt, & inflammantur, die 6to ad suppurationem vergunt, & pus ichorosum emittunt. Sub eruptione quidem pustularum invadente Febre ulcuscula paulo minus fluunt; post vero eruptionem, usque ad declinationem variolarum *Symptomata supervenientia.*

pus in dies augetur, ex quo tempore iterum sensim diminuitur; ita ut spatio quinque hebdomadarum ulcera plerumque penitus claudantur. Quanto major est evacuatio puris per ulcera hæc artificialia durante morbo, tanto mitior erit morbus. In genere observatum fuit variolas per inoculationem inductas discretas esse, periculo ut plurimum vacantes, pustulas perpaucas, cuti foveas rarò relinquentes. Subsequuntur sæpissime in variis corporis partibus tubercula, & abscessus, nonnulla quidem levioris momenti, interdum verò mali moris, & difficillimæ curationis.

Præparatio & regimen. *Art.* 306. Ad corpus inoculationi præparandum multi multa loquuntur de Venæsectione, de usu emeticorum, & catharticorum, &c. Sed profecto, si inoculandus sit ætatis juvenilis, boni habitus, & absolute sanus, nihil horum necessarium videtur. Sufficit temperati regiminis ad tempus ante operationem observatio. Operatione peracta inoculato solitum vivendi morem persequi concessum est, nisi quod fortassis carnium nimis liberalem indulgentiam prohibere prudentis erit. Morbo incœpto idem regimen ac in variolis discretis, modo ordinario contractis, observandum est, & si medicatione aliquali opus sit, variolæ inoculatione inductæ eandem postulant medendi methodum.

FEBRIS PESTILENTIALIS & Pestis.

Diemerbroeckii sententia.

Pestis definitio. *Art.* 307. Pestis est morbus peracutissimus, perniciosissimus, & maxime contagiosus, ex maligno & occulto spiritibus calorique nativo

tota

tota substantia infestissimo inquinamento ortus, a quo omnium viscerum, & imprimis cordis, functiones læduntur.

Art. 308. Pestis est diversum quid a Febre, & Febris est tantùm ejus symptoma, ut multoties observavimus, ac proinde nonnulli Pestem malè per Febrem definiunt, cùm Febris non sit de ipsius essentia, ut infra probabitur. *Diversũ quid a Febre.*

Art. 309. Inter signa Pestem præcedentia & præsagientia sequens *Noviomagi* observatum fuit, nimirum, maxima & incredibilis insectorum copia, qualis vix unquam visa fuit, ut culicum, papillionum, scarabæorum, crabronum, cicadarum, omniumque maxime muscarum, quarum utroque anno stupenda ubique copia reperiebatur, ut ædium interiorum parietes undique muscis consiti viderentur, & foris ipse aer multis in locis quasi muscarum nubibus obfuscaretur. *Signum Pestem præsagiens.*

Art. 310. De causis Pestis maxime ardua inter medicos quæstio movetur. In eo conveniunt omnes, illam excitari a cæca quadam pernicie, & inexplicabili aeris labe; sed unde labes illa emerserit, quomodo aer tantum vitium contraxerit, quid hoc elementum inquinaverit, de eo dubitant, & in eo inveniendo laborant omnes. Prima & primaria causa est *justissima summi Dei ira propter hominum peccata*; ab hac causa promanat illud τὸ θεῖον, quod pesti inesse animadvertitur, cujus etiam Hippocrates sæpe mentionem facit: & hoc omni ævo creditum fuit tam apud Gentiles, quàm apud Judæos, & Christianos; idem quoque sacræ literæ passim plus satis confirmant. Nos arbitramur Hippocratem per τὸ θεῖον intellexisse causam quandam morbificam, præter naturæ ordinem ac potentiam, a diis e sublimi immissam, vel in & ex aere de novo ab ipsis suscitatam, cujus essentia nec

in certa elementorum mistione, nec in manifestarum qualitatum intemperie, nec in magna aliqua putredine, consistit, sed in novo quodam veneno, præternaturaliter a diis in hoc sublunari mundo suscitato.

Quomodo incipere solet. *Art.* 311. Cum aer a venenoso inquinamento incipit alterari, pollui, ac ad venenositatem disponi, incipit simul etiam rebus sublunaribus valdè infensus & noxius esse, interdum armentorum magnas strages edere, interdum segetes & terræ fructus corrumpere, inter genus humanum Febres malignas & Pestilentiales generare, & mox ipsam Pestem.

Contagii communicatio. *Art.* 312. Contagium est communicatio inquinamenti ab uno corpore in aliud, sive illa actio communicationis fiat per immediatum contactum, sive per medium; requiritur autem apta dispositio ad hujusmodi seminarium recipiendum, aliàs non communicabitur. Pestilens venenum cum vestibus, aliisve rebus ad alias civitates & regiones deferri videmus. *Inexplicabilis quidem est hominum dispositio, quoad contagium recipiendum, vel non;* in aliis talis est, ut a Pestilenti veneno statim afficiantur, in aliis talis, ut difficulter ab eo lædantur, in aliis talis, ut eidem sine ulla noxa resistere possint.

Febris pestilens unde. *Art.* 313. Febris Pestilens, Pestis comes, non oritur a veneno Pestilenti, sed mediante putredine, id est, non generatur propterea, quod humores a veneno Pestilenti inquinantur, sed quod cor Pestilenti veneno irretitum, obrutum, plurimumque debilitatum, inquinatos humores debito modo neque coquere, ac dilatare, neque regere, & satis dispellere possit; qui hac de causa putrescunt; caloremque præter naturam concipiunt, sicque Febrem excitant; quæ ob dictam causam ordine posteriorem necessario est diversa ac

sa ac separabilis a Peste, ejusque symptoma. Hoc ipsum confirmant dogmata & auctoritas tam veterum quàm neotericorum, nec minùs quotidiana praxis, & obvia exempla.

Art. 314. Multa symptomata horrenda & gravia Pestem comitantur, quorum nonnulla sunt ei magis propria, ut bubo, anthrax, & exanthemata; alia autem aliis morbis communia, quorum primaria hæc sunt, capitis dolor, phrenitis, sopor, vigiliæ, anxietas, debilitas seu magna virium prostratio, visus turbulentus, cordis palpitatio, linguæ siccitas, vomitus, singultus, lumbrici, fluxus alvi, hæmorrhagia narium, menstruorum profluvium, sanguinis mictus, sputum cruentum, dolores lateris, hepatis, renum, aliarumve partium. *Pestis symptomata.*

Art. 315. Bubones & carbunculi fiunt, a veneno Pestilenti, quod cor ex sese per arterias ad alias partes expellit. Bubo est tumor dolorosus earum glandularum, quæ sitæ sunt retro aures, & in collo, sub axillis, & in inguinibus. Carbunculus a pustula plerumque ortum ducit, & est partis alicujus gangræna, dum est in fieri, & sphacelus, dum est in facto; nulla vi naturæ aut artis edomari, & in pus converti potest, sed integer a vicinis partibus separatur. Carbunculi non habent certa determinata loca, in quibus exoriantur, sicut bubones, sed in quacunque corporis parte excitari possunt: modò enim conspiciuntur in thorace, vel collo; modò in abdomine, vel dorso; modò in brachiis, vel cruribus; modò in manuum pedumve digitis; modò unus aut alter, modò plures simul, vel in una vel in diversis partibus: imo sæpe etiam in partibus internis oboriuntur, ut in pulmonibus, ventriculo, renibus, &c. *Bubo. Carbunculus.*

Art. 316. Exanthemata Pestilentialia sunt ma- *Exanthemata.*

culæ purpureæ vel rubræ, vel nigræ, vel violaceæ, ut plurimum rotundæ, aliquando latæ, oblongæ aliusve formæ, in summa cute efflorescentes.

Signa prognost. *Art.* 317. Acutorum morborum (inquit *Hippocrates*) incertæ admodum ac fallaces sunt prædictiones. In Peste *Noviomagensi* observavimus sextæ diei crises semper certò lethales fuisse. Quicunque circa novilunium aut plenilunium Peste corripiebantur, ii maxime de vita periclitabatur. Prostratio virium in morbi principio, animi deliquia, & cordis palpitationes plerumque lethalia signa erant; pulsus intermittens semper lethalis; sopores, sternutationes, motus tremuli, delirium, dolor in gutture, & raucedo, anhelitus fœtens, malè ominantur; Pleuritides semper lethales; suppressio alvi bonum signum, spem salutis exhibens; alvi fluxus contrarium, cum hoc vix centesimus æger evadebat; sanguinis per sedes vel urinas signum lethale, ut & menstruorum fluxus. Quo citius bubones prodibant, tanto meliores, si sine Febre, vel ante Febrem, prodirent, salutis magnam spem dabant, & contra; si in emunctoriis loco bubonum emergerent carbunculi, gravissimum periculum indicabatur. Si carbunculi tardiùs prodirent, malum, & si valde multi, pessimum; in locis carnosis, meliores, in nervosis, periculosiores; maculæ purpureæ, nigræ, virescentes, violaceæ, quocunque tempore apparentes, semper lethales; cum rubris nonnulli evadebant, etsi paucissimi.

Prophylactica. *Art.* 318. Præstantissimum & certissimum prophylacticum a Peste est *fuga cum timore Domini copulata;* recessus circumstantiæ in sequenti versiculo continentur;

Hæc

Hæc tria tabificam tollunt adverbia Pestem:
Mox, longè, tardè, cede, recede, redi.

Nullum melius Pestilentis aeris correctorium in rerum natura datur quam ignis, ut multiplex experientia comprobavit. Hippocrates famosam illam Pestem, quæ ex Æthiopia Græcos invaserat, olim per ignes edomuit, & extinxit; jusserat enim per totam civitatem accendi ignes luculentos nocturnis præcipue temporibus, ut aeris inquinamenta purgarentur. Ignis ligno juniperino vel fraxineo nutritus ad venenatas aeris corruptiones emendandas multum valere creditur. Accensio *sulphuris & pulveris pyrii* aerem purificat, & ejus corruptionem abigit; idem facit crematio *succini*, *thuris*, *picis navalis*, &c. Item suffumigium *aceti* cum ferro candente vel ignitis lateribus excitatum. Quoad diætam consultum est Pestilenti constitutione temperantiam colere, quæ magnopere ad sanitatis conservationem prodest; omnia vero repentina mutatio periculosa est, quapropter a consueta victus ratione subito discedere maxime periculosum esset. Malum est vigente Peste jejuno stomacho in publicum exire. Carnes porcinæ maxime damnosæ censentur. Omnia dulcia vitanda sunt, Vinum temperate usurpatum prodest; sed ejusdem abusus est valde periculosus: Mercurialis testatur Patavii & Venetiis se vidisse bibaces plurimos extinctos esse, qui existimabant vinis generosis se propulsaturos esse Pestem. Vestes laneæ & crassiores inquinamentum contrahunt, & conservant; præferendæ sunt itaque vestes ex serico tenuiore vel satino, aliove simili. *Phlebotomiam*, quamvis a multis veteribus, & neotericis medicis summe laudatam, nos tanquam valde periculosam, & damnosissimam, plane rejecimus; experientia enim constabat Pestis invasionem brevi post

Diæta.

Venæsectio.

venæsectionem iis, qui præservationis gratia adhibuerunt, insecutam esse, quapropter omnibus prohibuimus. Cauteria seu potius fonticulos plurimi insignes medici summopere commendant, & eorundem insignem utilitatem nos quoque multoties vidimus. Prophylaxeos gratia in corporibus sanis & firmis sat erat, ut alvus servaretur libera, non fluida; in cacochymicis vero paulatim ac clementer alvum subducere necessarium duximus, & præ reliquis, cum Pil. Ruffi, utpote quæ tot sæculorum experientiis ad Pestilentem malignitatem comprobatæ sunt. „Usu sulphuris communis *Hippocrates* Pestem illam famosam Græcia abegit: suffitus ejus pro aeris emendatione, & pro potus medicatione perquam laudatur, uti quasvis corruptiones & alterationes, ita sanguinis putredinalem alterationem præcavet. In graviori malignitate indusium, & vestimenta impragnari possunt *fumo sulphuris*." Ettmuller.

Fonticuli.

Antidoti.

Art. 319. Quoad antidotos; inter simplices imprimis duas commendavimus; prima erat *tabacum*, nempe illius fumus per tubulum seu fistulam ore attractus, & post paucam retentionem inde rursus dimissus, quemadmodum ordinarie a fumi suctoribus sumi solet, illius usum in hac peste tam in meipso, quam in plurimis aliis, insigniter profuisse observavimus. Altera erat *radix Helenii*, vel sicca masticata, vel in pulvere sumpta, vel saccharo condita; de antidotis aliis compositis consulatur auctor Cap. x. Pauperibus consuluimus, ut quotidie mane duo vel tria cochlearia *aceti vini optimi* biberent, atque illud in hac Peste animadvertimus fuisse unum ex optimis præservativis; quamplurimis etiam spongiam *aceto theriacali* ebriam naribus frequenter admovendam dedimus.

Art.

Art. 320. Quod ad meipsum attinet, mirabantur quidem multi, quod ego, qui quaslibet ædes infectas indiscriminatim invisebam a tanta contagii violentia non læderer; imprimis, nec terrori, nec iræ, nec mœrori, locum concedebam; si forte meipsum aliquo modo contristatum perciperem, tum tribus quatuorve vini haustibus assumptis cor exhilarabam, atque ita tristitiam fugabam. In victu utebar cibis euchymis; potus mihi erat cerevisia communis, ut & vinum album tenue vel mediocre, quo interdum usque ad hilaritatem, nunquam ad ebrietatem, utebar. Mane inter horam quartam & quintam ægros invisurus nihil omnino cibi aut potus aut medicamenti assumere potui, sed *oblatis Deo precibus* solummodo *aliquot grana Cardamomi minoris* masticando jejunus primos ægros invisebam usque ad horam sextam: Tum *vel theriacæ* vel *diascordii* pauxillum, vel *corticem aurant. conditum*, vel ut plurimum *radicum helenii* conditarum tria quatuorve frustula comedebam; circa horam septimam vel octavam frustum panis cum butyro, & caseo ovillo viridi jentaculabam, superbibendo haustum cerevisiæ; quandoque haustum *vini absynthiti* bibebam; circa decimam, si per otium liceret, fistulam unam *tabaci* exsugebam, & post prandium duas tresve, nec pauciores post cœnam; sæpe etiam intermediis horis post meridiem duas tresve fistulas sumebam: Si autem ab ægrotorum fœtore me vel tantillum alteratum sentirem, statim postpositis omnibus negotiis, qualicunque diei hora foret ad *tabaci* usum fugiebam: nam, ut verum fatear, *tabacum* pro primario præservativo semper habui, & revera tale esse, non sola ratione doctus sed experientia edoctus comperi, neque aliud melius pro ordinario usu hactenus inventum fuisse existimo; sed

Authoris vivendi modus.

sed observatu dignum est, *quod non nisi insuetis auxiliabitur fumisuctio*; quapropter ego solo *tabaco* contentus nullis aliis suffumigiis utebar, & postea ejus usum rursus dereliqui.

Curatio. *Art.* 321. Circa Pestis curationem semper plurimum hallucinati fuerunt omnes medici, dubii causarum, dubii remediorum. Causa enim morbi adhuc latet, neque ullum hactenus remedium proprium inventum est par tanto malo. In Peste actu laborantibus a *venæsectione* religiose abstinendum est; *purgantia* quoque & *vomitoria* maxime fugienda sunt; alvi constipatio non est metuenda, etiamsi in longum protrahatur, utpote quam nullis nocuisse animadvertimus. In ipso morbi principio statim ad *antidota* & *sudorifera* confugiendum est: hæc autem remedia *alexipharmaca* dicta multa sunt ac varia, quæ variis modis miscentur, & componuntur pro morbi ipsius genio & reliquis circumstantiis, quarum decisio ex medici judicio dependet, neque certis regulis determinari potest. Simplicia primaria

Simplicia. sunt quæ sequuntur: *radix petasitidis*, *aristolochiæ*, *helenii*, *bistort. zedoar. gentian. angel. ering. scorzoner. serpent. virg. fol. scordii*, *rutæ*, *card. ben. absynt. rorismarin. flores croc. calendul. sambuci*, *fructus berber. poma cydonia*, *citrea*, *aurant. limon. eorumque cortices*, *acetum simplex*, *sambucinum* & *calendulatum*; *aromata*, *myrrha*, *camphora*, *succinum*, *vipera*, &c. Compositiones sunt fere infinitæ, quamplurimarum formulæ apud authorem videri possunt. Author suspectum habet *crocum*, quoniam cerebrum petere solet; *camphora* a quamplurimus valde laudatur, item *flores sulphuris*, & *sal absynthii*; commendatur etiam *oleum vitrioli* & *oleum sulphur. per campan.*

Methodus medendi. *Art.* 322. Curationem sequenti methodo instituimus; imprimis cubicula nitida servari, & ter

ter quaterve de die aerem suffumigiis alterari jussimus, & statim ægris (morbi primo, secundo, vel tertio die) *potiunculam sudoriferam* exhibuimus, iisque bene stragulis contectis, sudores copiosos per duas tres pluresve horas (habita semper virium ratione) promovimus; qui, si difficilius prodirent, arenam calefactam siccam lineis saccis infusam pedibus, axillis & inguinibus apposuimus. Si a primo sudore non levarentur ægri, post paucas horas sudoriferum de novo repetendum est; si post secundum sudorem Febris cum aliis symptomatibus adhuc increscéret, nec quidquam levarentur ægri, pessimum erat indicium: post decem vel duodecim horas & sequentibus diebus adhuc quater vel quinquies (prout necessitas exigere videbatur) *sudorifera* reiteravimus. Intermediis autem horis varia *antidota* ad veneni violentiam extinguendam, ut & *condita corroborantia*, ac *putredini resistentia*, vel *apozemata convenientia*, aliaque quæ malignitatem a centro ad peripheriam pellebant, nec non cibos quosdam liquidos facilis digestionis, & antidotali condimentorum qualitate alteratos, exhibuimus. Symptomatum quoque morbo conjunctorum diligentem rationem habuimus, de quibus proximo loco dicemus.

Art. 323. Inter symptomata, quæ Pestem comitantur communissimum est Febris maligna pestilens, quæ ut plurimum gravis, & periculosa existit. Hanc nos, durante hac constitutione, eodem fere modo, sicut ipsam Pestem, tractavimus, & *sudorifera* atque *antidota* ad illius curationem maxime profuisse observavimus, dummodo abstineremus a calidioribus, vel, si iisdem uti placeret, *alia frigida*, ut *acetum*, *succum citri*, &c. admisceremus. Vigilias in Peste non magnopere metuendas esse docuit experientia; *Curatio symptomatum Febris.* *Vigiliæ.*

sed

sed sopor in principio maxime damnosus, & mali ominis erat; si ad somnum nimis proclives essent (quod admodum familiare erat) illos primo die a somno studiosissime prohibuimus; usque dum alexipharmaco assumpto prius bene sudassent. Ad anxietatem, virium debilitatem, & vomitum, miraculose profuerunt remedia pauca sequentia: primum erat hæc mixtura; ℞. *Conserv. rosar. rub.* ℥iss. *diascord.* ʒiij. *vel* iv. *aq. nostr. theriacal.* inf. descrip. ℥iv. *succ. limon. recent. ac cinnam. ana* ℥iss. *m.* stent per horam unam aut alteram; deinde per linteum colentur, colaturæ add. *confect. de hyacinth. sine mosco* ʒj. *m.* Secundum erat hoc linimentum: ℞. *Ol. unc. moscat. express. ol. scorpion. vel laurin. theriac. androm. ana* ʒj. *ol. junip.* ℈ss. *succin.* ℈j. *caryoph. vel cinnam. gut.* iij. *m. f.* linimentum pro scorbic. cordis, & ventriculi regione inungendis, bis terve de die superponendo hanc pastam ad ignem calefactam; ℞. *Rad. calam. arom. nuc. moscat. ana* ʒj. *caryoph. benzoin. ana* ʒss. *fol. menth.* ʒij. *pulverizatis add. mic. panis secalin.* ℥iij. *vel* iv. *acet. rosac. q. s. f. pasta*. Ad linguæ ariditatem post varias alias collutiones tentatas solam *aquam simplicem* plus profuisse animadvertimus. Nihil perniciosius quam hæmorrhagia narium, & menstruorum, & sputa cruenta; quæ citissime omni arte sistendæ sunt, secus actum erit de ægris. Illud sæpissime observavimus, si alvi fluxus in principio non sisteretur, postea, plane incurabilem in omnibus fuisse.

Sopor.

Anxietas, virium debilitas & vomitus.

Siccitas Linguæ.

Hæmorrhagiæ.

Bubonum curatio.

Art. 324. Bubonum curationem per suppurationem omnino tentavimus; quamprimum igitur ægri, sive in ipso morbi principio, sive in progressu duritiem aliquam cum dolore sentirent pone aures, in collo, sub axillis, vel in inguinibus, huic plerumque ad citiorem tumoris provocationem, & maligni ichoris extractionem,

vesi-

vesicatorium in inferiore ejusdem parte applicavimus, ita ut *vesicatorium* ipsam duritiem attingeret, ut hoc modo ulcere facto locus apertus teneatur, & damnosi ichores melius effluant (*cucurbitulas* minus approbamus), secunda die ut noxia materia ad bubones attrahi, ibique digeri, ac suppurari posset, toti tumori *cataplasmata attrahentia & emollientia*, ac *suppurantia* imposuimus, quibus præter alia etiam *cæpæ*, *stercus columbinum*, *fermentum panis acidum* & similia admista erant; nonnullis etiam *solas cæpas sub cineribus aliquantum assatas*, & deinde contusas, pauco *theriacæ & butyri insulsi* admixto cataplasmatis forma biduo vel triduo imposuimus; cum autem tumorem jam satis magnum esse, atque ad maturationem tendere videremus; tunc attrahentia amplius non addidimus, sed *solis maturantibus* usi sumus, ut tumores citius ad suppurationem perduci possent. Sæpe ab ipso principio usque ad perfectam suppurationem hoc solum emplastrum imposuimus, quod omnibus intentionibus satisfaciebat, eoque solo tumores ad integram sanationem non raro perveniebant; ♃. *Gum. galban. acet. dissolut. empl. oxy. croc. diachyl. cum gummis ana* ℥j. *misceantur*. Notandum tamen nos quibuslibet tumoribus non imposuisse *fortiora attrahentia*, sed tantummodo iis, qui sub axillis, & in inguinibus oriebantur: tumoribus autem, qui prope aures vel in collo prodibant, talia non conveniebant; nam talium usu eosdem, cum maximo suffocationis periculo, imo cum multorum exitio, sæpe paucis horis enormiter increvisse observavimus; quapropter *sola emollientia*, *vel leviter tantum attrahentia* his imponebantur; aliquando necesse fuit, cum tardius procedebant, tumores scalpello incidere, sed hoc antequam fere ad perfectam maturationem per-

pervenissent, non est faciendum; sequenti digestivo usi sumus, ℞. *Scord. subtilissime pulv.* ℥ij. *vitel. unius ovi, terebinth. Venet. mel. unguent. Apostolorum ana* ℥ss. *m.* Caveri debet ne ulcera nimis cito occluderentur. Videatur in annotationibus methodus experientissimi Pauli Barbette de curandis bubonibus per *emplastrum magneticum arsenicale.*

Carbunculorum Curatio. *Art.* 325. In carbunculis tractandis sæpe prima & secunda die imposuimus *folia brassicæ rubræ oleo raparum inuncta*, quod apud vulgares in frequentissimo usu erat. Postea statim, imo ut plurimum ab ipso principio, frequentem pulticulam applicuimus, qua nihil invenimus, cum quo carbunculorum separatio, & curatio citius ac melius perageretur; ℞. *rad. consolid. maj. sicc. herb. scord. ana* ℥ij. *rad. alth. farin. sem. lini, tritic. ana* ℥ss. *coq. in q. s. aq. font. ad pulticulam, deinde add. mel. terebinth. unguent. apostolor. ana* ℥iij. *pic. liquid. ung. Basil. ana* ℥ij. *vitel. unius ovi croc.* ℈j. *m.* interdum etiam addebantur *theriac.* ℥ij. Apud vulgus in usu erat *pix navalis cum æquali parte picis liquidæ*, cum qua sola sæpius vidimus anthraces citissime separatos, & dolores optime sedatos. Quo mitius tractarentur, eo melius & citius curatos fuisse millies observavimus. *Exanthemata.* Exanthemata mortis instantis præsagia erant, neque curationi tempus dabant, quam si admisissent, *per sudorifera & alexipharmaca* curari debuissent.

Sydenhami sententia.

Proœmium. *Art.* 326. *Acuti morbi ut plurimum Deum habent authorem, sicut chronici nos ipsos.* Pestis vix Britanniam frequentius quam post annorum circiter quadraginta revolutionem devastat; „ jam

„ vero

„ vero ex peculiari Dei clementia plusquam quin-
„ quaginta annos immunes viximus.

Art. 327. Pestis primo insultu rigorem ac horrorem, quemadmodum & Febrium intermittentium accessiones, fere perpetuum habet comitem; mox vomitus enormes, dolor circa cordis regionem, (ac si torculari premerentur) Febris ardens ægros indesinenter divexant, donec aut mors aut benigna bubonis vel parotidis eruptio, quæ materiam morbificam foras ablegat, eos a luctuosissimo discrimine liberet. Rarius quidem accidit, ut citra ullam Febris præsentionem ingruat, ac homines de improviso e medio tollat, maculis purpureis præsentanei interitus nuntiis, etiam dum in foro versantur erumpentibus, quod tamen nisi in Pestis admodum funestæ exordio vix contingit; fit etiam nonnunquam, ut tumores prorumpant, nec Febre nec graviore aliquo symptomate prægresso. *Pestis descriptio.*

Art. 328. Aeris dispositio quantumvis λοιμώδης Pesti excitandæ per se impar videtur; nec Pestis epidemica erit, nisi accedente idonea aeris diathesi. *Aeris diathesis.*

Art. 329. Vel per *sanguinis missionem* vel per *sudores* Pestis expugnanda videtur; posterior methodus sæpe funesta fuit: *venæsectio* vero larga manu & repetitis vicibus celebrata, nullo tumore protuberante; nemini adhuc, (quod scimus) unquam funesta; tumore vero conspicuo instituta, semper damnosa, ratio in propatulo est, nempe quoniam motui naturæ adversatur. Plures & gravissimi scriptores *venæsectionem* probant, præcipue Botallus, sed tam largam *venæsectionem* paucissimi admittunt. Alia est itaque methodus therapeutica, nempe, mittatur sanguis in lecto, & statim æger stragulis quamplurimis obruendus est, & caput obtegendum ad sudores ci- *Curandi methodus.*

ciendos ex tegumentorum pondere, & cum sudor promanare incipiet alvi profluvium, & vomitiones ultro sedabuntur, & tunc sumat æger bolum sequentem cum Julap. cardiac. sexta quaque hora, sudorique indulgeat; ℞. *theriac. androm.* ʒß. *elect. de ovo* ℈j. *pulv. gascon. gr.* xij. *cochinel. gr.* viij. *croc. gr.* iv. *syrup. kerm. q. s. m. f.* bolus: omnique arte continuandus est sudor ad viginti quatuor horas, nec prius indusium mutandum est utcunque madidum; quod si sudatio citius abrumpatur, illico symptomatum sævitia recrudescit, & omnia in pejus ruunt. In sequenti luce commune *catharticum* exhibere soleo; atque hac medendi ratione, anno a peste proximo quamplurimis Febre pestilentiali correptis sanitatem restitui, adeo ut nec unus quidem ex eo morbo mihi desideratus sit, postquam eandem exercere inceperam. Vinum liberalius ingurgitatum, aliaque fortiora præservativa statis horis dierum assumpta, complures, qui alias salvi intactique verisimiliter permansissent, in hunc affectum conjecerunt. ,, Temperantem sobriumque Socratem ,, gravissima Pestis Atheniensium non attigit; ,, neque ullo fere ævo *eidem similes* attinget.

Vvillisii sententia.

Pestis causa primaria *Art.* 330. Pro castigandis hominum sceleribus Pestem primitus a Deo immissam ipsi agnoverunt ethnici; ideoque pro extirpatione ejus, precibus & piamentis, æque ac medicamentis insistebatur.

Prophylaxis. *Art.* 331. Ad prophylaxin recordandum est Hippocratis præceptum; *labor, cibus, potus, somnus venus, omnia sint mediocriter.* Plures novi, qui (*Helmontii* verbis) vino & confidentia for-

fortificando Archeum, nec aliis antidotis usi inter infectos sine contagii noxa versabantur.

Art. 322. *D. Hen. Sayer* in praxi medicus fœlix; plerisque aliis hanc spartam renuentibus, peste laborantes audaciter invisebat. *Londini* anno 1640. ut seipsum a contagio muniret, antequam domos infectas adiret, solummodo vini generosi haustum pleniorem ingerere, deinde perambulatione sua peracta, idem antidoton repetere solebat, tandem ad castrum *Vvallingfordiæ* occubuit cum duce quodam in eodem lecto discumbens. Illius medendi methodus sic se habuit; si, priusquam exanthemata aut bubones exterius apparerent, vocaretur, ut plurimum *vomitoria* exhibuit *ex infusione croci metallorum cum vitriolo interdum Romano*; vomitione finita, *diaphoreticis* statim exhibitis in sudorem conjiciebat ægros; & deinceps intervallis quibusdam pro refectione virium concessis, usque ad morbi declinationem *diaphoresin* continuabat: sin post stigmata apparentia accerseretur, vomitione posthabita tantum *sudorificis* insistebat. *Methodus D. Sayer.*

Joannes Langii sententia.

Art. 333. Ex Epist. 19. lib. 1. Jam tu probe nostis, me multos, de quibus etiam conclamatum erat in hac pestifera lue hac methodo curasse. Primum si alvus, aliquot dies ante morbi initium, parum, vel nihil excreverat, tum glande imposita, aut levi enemate eam exoneravi. Postea alexipharmacum sudoriferum exhibui, quod pro ratione ætatis ac virium, sudorem duas vel tres, aut plures horas promoveret. Cordi epithema applicui. A sudore hora sexta, vel septima (refectis tamen aliquo jusculo

viribus) venam opportunam secui, ac mox ab alexipharmaco aliis singulis diebus mane, & vesperi propinato alterantia, quæ una qualitate, & substantia veneno resisterent, exhibui, & cor quoque confortarent, qualia sunt quæ ex succo citri, limonum, aurantiorum, acetosæ & jugulæ cum momento aceti, & saccharo decocta conficiuntur. In morbi declinatione si appetitus edendi languebat ad reliquias morbi extirpandas, medicamentum ex rhabarbaro, agarico, cassia, aut rore Syriaco, sive manna, & tamarindis Indorum exhibui. Postremo Chirurgis, ne ulceris aut carbunculi consolidationem præcipitarent; coquis vero ut præscripto tempore commoda esculenta, & potulenta ægro suppeditarent, edixi. Qua curationis ratione ingens ægrorum numerus, Deo optimo auspice, convaluit.
—— Bubonibus vero, & carbunculis si circa emunctoria, juxta aures parotis, sub axillis abscessus, in inguinum adenibus bubo, virtute expulsante eruperit, aut interim carbunculus in brachiis aut carnibus effloruerit, tum festinanter veluti in vulneribus virulentis medicamenta quæ venenum extrahunt ad locum applicato, vel cucurbitulas aut emplastrum ex fermento, theriaca, farina, sinapi, & cepa sub cineribus cocta conficito, additis opopanacis, & galbani gummis, acerrimo aceto solutis, imposito, & abscessum ante maturationem scarifica, aut aperi, vel cauterio adurito. Si vero patiens ignem veretur, cauterium potentiale ex cantharidibus, & fermento confectum, aut contusam ex oleo flammulæ radicem applicato, quæ sua virtute calorifica, & ardente non modo noxios humores attrahunt, sed & non raro factas ex his collectiones apperiunt.

Fri-

Friderici Hoffmanni sententia.

Art. 334. Neque tamen in peste unius ejusdemque indolis semper sunt symptomata, sed multum utique secundum temperamenta, & constitutiones corporum variant. Quam diversitatem probe cognoscere, & scrutari oportet Medicum. Id vero omnes qui de pestilentiali morbo scripserunt unanimi suffragio confirmant, corpora, quæ spongiosioris, rari, & porosioris, nec non obesi sunt habitus, temperamento sanguineos, & phlegmatico-sannguineos, sexu fœminas, ætate juniores ac infantes, animo timidos, & abjectos, vitæ genere pauperes, insalubrem diætam colentes, crapulis deditos, & comessationibus in seram noctem indulgentes, longe celerius corripi, & gravius decumbere hoc morbo, quam qui animo fortes ac intrepidi, corpore macilenti, nervosi, & amplioribus vasis dotati, viri, senes, fluxu hæmorrhoidali obnoxii, item qui fonticulos, & ulcera gestant aperta. Neque minus per observationes compertum, nihil ad suscipiendum, & deleteriam miasmatis virtutem intendendam aptius esse metu, timore mortis, animique consternatione, adeo ut etiam quosdam solo terrore peste affectos, & extinctos esse constet. Nam hi animi affectus sunt inter omnes præcipui, qui vitalem cordis & arteriarum motum cum sanguinis circulo minuunt, destruunt, & vires tam vitales, quam naturales, & animales dejiciunt, quum tamen motuum beneficio venenum conceptum sit exterminandum.

Subjecta febri pestilenti obnoxia.

Art. 335. Cujus autem porro indolis ac specificæ naturæ sit venenum, quod pestem excitat, a priori accurate determinare admodum dif-

Miasmatis natura.

ficile, quia sensibus minus obvium. Quantum tamen ratione assequi, & a posteriori judicare licet, duplicis esse videtur, partim sulphureæ putridæ multiplicativæ, instar fermenti, partim subtilis valde acris, & causticæ plus tamen alcalinæ, quam acidæ naturæ. Putrida enim valde, & peregrina sulphurea indoles ex eo patet, quod omnes maligni ejusmodi morbi præcipue suam originem ab exhalationibus putridis, quæ ex cadaveribus inhumatis, aquis stagnantibus, putrescentibus, & aliis fœtidis excrementitiis sordibus trahant, & quod ipsum hoc miasma illico contaminet nervorum fluidum, motum solidorum systalticum sistat, & corruptionem sphacelosam succis inducat. Causticam autem subtilem acrimoniam inesse miasmati ex eo concludendum, tum quod contagiosorum morborum ingressum ut plurimum antecedit copia insectorum sale caustico prædictorum, & ex putredine genitorum, tum etiam quod nerveas fibrillas vellicando, & rodendo dolorem, ardorem, tumorem, & inflammationem causetur conspicuam satis in bubonibus atque anthracibus.

Solvuntur critice per tumores. *Art.* 336. Pestilentiale hoc intus susceptum venenum, illico, ut supra diximus, omnes omnino in corpore functiones turbat atque pervertit, ac nisi cito ab internis ad externas partes propellatur, certissime necem infert. Neque tamen hoc ut in aliis malignis fit per largos sudores, neque per alvi, aut urinæ fluxum, neque per hæmorrhoidum aut mensium profluvium, neque etiam per narium stillicidium spontaneum æque ac arte procuratum, ut potius tales præsertim effusiores excretiones minentur exitium. Sed salutaris, & critica, qua perfecte solvitur pestilentialis morbus, excretio, absolvitur

vitur per tumores in externo corporis ambitu prodeuntes; ita quidem, ut non secus ac in erysipelate, intra tertium, & quartum diem eadem contingat, & quo citius ac melius eo magis morbi inde mitescat atrocia. Formale enim venenum his humoribus contineri, atque excerni, vel ex eo patescit, quod si Chirurgus lancetta qua eosdem aperivit venam sani hominis incidat, is illico etiam corripiatur peste.

Art. 337. Quibus autem lethalis est pestilentialis morbus, ex his nonnulli primo statim vel secundo die syncope pereunt, procul dubio ex Panico quo perculsi sunt timore. Sed plurimi quando venenum vel non expellitur, vel expulsum subito relabitur, & nervosis tunicis nobiliorum partium pleuræ, œsophagi, ventriculi, & intestinorum, nec non meningibus inhærens, inducit sphacelum, qui ocyus ad omnia viscera ipsumque sanguinem serpit, quo fit ut cadavera illico mire fœteant, intumescant, & citissime putrescant. Quandoque etiam quando nimia tumorum pestilentialium copia prodit, ob inflammationem, dolorem, & ardorem intolerabilem, ex febre symptomatica, non secus ac in variolis fieri solet, occumbunt. *Sphacelo necat.*

Artic. 338. Quoad remediorum, usum nihil perniciosius esse, ait, quam radices sic dictas alexipharmacas, oleo volatili calido turgidas, carlinæ, angelicæ, petasitidis, zedoariæ, serpentariæ Virginianæ, Imperatoriæ, vincetoxici, pimpinellæ, nastrutii, & ex his præparatas essentias, elixiria, theriacam quoque & Mithridatum, ceu genuinam antidotum, liberaliter offerre. Multo vero magis detestandi adhuc illi tantopere laudati spiritus volatiles, urinosi, & oleosi, ut cornu cervi, viperarum, fuliginis, item salia volatilia, nec non balsamum sulphu- *Alexipharmaca sola nocent.*

ris. Tantum enim abest, ut iisdem noxium expellatur, ut potius intus detineatur, & partibus nervosis altius infigetur. Perpetua quippe hæc lex est, secretiones quæ antecedunt excretionem recrementorum in corpore, melius sub liberiori, & moderatiori ad emunctoria appulsu succedere, quam ubi humores impetuose ac celeriter commoventur.

Sed acidis nupta prosunt.

Art. 339. Neque tamen penitus radicum, & herbarum sic dictarum alexipharmacarum usus damnandus. Tunc enim non nocent, quando miscentur cum iis, quæ vim earum commoventem nimis, & calefacientem cicurant, & quasi ad temperamentum reducunt, uti sunt maxime acida cum nitro.

Optima acidet a bezoardica fixa.

Art. 340. Inter ea vero, quæ præsentissimæ in pestilentiali morbo efficaciæ communi omnium suffragio, sunt maxime acida & terrea. Fracastorius lib. III. pag. 246. de morb. contag. tam ad præservationem, quam ad curationem commendat hoc ♃. succ. acetosell. unc. ij. citri unc. j. diascord. Fracast. ʒj. Specier. cordial. ℈ij. Aceti unc. j. Mindererus *de pest. cap. XV.* disertis scribit verbis: *nulla est putredo, nulla infectio, nulla humorum depravatio, quæ per acida non superetur. Sane ut liberrime loquar, si mihi vitriolicorum remediorum usus vel interdicatur, ego ad curationem pestis numquam, vel certe inermis accederem.* ---- Ex terreis vero, & bezoardicis fixioribus singulari virtute pollent antimonium diaphoreticum, bezoardicum minerale, lapides cancrorum, cornu cervi ustum, & philosophice præparatum, succinum, terra sigillata, bolus Armena, & cinnabaris. Ex quibus variæ concinnari, eademque vel sola, vel acidis nupta in usum vocari possunt.

Item emetica.

Art. 341. Deinde inter remedia plurimum in

in pestilentia conducibilia præcipuum fere locum tenentur analeptica. Vires enim in atroci hoc morbo, tam propter gravem animi metum, & consternationem, quam ob ingentem malignitatem summopere sunt prostratæ; hinc Medico maxime enitendum, ut removeat ex rebus moralibus, & non naturalibus omnia, quæ easdem offendere possunt, & in medicatione fugiat anodyna, & valde vaporosa, graveolentia. Ad reficiendas autem vires præstabit aqua confortans nostra methodo sic paranda. ℞. Meliss. Turcic. man. iv. rosar. cum sale contus. flor. lil. convall. ana man. i. corticum citri recent. unc. ʒs. cinnamomi acuti unc. j. macis unc. semis, affund. Vin. Rhenan. mensur. j. Aq. commun. mens iij. & leni igne abstrahe mens. ij. s.

Art. 342. Nec minus proficua sunt emetica. Nam prima & præcipua in medicatione indicatio est, ut venenum susceptum ocyus e corpore pellatur. Jam vero miasma contagiosum primo omnium salivali sese immiscet latici, cum hoc ad ventriculum descendit, & inde ad sanguinem transfertur. Hinc optimum utique consilium, ut venenum brevissima, qua subiit via, iterum exturbetur, simulatque cruditates primæ regionis, quæ deleteriam ejus virtutem mirifice intendunt, per stomachi os everrantur. Sed opus est ut cito id fiat, simul ac quis se infectum, & languorem cum cardialgia sentit. Sic subjuncto congruo sudorifero prima quasi in herba jugulari posse morbum, multiplici constat experientia.

Art. 434. De venesectionis utilitate non æque inter omnes convenit, sed sunt qui laudant, sunt qui damnant. Optime præcipit Celsus lib. III. cap. 4. *desiderat*, inquiens, *propriam animadversionem in febribus pestilentialibus casus. In hac* *De venæsectione quid.*

minime utile est, fame aut medicamentis uti, aut alvum ducere. Si vero vires sinunt, sanguinem mittere optimum, præcipue si cum dolore febris est. Neque minus fidem facit. *Riverius in opp: tit. Pestis.* —— Nos quid de ea censeamus supra jam exposuimus. Omnia autem huc redeunt: nunquam in principio post invasionem statim, ubi terrore, & metu æger jactatur, habet locum, sed secundo vel tertio die, si urget plethora, & vires sinunt, admittenda moderata.

Quid de nitrosis. *Art.* 344. Sic etiam de nitri usu ambigunt medentes. Qui rejiciunt, putant illud nimium refrigerare, & expulsioni veneni ob id resistere, pestis etiam venenum jam tum esse stupefactivum, putredinosum, ac diarrhæas inde metuendas ferre lethales. Qui probant illud non secus ac in aliis exanthematicis inflammatoriis, & malignis febribus diaphoreticis nuptum egrege prodesse contendunt. Sed lis facile dirimenda. Spectanda sunt individua, eorumque natura, & temperamenta, & expectanda morbi symptomata. —— Semper tamen tutius est, si nitrum sociatur camphoræ, quo connubio camphoræ vaporosa, & nitri refrigerans indoles optime cicuratur, & medicina emergit non modo alexipharmaca, sed & inflammationi efficaciter resistens.

Bubon. & anthr. tractatio. *Art.* 345. Exterius in bubonibus si tardius prodeunt, attrahentia imponere jubent, cucurbitulas, quin vescicatoria. Si protuberant, suppuratio promovenda cataplasmate ex ficubus, radice liliorum alborum, cepis sub cineribus coctis cum farina lini, melle, & croco. Vel imponenda suppurantia simul atque discutientia, emplastrum diachylon tam simplex, quam cum gummatibus, de mucilaginibus, nec non de meliloto. Ubi suppurarunt aperiendi, & balsamo *Arcæi* nonnunquam unguento basiliconis remix-

mixto mundandi, & consolidandi, ita tamen ut non nimis cito coeant, sed aliquandiù materiæ saniosæ concedatur effluxus. Anthracibus, quia humor jam corruptioni obnoxius, non admovenda suppurantia, sed curandum, ut crusta decidat, quem in finem Loimiatri confinia digestivo inungere, & acre emplastrum superponere jubent. Crusta delapsa unguento Ægyptiaco, vel fusco *Vvurzii* cum melle rosato tractandi. Quod si autem corruptio sphacelosa adest, & latius serpere videtur, prohibendum hoc sufficienti scarificatione, & applicatione liquoris, qui potenter inflammationi ac putredini resistit, expertæ sæpius a me virtutis, parandi ex sp. vin. rectif. unc. iv. camphor. ʒij. croci ʒj. nitri artificialis tantumdem hoc est ʒj. quod ex spir. sal. armoniac. urinoso & spir. nitr. conficitur, ac a vini spiritu perfectè dissolvitur.

Art. 346. Demum quoad regimen in genere adhuc tenendum, quod sicuti in omnibus acutis exanthematicis morbis, nimius lecti, & conclavis calor omni studio, ceu summopere noxius, vitandus, ita multo magis ipsa in pestilentia. Vicissim vero arcendum etiam frigus, ne tumorum eruptio, & difflatio subtilioris venenosæ materiæ per cutis poros ullo modo intercipiatur. Temperata potius sint omnia, uti jam in antecedentibus passim monuimus, iterumque monemus. *Regimen.*

Farrago sententiarum.

Art. 347. Si quis, (inquit *Bonetus*) cum ægris conversatur, qualicunque morbo affectis, nunquam, quamdiu intra sphæram vicinitatis talium moratur, salivam deglutiat, sed semper eandem expuat, sic ab omni infectione, Deo & natura juvan- *Præservativa varia.*

juvantibus, erit immunis. „ Observatum fuit „ scabiosos & lue venerea laborantes peste minus „ tentari. Frustulum myrrhæ in ore detentum „ in locis contagiosis versantibus optimum præ- „ servativum censetur. Quidam medicus, sæ- „ viente peste, sibi ipsi & quibusdam aliis seta- „ ceum in utroque inguine comparavit; unde „ morbo intacti tutò evaserunt, „ Observarunt „ *Forestus*, *Diemerbroeck*, *Galli*, *Angli*, *Germa-* „ *ni*, „ omnes Smegmatopolas, Lotrices & omnes „ qui ex officio sapone utebantur, immo qui „ saltem indusia sapone elota gerebant in peste „ illico mori. *Boerhaave.*

Vires limonum. *Art.* 348. Peritissimi (inquit *Piso*) nonnulli Indiæ medicastri plus præsidii *in limonibus* ponunt, quàm *in lapide Bezoar*, aut *theriaca* contra malignos morbos, & pestilentes Febres, atque ipsa venena. Ego autem sine jactantia affirmo me ex nullo aliquo remedio simplici tot fœlices affectus in tota praxi mea observasse, quam *ex limonibus*.

Communis Turcarum praxis (inquit D. *Harris* in tractatu de morbis infantum *p.* 88.) in curanda Peste fit *per succum limonum* in omne jusculum liberius instillatum, *per frusta limonum saccharata* ore frequenter masticata, & per potum apud nos vulgatissimum dictum Sherbett, hoc est, per ipsum regimen frigidissimum: utpote quibus *alexipharmaca nostra calidissima* bonis auspiciis sunt planè incognita, aut in nullo numero saltem habentur.

Vires camphoræ. *Art.* 349. Ex regno vegetabili supereminet *camphora*, quæ ab omnibus practicis extollitur (inquit *Ettmullerus*) undè nobile expertissimum oleum pestilentiale *Heinsii*, medici Veronensis, qui cum hoc mira præstitit, adeo ut ipsi post mortem Veronæ statua fuerit erecta: Composi-

tum

tum est *ex ol. camphoræ succini & cort. citr. ana* p. æ. quæ oleo invicem bene juncta constituunt hoc mirabile remedium; pro præservatione dos. gut. 5. vel 6. pro curatione a gut. vj. ad xv. in vehiculo idoneo expectando sudorem, *Sal viperarum & Rob. Sambuc.* laudantur.

Art. 350. In usu etiam sunt quamplurima alia remedia composita ad præcavendum & curandum gravissimum hunc morbum, ut.

Aqua prophylactica.

℞. *Rad. angel. zedoar. ana* ℥j. *petasitid.* ℥j. *fol. rut. m.* iv, *meliss. scabios. flor. calend. ana m.* ij. *nuc. jugland. immatur. concis.* ℔ij. *succ. pom. citr.* (*vel aurant. acid.*) ℔j. *acet. vin. opt.* ℔xij. *digere per noctem & distilla lento igne ad siccitatem.* Optimum alexiterium habetur.

Acetum Pestilentiale, Bat.

℞. *Rad. angel. zedoar. ana* ℥j. *bacc. junip.* ℥ij. *rut. m.* iij. *acet. opt.* ℔iij. *macera, ac cola.* Pro suffitu, & oris collutione grassante Peste.

Aqua theriacalis. Diemer.

℞. *Rad. nastrutii, petasitid. angel. carlin. valerian. ana* ℥ijß. *enul. campan. cort. aurant. sicc. ana* ℥iij. *herb. scord. absynth. ana* ℥ij. *card. ben.* ℥iij. *flor. ros. rub.* ℥ß. *stæchad.* ʒiij. *bacc. junip.* ℥iiß. *cardamom. min.* ʒv. *cinamm.* ʒj. *vin. Rhenan. vel Gallic. tem.* ℔xxij. *aq. ros.* ℔ij. *vase bene obturato stent. in infusione dies* x. *deinde add. fol. rut. m.* vj. *tanacet. m.* iv. *rorismarin. pimpinel. ana m.* iß. *maneant simul in infusione adhuc per octo vel decem dies, quotidie baculo commovendo, postea affunde succ. citr.* ℔ij. *stent. adhuc per* 3. 4. *dies, postea super ignem leviter ebulliant, & colentur, ac in torculari fortissime exprimantur, collatura destilletur in b. m. & servetur ad usum.*

Cataplasma Pestilentiale. Bat.

℞. *Stercor. columb.* ℥iv. *croc.* ℥ß. *Mithridat. theriac.*

riac. Lond. sem. sinap. ana ℥j. *tereb. q. s. m.* Pro bubonibus rumpendis invenienda.

Item *Spiritus theriacalis camphoratus*, *tinctura bezoardica Batean.* Et alia innumera apud scriptores medicos.

Officia & præcautiones Magistratuum.

Art. 351. Morientium numerus, quo loca tali miasmate infecta horrescunt, & cadaverum multitudo in sepulchretis congesta, cum oculos animumque terrore conficiant, merito quisque alibi quærit asylum, ubi a tam contagioso malo tutus ac immunis vivere possit, cujus tam subita & periculosa est communicatio, ut homines halitu sibi ad invicem morbi semina dicto citius aliquando transfundant.

Art. 352. A Magistratibus locorum, in quibus morbus grassatur, tentoria citra tormentorum bellicorum jactum imperanda sunt, in quæ transvecti ægri methodo infra tradenda curari debeant. Ex publico ære lignorum viridescentium, & fœni strues parandæ, ut diu & jugiter vel ardeant vel effument, etenim per media tentoria, & per urbem tali modo aeris communicatio intercipitur. Si circumpositum solum herbis aromaticis, & balsamicis ditescat eædem evulsæ super ardentes strues cremari debent, ut earum fumo infectus aer corrigatur. Tales quidem ignes per plateas, & latiores vias multiplicare præstat, cum ab eis tutior præservatio, quæ expectari possit, comparetur: sic Hippocratem sartam tectam insulam *Coos* a Peste crebris & magnis ignibus passim accensis præstitisse accipimus. Præterea Magistratibus ab initio usque incumbit, ut sordes, impuraque, & fœtida aliunde transferri jubeant, quippe quæ virus pestilentiale & fovere possunt, & abditum diu conservare; fimum aliasque impuritates a plateis atque magis frequentatis viis longe arcere; extra

tem-

templa cadavera, sepulcris procul ab Urbe dissitis recondita vel calce absumi; cœtus omnes & publicos conventus, atque adeo commercium & societatem cum urbibus, in quibus morbus viget, & quæ suspectæ sunt, interrumpi; nulla prava alimenta inferri, sed tantum quæ laudabilem nutritionem, & succum ministrant, atque demum statim ac morbus primo erumpit, cito sanos ab ægris discriminari.

Art. 353. Sequentibus autem signis pestis se se manifestat. Corripit primo ægros rigore, & horrore, qui paulo post internum ardorem validumque percipiunt. Quamvis vehementer hunc ardorem percipiant, ut plurimum tamen minime alterati apparent, subinde levi febricula tenentur, & siti tantum inconsueta. Major aut minor fit febris, interdum lingua sicca atque fusca apparet: urinæ subinde a naturali statu non recedentes, quæ in nonnullis tamen rubicundæ ac flammeæ prodeunt, in aliis limpidæ atque crudæ, in quibusdam demum turbidæ & sedimentosæ; & identidem eodem die sæpe mutantur, nam modo sanorum urinis similes, modo sanguineæ videntur. Quandoque ægrum profundo somno detentum vel etiam delirio, sæpe atroci capitis dolore, vigiliis sociato, oculis ardentibus, & cordis angustia oppressum offendes. Pulsus ejus interdum validus ut in statu naturali apparet, interdum vero debilis, parvus, & frequens, modo æqualis, modo inæqualis; & in quibusdam etiam intermittens. Continuis agitationibus ægri exercentur, qui timore quasi perculsi toti contremiscunt, nam & tendinum subsultus eos vexant, & convulsivi tremitus per artus, visum item obfuscatum habent, atque tinnitu & aurium susurro conqueruntur. Quidam reperiuntur a principio usque viribus fracti, alii con-

Signa & symptomata Pestis.

contra quorum vires usque ad obitum valentes satis persistunt. In nonnullis alvi fluxus quibuscumque remediis pertinaces observantur, in quibus egestiones crudæ interdum sunt, & frequentes, utplurimum tamen aquam impuram referunt, in aliis etiam vermes. Hæmorrhagiæ per nares difusissimæ vel per os, vel per oculos, aut aures, aut virgam, aut uterum in quibusdam occurrunt, in aliis etiam continui vomitus. Sunt qui nauseas, anorexias, Cardialgias, & singultus patiuntur, & qui maculas in cute rubras, purpureas, violaceas, nigras modo majori modo minori numero referunt, quarum figura subrotunda, magnitudo vel major vel minor, situsque vel in una aut altera parte, vel per corpus universum. Plurimi item dantur ægroti, in quibus bubones retro aures, ad mentum, vel collum, sub axillis, & ad inguina prorumpunt, vel in quibus carbunculi exoriuntur a diversis corporis partibus, quæ ubi apparent signum certissimum grassantis pestis exhibent, maxime si febrem comitem ducunt, aut eidem superveniunt.

Definitio Pestis.

Art. 354. Ex his omnibus liquidum est definiri posse pestem, *morbum esse epidemicum, contagiosum, acutissimum a veneno subtili productum, quod per aerem difusum corpora nostra subit, bubones, carbunculos, maculas vel exanthemata aliaque graviora symptomata producendo.* Hic sane morbus insigni, miraque corruptione sociatur, in qua itidem ejus naturam atque essentiam consistere affirmamus.

Genericæ observationes circa remedia antipestilentialia.

Art. 354. Quantum ad remedia huic flagello propria, notum est, ea de quibus olim utiles experientiæ captæ fuerunt, in aliis occasionibus reperta fuisse inutilia. Nam miasmate venenoso eodem jugiter non existente mirum non est, si ad

si ad nova experimenta confugere necessarium existimetur; tum etiam si in contagiosis morbis: ut in variolis, purpura &c., in quibus aer minimam partem habet, ratione habita ad causas intus operantes, remedia specifice efficacia uno anno reperta, subsequente vel inutilia, vel nocua deprehenduntur. Quid, amabo, concludendum erit, de *Analepticis*, *Alexipharmacis*, *Cordialibus*, aliisque remediis feliciter adhibitis, & summa laude adversus flagellum hoc usurpatis, maxime ubi perpenditur hujus fomitem plus in atmosphæra aeris quam in corporibus eamdem inspirantibus latere? Præstantius quod hac in re consilium commendari potest, est profecto illud, quod omnia remedia, quæ hisce in occasionibus utiliter adhiberi possunt in usum trahantur, eadem plurimis, diversisque ægrotantibus porrigendo, indeque productis effectibus diligenter attendendo. Ceterum quæ deinceps prescribemus, vel jam experientia combrobata, vel saltem consentanea sunt principiis omnium consensu admissis, atque adeo digna videntur, ut tentamini subjiciantur.

Art. 356. Inter tutiora præservativa compositio *Acetum quatuor latronum* dicta, primas equidem obtinet, ideo conveniens erit ut tempore, quo Pestis grassatur, Magistratus jubeant, insignem ejus quantitatem singulis maxime pauperibus gratis erogari, unde unusquisque secum ferre possit preservativum ore & naribus subinde admovendum, cujus compositio habito respectu proportionis partium, si quantitas augetur, hujusmodi est. *Quædam præservativa medicamenta.*

♃. *Acet. alb.* ℔iij. *ſ. allii concis. unc.* iv. *Ass. fœtid. unc.* j. *rad. gentian. unc.* ij. *mithrid. unc.* j. *bacc. junip. man.* j. *infund. super cin. calid. vel ad solis calor. per hor.* 24. *in vase claus. dein facta percolat.* *Acetum quatuor latronum.*

lat. & express. servet. usui. Singulo mane stomacho jejuno cochleare deglutiatur. Sed hujus aceti compositio secundum Pharmacop. Parif. ultim. edit. ita se habet. ℞. *summit. recent. absynt. maj. & min. rorismar. salv. menth. rutæ ana unc.* j. *sem. flor lavendul. unc.* ij. *allii* ʒij. *calam. aromatic. cinamom. caryophyl. nuc. mosc. ana* ʒij. *acet. opt. lib.* viij. *infund. & macer. per dies* xij. *ad solis calor. vel ad ign. aren. in vase vitr. optime clauso, dein liquore decantato, & forti express. resid. filtr. demum add. camph. in vin. sp. solut. unc. sem.*

Adversus aeris corruptiones eximias virtutes habet acetum hoc, cujus inventio quibusdam tribuitur furibus, qui specie auxilium ferendi ægrotantibus in Peste Massiliensi magnas opes furtim congessere. Historia narrat: ex iis quempiam in carcerem conjectum, & suspensioni damnatum, vitam oblato arcano remedio sibi redemisse. Hinc hujusmodi acetum post sæpenumero servata vita per naturalia mortis pericula, etiam a furca nequam hominem vindicavit. Ceterum ad valetudinis tutelam præstat in ipso cubili, ubi morari datur, juniperum, roremmarinum, lavendulam, & hyssopum vel alios aromaticos frutices accendere non solum vespere dum cubitum itur; sed mane etiam dum surgitur. Post hæc duo alia præservativa hic insuper sistimus.

Infusum antipestilentiale. ℞. *Summit. genistr. caulic. rub. pug.* ij. *contund. par. & infund. in vin. alb. per dies* ij. *hujus infusionis singulo mane ante egressum duo tresve digiti transversi e cyatho hauriuntur.*

Aliud præservativum. ℞. *Salv. maj. rutæ, fol. sambuc. rubi ana man.* j. *gingiber. unc.* j. *vin. alb.* ℔iij. *infund. per hor.* viij., *dein ebull. per horæ quadrant. & colat. servetur usui, cui add. gingib. pulv. unc. sem. Dosis duor. vel trium digit. in cyath. sing. mane per novem dies continuanda.*

Art.

Art. 357. Si pestilenti morbo laboratur, theriacæ drachma cum cyatho dimidio aquæ buglossi assumenda est, indeque bis in die remedium supra descriptum hauriatur; & si *carbunculus* vel *Bubo* proruperit eidem imponenda sunt folia sambuci, & rubi cum semine synapeos contusa.

Art. 358. Perraro admodum purganda est alvus, quod si opus, nisi lenioribus preservationis gratia subduci debet, nam validior purgatio omnes corporis humores commovet, eosdemque suscipiendo viro pestilenti idoneos reddit.

Art. 359. Corrigi potest aer, non solum ignibus, & flammis: ut superius meminimus; sed etiam suffumigiis ex sulphure, & nitro simul mixtis; quare pulvis pyrius optimi correctivi vices præstat; sed juniperus, thus, pix nigra, & camphora veluti validiora preservativa ad suffumigia paranda commendantur. *Quomodo aer purificatur.*

Ad abigendum igitur malum aerem, quod sequitur, suffumigium valde præstat.

℞. *Vitriol.* ℥ij. *rutæ man.* j. *acet. destill. unc.* xiv. *macerent. simul per hor.* 24. *additoque vitrioli pulver. versatur liquor super lateres ad ignem candefactos, atque fumus inde exhalans malum aerem corriget.*

Art. 360. Nec e domo quisque egrediatur jejunus, & ut a peste immunis abire possit, panis frustulum ex cyatho vini absynthiti quotidie devoret.

Vel. ℞. *Frustulum camphoræ magnitudinem pisi exæquans, quem ad flammam accensum in cyathum vini plenum dejice, si in casu extinguitur, toties idem accende, quousque totum absumitur. Hoc vini cyathum antequam e domo egrediaris propinato.*

Tamquam validum præservativum habetur quoque spongia aceto imbuta, & naribus admota. Præservationis gratia sequens item valet remedium.

℞. Rad. angelic. cortic. citr. q. v. macerentur in aceto per hor. 24. Hujusmodi radicis vel corticis frustulum sæpe ore detineto, & masticato.

Remedia curativa Pestis.

Art. 361. Ad curandam pestem sudoriferis, alia sistimus remedia, quæ magni estimantur, maxime vero, quod sequitur *Opiatum.*

Opiatum antipestilentiale.

℞. Croci, rad. cyperi, tormentill. semin. synap. ana unc. j. hisce radicibus, & seminib. seorsim pulveratis misceantur, & cum mithridat. unc. iij. *atque aceti optimi tantumdem diu agitentur in mortar. marmor. opiatum hoc in vase probe clauso conservatur, ne evaporet.*

Statim ac quis percipit se a morbo correptum hujus opiati ʒ unam cum cyatho dimidio vini albi tepentis solutam propinet, & per bihorium incessum abeat, postea in lecto cubet calefacto, & stragulis optime coopertus sudet, sudorque ejus pannis lineis calefactis identidem abstergatur, & corpus fricetur. Tempore quinque vel sex dierum vino se abstineat, & ptisana tantum utatur ex rad. scorzoner. graminis cum hordeo. Sed aquam antipestilentialem itidem addimus.

Aqua antipestilentialis.

℞. Herb. sclareæ vel chelid. maj. man. ij. *salv. minor. artemis. centaur. min. ana man.* j. *rad. cyper. scabios. cann. montan. petersil. fœnicul. ana man.* j. *concis. infund. in acet. fortiss. lib.* x. *per hor.* 24. *dein alembic. destillentur, cujus aquæ* destillatæ duo vel tres digiti transversi in cyatho ei exhibentur, qui sese a morbo correptus percipit; quique postea diu ambulabit donec plurimum incalescat, atque inde decumbendo sudabit, & sudorem calide a se abstergere jubebit. Aliud item remedium contra pestem est.

℞.

℞. *Rad. cyperi, fol. & rad. scabios. rasur. interior. cort. nucum avellanar. ana man.* j. *rad. flor. & sem. cardui bened. man.* iij. *infund. in acet. opt. per* 24. *hor. Postea decantet. acet. exsiccatæ species pulverentur, pulvisque per densum setaceum trajiciatur*, cujus cochleare plenum dabitur ægro cum vini rubri parvo cyatho, cubitum ituro. *Pulvis antipestilentialis.*

Art. 362. In curatione Pestis per sudorifera cavendum, ne æger fluente sudore dormiat, quia somnus salubres evacuationes inhibet. Quodsi vigiliæ urgeant, & timor adsit, ne delirium instet, nonnullis placet: duo saltem grana laudani sudoriferis addere, quibus delirium compescatur, & finitis sudoribus æger somnum capiat. Habenda autem est ratio virium ægri, dum sudor promovetur, idcirco satis est, una vel altera hora post sumptum remedium sudare.

Art. 363. Incipiente Pestis invasione utilia admodum sunt Emetica; sed cavendum est, ne vomitorium æger assumat, quin ejus Buboni unguentum suppurativum applicatum sit metu ne vi vomitionis materia noxia retrocedat. In hujus morbi regimine nec phlebotomia, nec purgatio, nec clysmata temere sunt præscribenda, & præservationis gratia balsamum apoplecticum quisque secum ferre potest. ℞. *Sp. volat. sal. armoniac. aq. reginæ hung.* vel *malum citreum caryophyll. conditum*, aut simile aliquod *aroma*, quibus auxiliis non tam olfactus recreatur, quam eriguntur spiritus atque roborantur.

In cura Pestis, quæ Londini grassata est, sequens pulvis ægregia præstitit beneficia. *Alius.*

℞. *Ranam marem seu bufonem, quem exenteratum exsiccabis cum jecure, indeque pulverabis. Hujus pulveris drachmam cum meri cyatho exhibeto.*

Remedia pro Bubon.

Art. 364. Inter remedia quæ utiliter bubonibus applicari possunt commendanda sunt *Emplast. Diachylon* cum gumm. Vel emplast. divin. tum *cataplasm. ex Cepa, rad. lil. alb. & oxalid.* sub cinerib. coctis additis *ung. basilico, & fermento.* Aliud item quod plurimum laudatur remedium est.

℞. Cepæ magnæ num. j. *remotis externis involucris cum adnexis foliis nucleus projiciatur, pro quo ingerantur fol. plantag. rutæ, salv. min. menth. nig. ana p. æ. cum mithridat. ad eamdem quantitatem. Singulæ herbæ contusæ, clausæque intra cepæ involucra humida circumducta tela sub cineres calidos coquantur. Cum satis coctas deprehendes in cyathum vini albi demerges, ubi etiam comprimes, & liquorem per filtrum exprimendo trajicies, sic quod exibit propinabis, & reliquum applicabis tepidum tumori, ubi aderit: sub axillis, ad collum, aut alibi, imposito desuper plantaginis folio.* Hoc præstito decumbat æger calide, & probe sudet. Ubi sudor eruperit, linis calidis obstergatur.

Licet etiam pestilentialibus tumoribus sequens admovere cataplasma, quod inter attrahentia excellit.

Ad Bubones cataplasma.

℞. Cepæ magn. num. j. *caput allii sem. synap. cochlearia* ij. *contund. simul in mortario, & Buboni admoveantur.*

Ad eumdem obtinendum effectum aliud *Cataplasma.*

Aliud.

℞. Bacc. herb. a Paris *dictæ, fol scrophul. ferment. ana man.* j. *m. & f. cataplasm. bubonib. applicandum.*

Plurimum etiam celebratur stercus humanum forma cataplasmatis tumoribus imponendum.

Art. 365. Suppuratis tali pacto bubonibus ulcus exsurgens abstergendum est, atque consolidandum.

dum. Huic scopo quod sequitur remedium facere potest.

4. Rad. consolid. maj. man. j. conteratur & ulceri imponatur donec solidescat.

SUDOR ANGLICUS.

Vvillisii sententia.

Art. 193. Sudor anglicus cœpit anno 1585. circa initium mensis Augusti, duravitque usque ad finem Octobris; & quamvis Sennertus dicat, hoc malum deinceps 40. annos regioni huic familiare & perpetuum fuisse, tamen nostrates, & medici, & historici, qui tunc aut prope ea tempora vixerunt, eum perfecta & magna intervalla habuisse observabant; cumque 66. annorum spatio solummodo quater redierit, viz. anno 1506. 1517. 1528. 1551. vix unquam supra sex menses deferviisse, & nonnunquam spatio trimestri terminatum fuisse, eumque tempestatem valdè humidam semper præcedaneam habuisse. At vero singulis quibus increbuit annis, maximas ubique edidit mortalium strages; ut ab unoquoque ejus regni quibusdam in locis tertia pars hominum brevi desideraretur. Tanta fuit ejus malignitas, ut quamprimum urbem aliquam invaderet, singulis diebus quingentos aut sexcentos occuparet; & ex ægris primo vix centesimus evaderet. *Morbi historia.*

Art. 367. Morbi typum a Sennerto compendiose & methodice descriptum, etiam nostris authoribus consonum, hic inserere visum est. Morbo hoc correpti statim sine bubone, carbunculo, exanthematibus, languore dissolvebantur, & animo deficiebant cum summo virium languore, inquietudine καρδιωγμῷ, capitis dolore, pulsu crebro, celeri, inæquali, cordisque palpitatione *Morbi typus.*

maxima; sudore vero diffluebant perpetuo & copioso, qui non finiebatur, antequam morbus solveretur, quod intra 24. horas contingebat; nam qui *sudorem* non proliciebant, neque *cardiacis* utebantur, & qui impatientius calorem ferebant, auramque frigidam captabant, ii omnes subito intra 24. horas moriebantur. Postea ubi morbi hujus ratio innotuit, ut ægri *sudores* elicerent, ac *cardiacis* se munirent; pauciores moriebantur.

Curatio describitur. *Art.* 368. Circa curationem paulo accuratius scribit *Polydorus Virgilius*: post ægrotantium plurima experimenta & observationes, a juvantibus, & lædentibus factas, ita usuvenit; ut remedium unicuique promptissimum inventum sit, quod hujusmodi est. Si quis interdiu sudore corripiatur, cum vestitu protinus cubatum eat; si nocte, tum quiescat, nec se a loco moveat usque ad 24. horas exactas; interim ita se stragulis oneret, ut non provocetur Sudor, sed sua sponte molliter stillet, cibi nihil capiat, si tamdiu tamen tolerare possit; neque plus potionis consuetæ, ac calefactæ hauriat; quam modice satis sit ad sitim extinguendam; inter hanc curationem imprimis caveat, ne manum quidem aut pedem suum refrigerandi, recreandique causa extra stragula proferat, quod facere lethale est. Addunt alii toto isto nycthemeri spatio a somno prorsus abstinendum fuisse. A sudatione hac Pestilenti recuperati postquam aliquamdiu sani perstitissent, quandoque in eam rursus, imo interdum vice tertia, incidebant.

Cajus apud D. Freind. *Hist. Med. p.* 333. Vol. II.

Sudor Anglicus. *Art.* 369. Sudor Anglicus fuit morbus temporarius, *magnæ Britanniæ* indigena. Cœpit primo anno 1483. in exercitu regis *Henrici* septimi

quum

quum ad portum *Milfordiensem* appulisset, *Londini* sæviebat a 21ᵒ Septemb. ad finem Octobris. Et exinde quinque aliis vicibus in insula nostra comparuit; idque semper æstivo tempore primo in 1485, deinde in 1506, & tunc tertia vice in 1517, ubi tanto impetu æstuabat, ut in instanti quasi, tribus nempe horis, mortem inferret; inter optimates multi, & populares plurimi moriebantur; in quibusdam oppidis incolarum dimidiam partem abstulit. Tum demum in 1528 quarto redibat, quando ægri inter sex horas perierunt; vita ipsius regis *Henrici* octavi valde periclitabatur; plurimi inter *Aulicos* interibant. Anno sequenti, viz. 1529. semel tantum *Belgium* & *Germaniam* infestabat, apud quos multi occubuerunt. Postremo anno 1551 *Angliam* ultimo invasit; *Vvestmonasterii* centum ac viginti in dies moriebantur. *Salopiæ* speciatim, ubi *Cajus* author noster commoratus est, ingenti hominum clade invaluit, & tanquam *Pestis Athenis* tremenda est ejusdem descriptio, hoc oppido per septem menses deflagravit, quo tempore mille hominum trucidavit. Maxima proprietate ab illo vocatur *Febris Pestilentialis contagiosa unius diei*.

Art. 370. Modus invasionis sic se habuit. Imprimis singularem aliquam partem affecit; symptomata concomitantia fuerunt calor internus & ardor, sitis inexplebilis, anxietas, ægritudo ventriculi ac præcordiorum (raro tamen vomitus) cephalalgia, delirium, deinde languor & somnolentia gravis, pulsus celer & vehemens, respiratio cita & laboriosa. Infantes, pauperes, & senes cæteris huic morbo minus obnoxii reperti sunt: reliquorum autem pauci a contagione liberi, & inter correptos paucissimi convaluerunt. Exules patriæ in *Galliam*, aut *Flandriam* prophylaxeos causa fuga minus sospitali freti pariter eo- *Symptomata.*

dem fato cum conterraneis suis obierunt. Et insuper, quod dictu adhuc mirabilius est, peregrini tunc temporis in *Anglia* hospitantes contagio immunes extiterunt, cum *Angli* peregre existentes morbo correpti sint.

Methodus medendi. *Art.* 371. Medici hujus novi morbi adeo exitialis aspectu terrifico perculsi primo obstupuerunt, nec quid faciendum esset bene norunt: Experientia vero a juvantibus, & lædentibus petita paulo maturius docti eundem debito regimini & medicamentis temperare didicerunt. Indicatio curativa primaria, ac præcipua fuit *sudorem liberum promovere & diutius sustentare*: Sudor enim quoquomodo imminutus, abruptus, vel suppressus mortem accelerabat, quocirca ægroti omni opera a frigore muniendi fuerunt, & si sudores sponte sua haud satis copiosi fluxerunt, medicamentis diaphoreticis, & stragulorum plurium impositione provocandi fuerunt, & vires cum cardiacis, & vino sustentandæ. Morbus hic acutissimus quindecim horis ad *acmin* exsurgebat, sed non ante hor. 24. res in vado fuit. In quibusdam necesse fuit sudationem repetere, immo in robustioribus quandoque ad duodecimam vicem. Nonnulli, qui sudoribus haud sufficienter indulserunt, in *Febres mali moris* inciderunt. Primis quinque horis potus omnino prohibendus erat; hora 7ma morbus increvit, qua delirium superveniebat; somnus per totum morbi decursum sedulo excutiendus erat, & carnes non concedendæ.

C A-

CAPUT II.

Sive Fasciculus Morborum secundus.

INFLAMMATIO.

Art. 372. INflammatio in genere est tumor renitens ad tactum cum rubore, ardore, dolore urente, tensivo, pulsatili, punctorio, & gravativo, quibus semper accidet Febris plus minus acuta. Tumor vel resolvitur, vel suppuratur, vel in scirrhum abit, vel gangrænescit, & mortem infert. *Inflammatio in genere.*

ANGINA.

Hippocratis sententia.

Art. 373. Anginæ non una sed tres sunt species. In prima specie febris corripit, & rigor & dolor capitis, & maxillæ intumescunt & sputum æger difficulter deglutit, expuit autem & salivas duras, & paucas, & infra in faucibus stertit & si apprehensa lingua inspexeris, gurgulio non magnus est sed mollis, fauces autem intrinsecus saliva viscosa plenæ sunt, & non potest excreare, & decumbere non sustinet, verum si decumbat suffocatur, & oculi affecti sunt, & prominent velut in strangulatis, & intente per ipsos videt, & ipsos commovere non potest & anxius est, & exilit frequenter, & facies ac fauces ardent, imo etiam collum. At videntibus nihil mali habere videtur, & videt ac audit obtusius, & præ suffocatione non intelligit, nec quid dicat, necque quid audiat, aut faciat, verum hians decumbit salivam fundens. *I. Species Anginæ.*

Qui

Qui ita se habet quinta aut septima aut nona die moritur.

II. Species. *Art.* 374. In secunda specie febris, & dolor adest & fauces inflammantur, itemque maxillæ, & salivam deglutire non potest æger, spuit autem crassam, & multam, & difficulter loquitur.

III. Species. *Art.* 375. In tertia specie linguæ posterior pars inflammatur, itemque locus sub tonsillis ad guttur, & neque salivam neque quicquam aliud deglutire potest æger, si vero coactus fuerit per nares ipsi effluit.

Observationes. *Art.* 376. Duo humorum species Anginam faciunt altera nempe a glutinosa, & frigida fluxione facta est, altera ab acri & calida. Prior fluxio in latiores decumbit venas, secunda in tenuiores; Prior quæ pituitosa est hyeme vel vere defluit, *secunda Autumno & vere. Fiunt & Anginæ in pluviarum multitudine, & quadam constitutione vigente; in liberis raræ erat, & mitissimæ; in servis vero exuberabant, quibus vehementissimæ contingebant, & ab eis celerrime peribant.

Prognosis Anginæ. *Art.* 377. Ab angina habito si tumor fiat in collo bonum, aut tumor, & rubor in pectore superveniat bonum est. Anginæ quæ neque in collo neque in faucibus quicquam conspicuum faciunt, verum suffocationem vehementem, ac spirandi difficultatem inducunt eadem die, & tertia occidunt, quæ vero tumores, & ruborem in collo accipiunt, & in cæteris quidem consimiles sunt, verum diuturniores; quibuscumque vero & fauces, & cervix, & pectus simul rubuerint diuturniores sunt: ast ex ipsis maxime servantur si non recurrerint rubores; si vero dissipentur neque tuberculo foras converso, ac collecto, neque pure leviter ac sine dolore

lore excreato, neque in diebus judicatoriis perniciosæ sunt; num etiam suppurati fiunt? Securissimum enim est ruborem, & abscessum quam maxime foras verti. Erysipelas vero foris quidem accedere commodum est, intro autem converti lethale. Convertitur autem intro, quum disparente rubore pectus gravatur, & difficilem spirationem habet. Quibus vero anginæ ad pulmonem vertuntur partim in septem diebus moriuntur, partim evadentes suppurati fiunt, si eductio pituitosa sursum ipsis non fiat. Quibus per pulsationis venarum vehementiam stercus de repente per alvum secedit lethale est. In angina sputa gracilium subarida malum, anginosi in lingua tumores citra signa disparentes perniciosi. Et dolores disparentes citra manifestam causam perniciosi sunt in anginis; Qui non brevi concocta expuunt perniciose habent. In angina dolores ad crura citra notas cum febre perniciosi. Ex anginis citra indicationem præcordii dolor cum impotentia, ac torpore oboriens occidit occulte, etiamsi mansuete se habere putent. Ex anginosis citra notas attenuatis dolor ad pectus, & ad alvum progressus concitatus, pus egerere facit; alias autem ejus qui exsolvitur tale est. In anginis omnia perniciosa sunt, quæ non manifestum dolorem faciunt, sed & ad crura dolores diuturni procedunt, & difficulter suppurantur. Ex angina sputa viscosa, crassa, valde alba, quæ violenter educuntur mala sunt, & omnis ejusdem maturatio mala. Ex angina subarida frequentia sputa cum tussi, lateris dolorem inducentia perniciosa; itemque ea quæ inter potandum per tussim submerguntur; sed deglutitio in anginis violenta mala est.

Art. 378. Si angina aut aliquis alius lateris morbus ægrum divexarit medicamentis, quæ de- lin- *Anginæ Curatio.*

linguntur repurgato; ſin vero detracto copioſo ſanguine æger debilior videatur, infuſum alvi per clyſterem tertio quoque die exhibebis, donec in tuto æger fuerit, & fame opus habeat. Quamobrem ſanguinem ex brachiis detrahes, mox venas quæ ſub lingua ſunt ſecabis, ſed in prima, & altera ſpecie cucurbitulas ad verticulum in collo primum affigito: deinde in capite præraſo, & juxta aurem ad utramque partem apponito, & ubi cucurbitas affixeris ad multum tempus eas adærere ſinito, deinde calida exhibebis gargariſmata, caput abrades, ceratumque tum capiti tum collo circumpones, laniſque circumvolves, mollique ſpongia ex calida aqua expreſſa fovebis. Bibat autem aquam, & mulſam non frigidam, cremoremque aſſumat.

Aretæi ſententia.

Duplex Anginæ ſpecies. *Art.* 379. Duæ Anginæ ſpecies reperiuntur, altera cum caliditate, & magna tonſillarum inflammatione, & extrorſum verſus tumefactione, quin etiam lingua, gurgulio, & omnes adjacentes particulæ in tumorem efferuntur; altera iiſdem locis collapſis, & ſubmiſſis efficitur, ſed interius compreſſio majore ſtrangulatu diſccutiat, ut interna inflammatio ad cor uſque pertingere videatur. Huic vero celerrime occurrendum eſt nam, & hac celerrime ægroti rapiuntur.

Quæ clyſteribus curanda. *Art.* 380. Igitur ſi crapula, & ebrietas in cauſa ſunt; eodem die clyſterem imperato, iſque duorum generum ſit, alter uſitatior, quo ſtercora educantur; alter ejuſmodi, ut aliquas a tonſillis pectoreque humiditates evellere poſſit; neque tamen in cæteris efficacior meraciorque eſto, ſed centaurii, & hyſſopi decocta infundenda

ſunt;

sunt; hæc enim etiam pituitam educere solent.

Art. 381. Si tenuis autem victus præcesserit; scindere cubiti venam expediet, & latior sectio facienda est, ut majori cum impetu copiosior sanguis emanet. —— Haud ignobile quoque adjumentum præstat, si ad animæ usque defectum ægrum perduxeris, usque eo tamen ne anima deficiat. *Quæ phlebotomia.*

Art. 382. At si deglutiendi via expeditissima sit elaterium, & cum mulsa, & cum sero lactis, quantum ad purgandum hominem satis est prebeatur, aliis enim purgatoriis elaterium in his ægrotis præstantius est. Conferunt etiam thymelea & synapi, siquidem hæc ambo ventrem repurgant. *Quæ cathartics.*

Art. 383. In quibus vero inflationes deglutitionem impediunt, lingua ad palatum reflexa ipsius venas (h. e. raninas) rescindito, quod si prompte multus sanguis defluat inter alia remedia magis proderit. *Quando secandæ ranulæ.*

Art. 384. Irrigationes utique seu gargarismata locis inflammatis, primum quidem adstringentes ut retrorsus materiæ labantur, conveniunt, quamobrem lanæ sordidæ hyssopi vino madentes, aut oleo ex immaturis olivis expresso accipiantur. Quia etiam cataplasmata irrigationibus similia sunto ex. gr. palmulæ vino madefactæ, & cum rosarum foliis contusæ, & si viscidum ac molle cataplasma desideretur etiam hordei farina admisceatur aut lini semen, & mel & oleum, quorum omnium mixtura fiat. *Gargarismata.*

Art. 385. Quodsi tumor ad suppurationem veniat, calida admovenda sunt: quibus & in altera anginæ specie utendum est. Adesto igitur fœnigræci farina, & manna, & resina, quæ liquari possunt, & poli coma inspergatur, nec non & fomentum calidum adhibeatur spongiis *In suppuratione Anginæ.*

in

in decocto lauri baccarum hyssopique madentibus. Ad movendum pus autem efficacissimus est columbinus fimus tenuiter per lineum sacculum instar pulveris trasmissus ac super inspersus ; iddem & caninus eodem modo præstat.

Ad reprimendam inflammationem. *Art.* 386. Ex mulsa vero cum lentis, aut hyssopi aut rosarum, aut palmularum, aut simul omnium decocto collutiones fiant. Illinendum præterea totum os est ut & ad intimas fauces mororum, aut malorum punicorum aqua maceratorum succo, aut palmularum decocto, vel etiam compositis medicamentis ut Diamoro, aut eo quod ex ruta sylvestri, & succo rhei componitur, aut Diachelidonio idest: ex hyrundinibus confecto medicamento.

Ad faucium ulcera. *Art.* 387. Sin ulcera crustosa sint, collutiones, & gargarismata fiant ex hyssopi in mulsa, aut pinguium ficorum in aqua decocto: præter hæc amylum percolatum in mulsa, aut in ptisanæ tragive cremore.

Altera Anginæ species. *Art.* 388. Si Angina cum concidentia, quæ erat altera species occupet, ab interioribus extrorsum omnia vocanda sunt — proinde calidæ irrigationes sunto cum ruta, & anetho nitro insperso, & cum his superius memorata cataplasmata. Proficit etiam ceratum ex nitro, & synapi ad calorem excitandum superdare, calor autem exterior hujusmodi vitium tollit, Tumor enim foras in sublime elevatus a pulmonis inflammatione liberat, intus vero abditus anginam periculosam facit.

Laryngotomia. *Art.* 389. Quicumque strangulationem ab angina verentes, quo laxius spiritus duceretur, asperam arteriam secuerunt, experimento sane rem comprobasse non videntur, nam vulneris ora in unum coalescere nequeunt quia ambæ cartilagines inter se inglutinabiles sunt. „ Id

„ ve-

„ vero nostra ætate post plurima habita experi-
„ menta nullam facit difficultatem; instituta e-
„ nim laryngotomia vulnus optime glutinatur. „

Cœlii Aureliani sententia.

Art. 39 INflammatio faucium, *synanche* dicta, est difficultas respirandi (cum suffocationis periculo) ob vehementiam tumoris faucium; in morbo nascenti adest querela sine ratione, atque difficilis motus colli, & gutturis, item saliva plurima, subdolens & faucium sensus cum asperitate sensibili, difficultas deglutitionis salivæ, tum respirationis, velut impedimentum tanquam obstantis crassioris humoris. Crescente malo partes affectæ rubent & tument, uti tonsillæ & summitas gutturis fere ad suffocationem; dehinc intumescit collum atque vultus; humores evadunt crassiores, oculi prominent sanguinolenti; demum lingua ultra dentes ad exteriora prolabitur, siccescunt fauces, gelidus torpor articulos invadit; pulsus est celer & densus, locutio cum summo dolore, neque articulata, postremo amputata, livor vultus, recursus poti liquoris per nares, gutturis atque pectoris stridor, & quibusdam quasi *sonitus caninus*, pulsus defectio, quibusdam oris spumatio, mors. *Anginæ descriptio.*

Art. 391. Lanis mundis ac mollibus, & non infectis, dulci atque calido oleo infusis protegendum est collum cum thorace; adhibenda est phlebotomia intra biduum. Aqua calida pro potu ordinario præbenda est. *Curatio.*

Boerhaavii sententia.

Art. 392. Angina duplex est: Species prima sine ullo tumoris externi internive signo, altera cum *Angina sine tumore*

fere semper lethalis. cum tumore aliquo; prior in fine morborum diuturnorum, maxime post ingentes & repetitas evacuationes, contingit; pallorem faucium & siccitatem, & tenuitatem, comites habet; quare *nervos & musculos resolutos* plerumque habet; fere semper est signum imminentis mortis. „ Anginæ gravissimæ sunt (*inquit* Hippocrates *prognost.*) & celerrime interimunt, quæ neque „ faucibus, neque in cervice quicquam conspi-„ cuum faciunt, plurimum vero doloris & *or-„ thopnœæ* inducunt. " Remedia vasa vacua bono succo vitali replentia, calefacientia & corroborantia indicantur; sed raro curatur. Quandoque etiam oritur subito sine signis manifestis prægressis ullius morbi; vix capit medelam; & fere semper post mortem suppuratum pulmonem demonstrat.

Angina cum tumore. *Art.* 393. Angina cum *tumore* accidens varias occupat partes, uti linguam, ejusque musculos, palatum, tonsillas, uvulam, pharyngem, laryngemque earumque musculos, ossis hyoidis musculos, fistulam pulmonalem, œsophagum ejusque musculum, &c. quo plures harum partium inflammantur, eo sævior est morbus & periculosior, decurrit enim consuetum *inflammationis generalis* iter, eosdemque facit ac patitur mutationes in *resolutionem*, *pus*, *gangrænam*, *scirrhum*.

Indicationes curativæ. *Art.* 394. In specie hac inflammatoria omni arte tentanda est resolutio; 1. *Venæsectione larga*, &, si opus fuerit, aliquoties repetita. 2°. *Purgantibus* ore haustis, vel *clysmatibus*. 3°. *Victu potuque tenuissimo*. 4°. *Nitrosis subacidisque medicamentis*. 5°. *Vapore tepido* assiduè hausto. ℞. *Acet. sambuc. rosar. calendul. ana* ℥j. *aq. stillat. sambuc.* ℥vj. *misce*. Vapor calidus hauriatur infundibuli ope in fauces. Fomentis, epithematis,

tis, epispasticis, &c. His successu carentibus, renuntiata prius acerba prognosi, celebranda erit *bronchotomia*, de qua operatione consulatur auctor, ut etiam de *Angina œdematosa*, *catarrhosa*, *scirrhosa*, *suppuratoria*, *gangrænosa*, singulatim.

Art. 395. „ In illa Anginæ specie, quæ *Cy-* *Laryngotomia.*
„ *nanche* appellatur, ægro suffocanti *Laryngoto-*
„ *mia* institui potest. Morbus ipse periculosior
„ est, quam hæc operatio, quæ hoc tempore
„ magis ad praxin esset revocanda. Circumspe-
„ ctione nihilominus hic summa opus est, nè,
„ si aliæ quoque partes pulmo scilicet, pleura,
„ gula, &c. inflammatæ, aut jam pure repletæ
„ sint, irritus sit labor, & calumniandi ansam
„ præbeat. Omnibus igitur bene consideratis
„ operatio hoc modo est aggredienda: reclinetur
„ aliquantum caput, quousque in conspectu ma-
„ gis prodeat trachea, annulique ejus cartilagi-
„ nei a se invicem magis recedant. Incidatur
„ deinde cutis secundum longitudinem laryngis
„ usque ad foveam. Hæc utrinque ministri di-
„ gitis deducatur, quo oculis chirurgi occur-
„ rant musculi duo longi sternohyoidei, cultro
„ ligneo vel osseo a se invicem parum remo-
„ vendi, mox, larynge sese exhibente, sectio in
„ ea fiat ope phlebotomi, loco inter annulum
„ cartilagineum tertium, & quartum medio,
„ sedulo cavendo ne cartilagines ipsæ lædantur,
„ Flatu prodeunte cultellum aufer, vulnerique
„ fistulam argenteam infigito, bene prospicien-
„ do, ne, longior justo, posticam tracheæ par-
„ tem attingat, unde tussis continua. Suffoca-
„ tionis periculo cessante, quod die tertio aut
„ quarto plerumque contingit, vel saltem con-
„ tingere oportet, fistula ablata vulnus ordina-
„ rio modo secundum artem curetur, nam ab
„ aliis non differt. Chirurg. Barbet. p. 498.

Ettmulleri sententia.

Angina divisio. *Art.* 396. Angina est faucium & colli inflammatio; dividitur in *synanchen*, quando interni faucium seu pharyngis musculi inflammantur; *parasynanchen*, quando dictæ externi afficiuntur; *in cynanchen*, quando internæ laryngis partes sunt inflammatæ; *paracynanchen*, quando dictæ externæ patiuntur. In *cynanche* pulmones quoque sæpius afficiuntur, unde insignis respirandi difficultas, tanquam in *peripneumonia*, adeo ut ægri canum more ore hiante respirent. *Tonsillarum inflammatio.* Tonsillarum inflammatio ex lymphæ vitio Febrem habet conjunctam, sed magis lentam, & omnia symptomata sunt remissiora, quam in *Angina*; fauces rubent, & tonsillæ tumidæ insigniter prominent. Periculosus est Anginæ in *Pleuritidem* transitus. Anginosis spuma circa os apparens est lethale signum.

Curatio. *Art.* 397. In cura omnia ea conveniunt, quæ *pleuritidis* in usu esse solent, speciatim animalium stercora, ut equinum, caninum, &c. quæ morbum in prima herba detruncant; externe conducit cataplasma ex *nido hirund.* ℞. *nid. hirund.* N. j. *cep. sub cineribus assat.* N. iij. *flor. sambuc.* p. ij. *coq. in lact. & trajice per cribr. deinde add. alb. græc.* ℥ß. *ol. cham. stillat.* ʒß. *lilior. alb. q. s. m.* *Venæsectio* aliquoties repeti debet pro ratione circumstantiarum; omittenda est tamen in *angina maligna*, in qua *sudorifera* & *specifica* sunt usurpanda, & ipse medicus caveat sibi ab halitu ægrotantium: Convenit *vomitorium* in principio anginæ malignæ, modo mature administretur. *Purgantia* locum non habent in angina, sed *enemata & vesicatoria*: Inter gargarismata *urina propria* valde commendatur, item *succus sedi majoris*,

ris cum spiritu vini & sal. armoniac. & stercore canino. Præ reliquis convenit gargarisma *ex decocto raparum cum pauco sal. armoniac.* Ad rumpendum abscessum convenit gargarisma *ex sem. sinap. in hydromel. coct.*

Art. 398. In angina notha, alias alba dicta, non opus est *venæsectione* nisi in plethoricis; conducunt potius in principio *sudorifera*, & post hæc *purgantia leniora cum externis resolventibus*, gargarisma *ex decoct. origani, rad. pyrethri, sem. sinap. cum aceto*, &c. & postea *succ. sempervivi cum syr. e moris*. *Anginæ nothæ curatio.*

Barbeyraci sententia.

Art. 399. Angina affectio est gutturis vicinarumque partium respirationem, vel deglutitionem impediens, modo solidorum, modo liquorum, ulla sine labe Asperæ arteriæ vel pectoris. *Anginæ definitio.*

Art. 400. Dividitur in *spuriam*, & *veram*. Angina *spuria* quæ ordinario sine febre ingruit, evenit: quando materia quædam pituitosa ad Pharyngem, vel ad glandulas laryngi circumpositas descendit, vel quando colli vertebra quædam luxatur, adeo ut ab ejus pressione, nec per trachæam libere respirare, nec per œsophagum alimenta deglutire liceat. *Eadem in veram & spuriam dividitur.*

Art. 401. Angina vera ea est quæ ex insigni inflammatione musculorum Laryngis vel Pharyngis carniumque vicinarum oritur, & cum vehementi febre sociatur. Hæc vero in quatuor itidem subdividitur species habito respectu partium, quas impetit; nam si interiores tantum Laryngis musculi inflammantur, dicitur *Cynanche*; si musculi externi *Paracynanche*; si vero *Veræ anginæ subdivisio.*

inflammentur musculi interni Pharyngis *Synanche* vocatur; si externi *Parasynanche*.

Angina vera causa interior. *Art.* 402. Harum quatuor specierum interior causa eadem quidem est, ac quæ aliarum omnium inflammationum quamlibet corporis partem corripientium, videlicet sanguinis effervescentia, qui a carotidibus vehementer, & ingenti copia refluus mirifice has ipsas partes distendit, & nonnullis dilaniatis fibrillis extravasatus impedimentum facit subsequenti, ne per easdem venas ad cor pervenire possit; quare noviter superveniente ibidem loci sanguine, partes illæ in tumorem crescere coguntur, donec extravasatus dissipetur, vel a præterfluente in vasa iterum rapiatur, vel fermentando putrescat, quod ubi contigerit tumore disrupto pus effluens, per os emanat vel in aspersam arteriam descendit, ni reclinato capite cito expuatur.

Causa ejusdem externa. *Art.* 403. Inter externas causas recensentur: aeris summum frigus, præsertim corpori valde calefacto superveniens, potus algidi, prava Constitutio aeris, tempestatum anomaliæ, videlicet: ut quando modo calor, modo frigus eadem die se se alternative excipiunt; insolatio cum capite nudato, ingentes vocis conatus cum exclamatione, similiaque.

Quaod spuriæ Anginæ causas, jam satis meminimus ubi partitionem hujus morbi in spurium & verum dedimus, quare necessarium nobis non videtur, eadem in re diutius immorari.

Angina Diagnos. *Art.* 404. Symptomata, quæ prosequuntur Anginam, adeo eam compertam reddunt, ut irrite tempus absumeremus fusius clariusque ejus diagnosin perscribendi. *Vera* autem a *spuria* discernitur, quia illa semper cum febre conjungitur, in quæ etiam major deglutiendi, aut re-

spi-

ſpirandi difficultas adeſt, dolor locum affectum exercet; & rubor denique interdum foris apparet. Quæ a cujuſdam vertebræ luxatione producitur facilius ceteris cognoſcitur. Si inflammatio partes externas Pharyngis, vel Laryngis occupat, deglutionis reſpirationiſque difficultas major eſt, ac ubi internas partes tenet; hoc itidem caſu dolor profundior eſt, & inflammatio non raro ad externas uſque partes circa collum ſe ſe manifeſtat.

Art. 405. Inevitabilis neceſſitas reſpirationis, & alimentorum ſatis evincit Anginam ex periculoſiſſimis morbis eſſe, quia vetando, ne utrumque præſtari poſſit, neceſſario ſequitur ex defectu reſpirationis ſanguinis circulationem inhiberi, unde eodem in pulmonibus accumulato ſuffocatio iminet vel ex alimentorum defectu, quibus corporis partes nutriantur, & ſpirituum animalium jugis abſumptio reparetur, mortem fores pulſare; quin poſſibile ſit ut alio modo vitari poſſit. Angina ex vertebrarum luxatione ferme ſemper lethalis eſt; aliæ vero ejus ſpecies plus minuſve periculoſæ ratione magnitudinis, & gravitatis ſymptomatum, quibus ſociantur. *Prognoſis.*

Art. 406. Curatur hic morbus eadem omnino ratione, qua reliquæ omnes inflammationes; videlicet revellendo, & derivando ſanguinem in faucium aliarumque vicinarum partium muſculis accumulatum; quod ope reiteratæ phlebotomiæ ad brachia, pedes, imo ad ipſas jugulares inſtitutæ obtineri poteſt. Quia vero periculum iminet, ne æger repente ſuffocetur; maxime ubi inflammatio latior eſt, & vehementior; ideo ſanguinis effuſio timenda nequaquam eſt, ſed affatim jubenda, adeo ut tempore 24. horarum quinque vel ſex vices uſque venam ſe- *Curatio.*

care liceat. Insistente morbo hyrundines utiliter hinc inde circa collum applicari possunt, maxime vero in ejus parte anteriore, cujus effectus quandoque mirabilia præstat, ut etiam cucurbitæ ad cervicem, & infra mentum scarificatæ. Venarum *Raninarum* seu *Ranularum* sub lingua apertio tanti non videtur momenti; ideo præteriri potest. Neque hyrudines aut cucurbitæ scarificatæ usurpandæ sunt quin prius vena brachii, vel pedis, vel Jugularis quater vel quinquies secetur. Post singulam Phlebotomiam clyster injicietur valide purgans, ut inde mobilior pars noxiæ materiæ ad inferiora solicitetur, cujus sequenti rationem concinnari poterunt formulæ.

Clyster. ℞. *Fol. Malv. mercurial. Betæ. Parietar. ana man.* j. *sem. Anis. Fœnicul. ana* ʒij. *Hordei, Furfur. ana man. sem. flor. Camomill. Melilot. an. pug.* j. *senn. oriental. semin. Cartham. Polypod. Quercin. ana unc. sem. coq. in suf. aq. quantitate per aliquot hor. Colat. lib.* j. *dissol. Diaphœnic. Diaprun. solut. ana* ʒvj. *Mellis mercurial. unc.* ij. *f. Clyster una hora a phlebotomia injiciendus, & eadem die, vel postridie si opus repetendus.*

Ceterum a primis usque morbi diebus exhibentur ægro emulsiones, ut inde sanguinis ardor temperetur, ejusque vehementior motus cohibeatur, quibus utiliter adduntur narcotica ad dolores, & defluxiones inhibendas.

Emulsio. ℞. Amygdal. dulc. excorticat & mundat. N. xij. 4. *Sem. maj unc.* j. *Semin. pap. alb. Lactuc. ana* ʒj. *Contund. in mortar. marmor. sensim affundendo Aq. Ros. pap. rub. ana unc.* iij. *& colatur. adde Syrup. Capill. vener. vel Violar. vel Nenuphar. unc. sem. Syrup. pap. alb.* ʒiij. *vel Laudan. gr.* j. *& f. Emulsio vespere exhibenda.*

Gargarismata, quæ hac occasione usurpari solent,

lent, multum quidem emolumenti non præſtant, quibus vero eorum uſus arridet, ſequentem formulam ex melioribus, & uſitatioribus adjungimus.

Gargariſma. ♃. *Rad. Glycyrrhyz. Cortic. Granat. ana* ℥ij. *Flo. Balauſt. pug.* j. *Uvar. exſiccat.* ℥vj. *Caricar. ping. num.* vj. *vel* vij. *Aq. Hord. q. ſ. ebull. ſimul, & colatur. lib.* j. *diſſolv. Mellis Roſat. Syrup. Capill. vener. unc.* j., *& ſit ad uſum gargariſmatis.*

Vel ſequens etiam uſupari poteſt.

Aliud. ♃. *Rad. Mal. Alth. ana unc.* ij. *Semin. Lini Fœnugræc. ana* ℥ij. *Uvar. exſiccat. man. ſem. Flor. Camomill. Melilot. ana pug.* j. *Aq. Hord q. ſ. coq. ſimul, & in colat. lib.* j. *diſſolve ſyrup. Roſ. exſiccat. unc.* j.

Lohoch. Ad temperandam humorum acredinem partes inflammatas irritantium, ſequens Lohoch utiliter uſurpatur.

♃. *Mucilag. ſemin. Pſill. Cydonior. Aq. roſar. extract. unc.* iv. *ſyrup. Violat. unc.* ij. *m. f. Looch cujus nonnulla cochlearia ſubinde ægro porrigantur, ut intra os detineat; liquefactum ſenſim deglutiat.*

Potio purgans. Evacuatis ſufficienter per crebras phlebotomias vaſibus purgandus æger eſt pharmaco ſequenti.

♃. *Sennæ unc. ſem. Pulp. Caſſ. unc.* ij. *Cryſtal. miner.* ℥ij. *Roſ. pallid. pug. ſem. infund. frigid. in Aq. font. tribus cyath. per noctem, mane ſequent. colat. cyathus dabitur hauriendus hora ſexta, alter cyathus dabitur hora octava, tertius demum hora undecima; ſed in primo cyatho tantum diſſolvetur ſyrup. de cichor. cum Rhabarb. unc.* j.

Inſiſtente morbi gravitate etiam poſt reiteratas phlebotomias, quibus non obſtantibus inflammatio æque valida perennet, & ſuffocationis periculum impendeat purgantia omni dubitatione procul fortiora reddi debent, atque e-

tiam D. RIVIERE exemplo emeticum propinari, quod tamen nisi præmissa consultatione decerni nequit.

Regimen. *Art.* 407. Quoniam in hoc morbo febris vehemens ut plurimum occurrit, ideo jure carnium tantummodo solidis quibuslibet interdictis alimentis nutriendus est æger, maxime vero ubi deglutiendi difficultate laboret. Quodsi inflammatio ita oesophagum teneat, ut nec liquida alimenta descendere possint opitulandus est æger, imissa per os cannula recurva ultra locum inflammatum sensim intrusa, per quam syringa nutrientes liquores in oesophagum injici debent. Hoc itidem casu commode nutrientes clysteres usurpantur, quorum ad exemplum sequentem tradimus formulam.

Clyster nutriens. ℞. *Juris carn.* ℔ *sem. vitel. ovor. num.* ij. *sacchar. unc.* j. *m. f. clyster si opus bis terve per diem reiterandus.*

Quid præstandum ubi inflammatio ad suppurationem vergat. *Art.* 408. Omnia quæ hucusque proposuimus remedia deliniendæ inflammationi inserviunt, dissolvendoque tumori; verumtamen si morbus adeo pervicax est, ut necesse sit ad suppurationem devenire, promovenda eadem erit cataplasmate emolliente aliquo, cujusmodi:

Cataplasma emolliens. ℞. *Fol. jusquiam. vel semperviv. q. s. coq. sub ciner. calid. intra cartham humentem revoluta. Post coctionem pulpa educatur; item* ℞. *Rad. bryon. lil. alb. ana unc. sem. fol. pariet. man.* j. *flor. camomæl. man. sem. coq. & contund., quibus per setaceum trajectis pulpa itidem educatur. Mixtis utrisque pulpis adde farin. semin. lini, fœnugræc. ana unc.* ij. *butyr. ol. camomill. parum. F. cataplam. quod collo applicabis, & quotidie bis renovabis.*

Quid suppurato tumore præstandum. *Artic.* 409. Iisdem adhibitis vegetabilibus, cum additione folior. malvæ, & altheæ juvabit collum tepide fovere, antequam cataplasma applicetur.

Ab-

Absoluta suppuratione tumor aperiendus est, vel compressu digitorum, vel phlebotomo, vel cingula, vel demum *Pharyngotomo* quod instrumentum est, noviter inventum instar cannulæ phlebotomum occultantis, cujus cuspis occulti elateris ope, usque ad certam mensuram vibratur. Hujus instrumenti ope periculum abest alias partes simul rescindendi, sed tumor tantum impetitur. Si vero nudo phlebotomo operatio instituitur, acies ejus tandiu digitis occultanda donec ad gulam perventum est. Hic eadem parum producta tumor vulneratur, simulque ægri caput reclinando datur opera, ut effluens materia in os, non vero in fauces descendat. Quod si tumor adeo profunde in gulam lateat ut, nec videri, nec digitis tangi possit ad instrumentum confugiendum est quod *speculum oris* vocatur. Hujus ope dilatato ore, & lingua depressa cultri acies parum recurva ingeri debet quæ capulo ligneo adeo longo munienda est, ut ad locum usque tumoris pertingat, eademque demum tumor vulneratur.

Aperto inde tumore, atque pure emanante, decoctione quadam detersiva, atque adstringente ulcus abluitur; cui scopo non contemnendam opem sequens exhibet.

Gargarisma abstergens.

℞. *Hord. integ. man.* j. *rad. glycyrrhiz. unc. sem. uvar. exsiccat. rof. rubr. ana man. sem. aq. font. lib.* j. *coq. ad consumpt. quartæ part. in colat. dissolv. mel. rosat. unc. sem. pro gargarism.*

Si ulcus sponte sua pedetentim non consolidatur, collyrio *Lanfranci* subinde tangendum.

Interea perficitur curatio ægrum subinde purgando aut ejus alvum clysteribus laxam detinendo, in primis autem cavendo, ne solidis succosisque alimentis utatur; metu ne eadem materiam augendæ defluxioni aptam ministrent.

Ce-

Ceterum antequam finem faciam monendum eſt; fieri non poſſe, ſecus ac veteribus viſum eſt, ut pus ab aperto anginoſo tumore dimanans pectoris empyema generet, cum in ejus cavitatem deſcendere nequeat, quod ſane neceſſarium eſſet ad empyema producendum. Nam omne quod evenire poteſt illud eſt, ut per aſperam arteriam ad pulmones abeat, in quibus ſenſim depluendo, ulcus faceret vel affatim deſcendendo ſuffocationis periculum induceret. Ut plurimum tamen neutrum evenire obſervatur, quia ſi aliquid puris deſcendit id niſi per oeſophagum fit, atque inde in ſtomachum, ubi nullum quidem, vel ſaltem non adeo inſigne periculum impendet.

Farrago ſententiarum.

Sydenhami methodus. *Art.* 410. Angina temperamento ſanguineo præditos, & *rufos* præ reliquis invadit; *venæſectio* copioſa in brachio celebranda eſt, mox in ranula; deinde tangantur partes inflammatæ *melle roſaceo, ſpiritu ſulphur.* ad ſummum acorem permiſto, & *veſicatorium* nuchæ admoveatur. Si morbus ſit diuturnior, *venæſectio* repeti debet & *enemata* injici, item *catharticum* propinari &c. *Sydenham.*

Remedia ad ſalivam movendam. *Art.* 411. ℞. *ol. amygdal. dulc. flor. ſulphur. ana* ℥j. *chryſtall. tartar. ſacchar. cand. ana* ʒij. *ol. n. m.* gut. iv. *ſyr. de alth.* ℥iij. *m. f.* linctus. Atque hunc præ aliis omnibus laudat Dr. *Harris* in obſerv. morb. grav. Ad ſalivam copioſiſſime educendam nihil pulv. ſequent. (inquit author) præſtantius efficaciuſve novi. ℞. *chryſtal. mineral. ſacchar. chryſtal. ana p. æ. miſce*, teneatur in ore ℈j. donec ſaliva abundaverit, tunc expuatur; horæ poſt quadrantem vel dimidium repetatur, mi-

rum

rum quantum hinc salivæ, &c. *Musgrave*. *Succus corticis viridis nucum* cum melle depuratus commendatur a *Galeno*.

Art. 412. „ Venæsectionem in *ranula* omnes „ fere extollunt, quidam in *vena jugulari*; phlebotomia vero in *pede* alterutris præferri debet „ ob majorem revulsionem. Angina nulla tuta „ est, quanto minus tumoris, tanto magis pe-„ riculi; securissima est, si rubor maxime fo-„ ras vertatur. Interne *antipleuritica* fere omnia „ prosunt, privatim *oleum lini* nunquam satis „ laudandum, Externe *gargarisma anginosum*, „ *gargarisma ad pituitam*, *cataplasma anginosum*, *vapor ad anginam*, &c. Fulleri. Item gargarisma sequens in angina notha, ℞. *auric. judaic.* ℥iss. *rad. pyrethr.* ℥ij. *herb. hyssop. p.* ij. *ficuum ping. scis.* N. iv. *coq. in aq. font. q. s. ad* ℔j. *sub finem addendo mellis* ℥iv. *colatur. add. pulv. subtiliss. alb. græc.* ℈ij. *sp. vin. rectificat.* ℥ij. *sp. cochlear.* ℥ss. *misce*.

Remedia varia.

Art. 413. Angina vera utplurimum a sola inflammatione musculorum pharyngis vel laryngis non generatur, sed sæpissime exoriri videtur a tumefactione, & inflammatione glandularum, circa eadem organa jacentium quæque musculis insternuntur.

Vera angina caussa frequentior.

Quando plane confirmatus morbus est, & tumor una cum inflammatione interius magis ac exterius prominet, nec non respiratio difficillima vel deglutitio admodum impedita videtur, topicis remediis tantum non est immorandum, sed frequentes, & copiosæ sanguinis emissiones jubendæ statim, quæ si nihil proficiant, confugiendum est ad operationem *Bronchotomiam* vel *Laryngotomiam* dictam, quæ, utut periculosa vulgo reputetur, morbo ipso tamen minus habet discriminis. Atque revera si pauci inveniuntur Chirurghi, qui eamdem calleant, multoque minus

nus qui prospere persolvisse affirment, tota hujus operationis inefficacia ab hoc uno proficisci videtur: quod nimis sero, & circa extrema versante ægro suscipitur, atque per consequens tempore quo temerarium est, ac satis imprudens eam usurpare. Contra si pulmones nondum inflammati sint ægrumque facile operationem hanc perferre posse judicetur, tuto jubebitur, maxime quia innumera experimenta evincunt tracheæ vulnera nec insanabilia esse nec lethalia.

Bronchotomiæ descriptio. *Art.* 414. Ad Bronchotomiam igitur ordinatim, & recte instituendam, lecto vel scamno æger assideat, posterius capite reclinato ad pectus famuli, ejus manus cum corpore possidentis. Sic locato ægro chirurgus situm commodiorem minusque periculosum ad persolvendam operationem eligat: videlicet ad pollicem infra Laryngem intra tertium, & quartum tracheæ annulum cavendo, ne eos annulos lædat. His omnibus ritè prænotatis integumenta primo transversim digitis comprehenduntur; tum secundum longitudinem secantur, & scalpello dexterius quo fieri potest musculi Sterno-Tyrodei, & Sterno-Hyoidei separari debent.

Detecta aspera arteria carnea membrana cartilagineos annulos conjungens lanceola transversim inciditur, vitatis nervis recurrentibus necessarios spiritus ad munera organi vocis vehentibus, quæ iisdem nervis resectis desineret. Cavendum item est, ne profunde nimis adigatur instrumentum, metu oppositum latus tracheæ vulnerandi.

Post incisionem non educitur lanceola, quin stylus immittatur ad parandam viam introductioni cannulæ, quæ brevis, recurva, & habendæ incisioni proportionalis antea comparatur.

Ea-

Eadem brevis adhibetur ne immissa oppositum tracheæ latus attingat, indeque tussim continuam faciat, & duobus foraminulis instruitur, ut trajecto filo firmata in situ suo circa collum adligari possit. Quidam consulunt ad modificandum aeris per hanc cannulam ingressum, ut eadem gosypio vel velo obtegatur, alii contra irritas has præcautiones habent, & nihil omnino adjiciunt. *Cl. Boudon* autem cum *D. de Garrengeot* consentit relinquendam parumper esse cannulam omnino detectam, habita antea cautione cubiculi fenestras clausas detinendi, & aerem igne admisso tepefaciendi, postea vero eamdem simplici velo obtegere satis habent, ut aer libere ingredi ac egredi possit. Velum emplastro perforato desuper imposito, & turunda ejusdem figuræ firmatur, atque hæc omnia obductis fasciis, quin cannulæ apertura numquam obtegatur, in situ suo detinentur, ne ad capitis, & colli motum laxentur, aut decidant. Triduo ferme elapso cum aer per consuetas vias sibi transitum expedierit, atque respiratione satis libere cedente, totus apparatus cum cannula adimitur, curationisque intentio ad consolidandum tracheæ vulnus convertitur, quod ex lege artis, eo ipso modo expeditur, quo reliqua vulnera tractantur, & sanescunt.

PLEURITIS & PERIPNEUMONIA vera & notha.

Æginetæ sententia.

Art. 415. Dolor latericius, quem Græcè *pleuritim* dicunt, proprie membranæ costas succingentis inflammatio est. Comitatur hunc anhelitus difficultas, tussis, febris continua, dolor ad claviculam usque, & præcordia pertingens; discerni autem pleuritis ab inflammatione jecinoris, *Pleuritis quid sit?*

ris,

ris, in qua omnes hæ notæ apparent, hisce indiciis potest.

Pleuritidis veræ diagnosis. *Art.* 416. Pleuriticos quidem dolor punctilis infestat, & tussis quandoque arida, quod morbum crudum portendit: quandoque cum sputi rejectatione, quod humorem, qui morbum creat, innuit. Rubrum etenim & sanguinolentum excreatur, sanguine naturæ modum exuperante. Flavum vero & in pallorem languescens, cum flava bilis superat. Quemadmodum rursus albicans, & spumosum si pituita. In melancholico vero humore nigrius rejicitur. Pulsus durus ac serræ modo denticulatus subest.

Ejus distinctio ab hepatitide. *Art.* 417. In jecoraria vero inflammatione, nullus dolor compungens neque durus adeo pulsus sentitur, sed arida tussis, qua nihil expuitur, usque molestat, facies pallidior apparet.

Pleuritides nothæ seu spuriæ. *Art.* 418. Quæ vero laterum compunctiones ex musculorum externorum inflammatione oriuntur, hæ quidem nothæ pleuritides appellantur, in quibus absque tussi, absque excreationibus, cum molliore pulsu, locus affectus manu attrectatus dolore afficitur, & nisi suppuratus tumor discutiatur post coctionem ad exteriora prorumpit; quum pleuritis ex inflammatione membranulæ costas succingentis creata eo non feratur, illa vero nisi vel foras, vel intus a purulenta colluvie expurgetur, multo citius in vomicam peripneumoniacam transit.

Curatio pleuritidis. *Art.* 419. Si igitur ad claviculam usque dolor protenditur, vena incidenda est; sin vero ad præcordia usque perveniat, purgandum. Reclamantibus autem viribus imbecillis neutrum faciendum; sed clysteriis acrioribus utendum. Quodsi dolor mediocris affuerit, pro clysteribus aqua mulsa, & ptisanæ aut chondri cremor propinentur. Si dolores vehementer affligunt post eva-

evacuationem demulcendi sunt lanæ calentis vel sulphuratæ impositu, aut fomentis ex millio, & furfuribus in sacculo adhibitis, aut calida aqua, seu oleo vescicula excepto. Circa quartum diem sorbitionibus ægrum nutrito adjecto melle perexiguo. Septem autem diebus elapsis, linctus ex amygdalis, semineque urticæ melle contritis offeretur, aut eclegma ex butyro melleque decoctum. Injiciendum insuper eo morbo oppressis per inferna medicamentum ex butyro & terebinthina. Sed efficacior linctus est, qui ex fructu piceæ: item ex amygdali amari, seminis lini, nuclei pinei, & amyli æquilibrio cum melle conficitur. Quos autem vigiliæ torquent, eos medicamentum e papaverum capitibus delingere competit. Post decimum vero & quartum diem si malum non cesserit cucurbitulæ ipsis imponendæ, ægri in extenuatoria victus ratione servandi. Deinde ubi morbus remittitur in lavacrum ducendi, frigidum vitandum. Victus solidior adhibendus.

Aretæi sententia.

Art. 420. Hunc affectum comitatur dolor acutus ad jugula ascendens, ignis acer. Decubitus in latus inflammatum facilis est: in sua enim ipsius sede collocatur: in oppositam vero partem decubitus dolorem concitat: a pondere enim & phlegmone, & suspensione in omnes membranæ continuas partes ad humeros usque, jugula, quibusdam & in terga, & in dorsi scapulas dolor protenditur. Pleuritida veteres Græci appellarunt, Latini morbum lateris vel costarum. *Signa pleuritidis.*

Eam vero sequitur difficilis spiritus, vigilia, ciborum fastidium, malarum rubor hilaris, tussis

ſis arida, ſputa ægre exeuntia pituitoſa, aut bilioſa, aut abunde cruenta, aut ſubflava, & hæc ordinem non ſervantia, ſed alias alia advenientia, & recedentia. Ex omnibus vero pejus eſt ſi cruentum ſputum deſiit. Delirant autem & nonnunquam comate occupantur: atque in ſoporem gravem declinantes mentis alienationem patiuntur.

Progno-ſis mala. *Art.* 421. Itaque ſi in malum vertatur morbus omnibus in pejus vergentibus intra ſeptimum iſti in ſyncopem lapſi conſumuntur. At ſi in ſecunda hebdomada educi ſputa incipiant, & mala augeſcant, decimoquarto die pereunt. Nonnumquam ſane intra hujus temporis ſpatium omnium in pulmonem tranſitus eſt. Trahit enim in ſe ipſum pulmo rarus, & calidus, & ad proxima trahenda ſeſe commovens; tuncque morbi tranſpoſitione homo repente ſtrangulatur. Ceterum ſi diem hunc ægrotus tranſierit; etque intra viceſimum non moriatur in empycum, hoc eſt pectore ſuppuratus evadit. Hæc profecto ſi morbus ad perniciem tendat, eveniunt.

Progno-ſis bona. *Art.* 422. At ſi in melius vergat ſanguinis e naribus larga profuſio cum impetu ſuccedit; tuncque repente morbus diſcutitur; quandoquidem & ſomnus oritur, & pituitæ rejectio advenit, poſtea bilioſorum tenuium, deinde multo tenuiorum, rurſum vero cruentorum, craſſorum, carnis formam referentium. Quodſi poſt cruenta iterum exeat bilis, poſt ipſam pituita, ſecura eſt hæc in priſtinum reſtitutio. Hæc ſi tertio die incipiunt, & facile extuſſiunt, lævia, æqualia, humida, rotunda, ſeptimo die liberantur, quando & venter bilioſa exturbat, ſpiratio conquieſcit, mens ad ſe reddit, febres decreſcunt, ciborum appetentes ſunt. Si ſecunda vero hebdo-

domada hæc inchoantur, decimo quarto die sanantur: sin minus in empyema h. e. pectoris suppurationem morbus vertitur. Id vero rigores indicant, doloresque punctorii: sedere cupiunt, spiritus deterius ducitur: tunc metus major est, ne pulmo pus multum subito attrahens hominem suffocet, qui prima & majora mala evaserat.

Verum enim vero si inter costas morbus irrepserit, easque disjunxerit, & phlegmonis fastidium extrorsum deprompserit, aut versus intestina eruperit plerumque homo ad sanitatem redit.

Art. 423. Inter anni tempora hyems maxime hujus morbi ferax est: secundo autumnus, ver minus, nisi interdum frigidum sit; æstas vero minima.

Quo anni tempore frequentior.

Quantum ad ætates attinet in primis senes pleuritidi sunt obnoxii, qui etiam sæpius quam alii liberantur, neque enim magnus phlegmon in arido corpore excitari potest, neque in pulmonem transitus facilis est, quippe qui est in senecta, quam in alia ætate frigidior. Juvenes autem, & viri haud ita frequenter in hunc morbum incidunt, verum neque admodum frequenter evadunt, nam neque ab exigua causa, neque ob exiguum phlegmonem ægrotant. In magnis autem majus inest periculum, & pueri minime pleuritide corripiuntur, minusque ab ea periclitantur.

Qui facilius corripiantur.

Art. 424. Si pulmo male habet pusillam quidem ob causam difficulter spirat, male vitam agit, mors tardissime advenit, si quis medellam adhibet. Si vitium insigne fuerit quale est phlegmon, strangulatus sequitur, vocis spiritusque sublatio, subitanea pernicies iminet. Hæc est ægritudo ea quam Græci Peripneumoniam, La-

Peripneumoniæ diagnosis.

tini Pulmoniam dicunt: vomica ſcilicet pulmonis. Eam febris acuta comitatur, doloris carentia, ſi ſolus pulmo inflammatur. At ſi quæpiam ex membranis eum ambientibus, & ad pectus deligantibus inflammatur: adeſt tunc dolor, ſpiritus eſt depravatus, calidus: ſedere volunt laborantes ad ſpiritum facilius ducendum, rubeſcit facies, ſed malæ præcipuè, oculorum album nitidiſſimum ac pingue eſt: ſummæ nares ſcimæ ſunt, venæ temporum, vel etiam colli elatæ apparent, cibos averſantur: calor in exterioribus membris modicus, humectuſque eſt in interioribus ingens, aridus. Inde fit ſpiritus calidus, ſitis, linguæ ſiccitas, frigidi aeris aviditas; mentis ambiguitas ſupervenit: tuſſis adeſt plerumque ſicca: ſin aliquod ſputum movet perinde eſt ac in pleuritide ſed cruentum, floreo colore valde perfuſum eſt, & aliis perniciofius eſt.

Progno-ſis mala. *Art.* 425. Quodſi mortifera magis ægritudo redditur, vigiliæ augeſcunt, ſomnus paucus, torpidus, haud abſimilis ſopori, quia Græcis *Coma* nominatur: cogitationes vanæ inſurgunt: mens alienatur, non raro ecſtaſi corripiuntur: præſentia mala ignorant, nam eos ſi de morbo interroges, nihil periculi inſtare reſpondent, eorum algent extrema: liveſcunt ungues, curvanturque, motus arteriarum parvi, frequentiſſimique ſunt, & deficientes, quando ipſis proxima mors eſt; nam ſeptimo die plerumque moriuntur.

Progno-ſis bona. *Art.* 426. Porro ſi nonnumquam morbus ſubſiſtit, & aliquantulum in melius vergit, vehemens de naribus ſanguinis eruptio conſequitur; aut per alvum cum perturbatione multorum bilioſorum, & ſpumantium ſuccorum dejectio multa liquidior, & facilis; nonnumquam vero, &

per

per urinarias semitas evocantur. Ceterum quibuscumque hæc simul eveniunt, hi quamprimum ægritudine sublevantur.

Suppuratione accedente.

Art. 427. Quidam utique sunt, quibus magna vis puris in pulmone procreatur: aut ex pleuritide fit permutatio; si majus bonum suboritur. Quodsi ad intestina aut vesicam ex lateris morbo sanies derivata sit, tunc quidem continuo a pulmonis vomica liberantur; sed diuturnum ulcus, quod demum sanescit, in latere patiuntur. Quibus vero in pulmonem pus irrumpit: nonnulli ob subitaneam, & copiosam effusionem, & rejiciendi infirmitatem suffocantur; At quicumque suffocationis periculum subterfugiunt, ii longo tempore pulmonis ulcere cruciantur, & in phthisin prolabuntur.

Curatio.

Art. 428. Pulmonariæ seu peripneumoniæ curatio a sectione venæ in cubito incipienda est, sive utrinque a dextra videlicet ac leva manu, non tamen usque ad animi deliquium. Si paullum respiraverit æger, tunc supprimendus sanguis est, ac denuo postea mittendus. Opus est autem humores, & flatus post venæ sectionem deorsum versus trahere nitro, melle, ruta, resina terebinthi liquidam sedem obtinendo: sed missionis sanguinis loco, si quod majus impedimentum sit, acrem succum per clysterem in sedem immittito: puta salem cum nitro, aut terebinthi resinam cum melle. Item cucurbitæ sylvestris carnes interiores in aqua excoctæ conveniunt. Præterea inanes cucurbitulæ ægregie faciunt, si ægri dorso præcordiisque ubique adhibeantur; nam si ad quamcumque partem corporis humores distrahantur, & spiritus ad extima evocentur, quibus pulmo opprimitur aliquod mali solamen invenies. Ejusmodi item medicamenta præbeantur, quæ humores ad transpiran-

dum attenuent lubricos fluxilesque ad extrudendum efficiant. Propinetur quidem celeriter juvandi causa nitrum cum hyssopi decocto, aut muria cum aceto, & melle, aut sinapi humidum cum mulsa: singulis autem iridis radicem, & piper inspergere auso bene cedit: item hæc arida cribrato, & cum melle exhibeto. Thorax autem lanis oleo imbutis cum nitro, aut sale contegatur. Optima inunctio est ea quæ ex adarce fit. Sinapi etiam aridum, & cum cerato humido prodest. Atque in summa humores, & calor, & spiritus foras educendi sunt. Huic rei opitulantur acrium olfactus atque illitio, & extremorum deligatio. Hæc facienti nisi morbus cedat de hominis valetudine actum est.

Cœlii Aureliani sententia.

Peripneumoniæ vera descriptio.

Art. 429. Peripneumoniam (uti plerosque alios morbos) optime descripsit *Cœlius Aurelianus*. Adest, inquit, febris acuta, gravedo thoracis, & sensus laborantium quadam difficultate laterum atque mediarum mammarum, decubitus supinus atque paulò erectior, supra latus jacendi difficultas, vultus rubor tanquam florens, oculorum splendor; sequitur anhelitus celeritas, tussicula sanguinolenta ac biliosa vel fumosa jactans sputa, pleuriticorum fulviora vel spumosiora, spiratio difficilis, desiderium frigidi atque plurimi aeris haustu rapiendi, frigidi potus appetitio, os siccum, lingua aspera, ac primum subalbida, dehinc rubra, pulsus vehemens & celer, & anxietas, jactatio, vigiliæ juges, ingemens atque turbulentus somnus; aucto morbo spiritus difficillimè trahitur cum sibilatu; sequitur colli ac vultus inflatio, oculorum immobilitas, visus nubilo-

sus,

sus, mentis alienatio, articulorum frigidus torpor cum livore, lingua crassior, sudor superiorum partium, pulsus latens aut formicans; postremo pectoris resonans stridor. (En accurata morbi descriptio, *erubescant* moderni.) „ In „ Peripneumonia hæc adsunt (*inquit* Hippocra- „ tes *de humoribus*) febris vehemens, crebra & „ calida respiratio, anxietudo, virium prostra- „ tio, & corporis jactatio, doloresque ad omopla- „ tam, claviculam & mammas, pondusque in „ pectore, atque delirium. *Hippocratis descriptio peripneumoniæ.*

Art. 430. Adhibenda est *phlebotomia*; potui ordinario danda est *aqua calida*, item cibus sorbilis & tenuis; conducunt eclegmata ex *lini semine*, *fænugr. nucelis & melle decoct. & ovorum vitellis* confect. *Curatio.*

Sydenhami sententia.

Art. 431. Temperamento sanguineo præditos præ reliquis Pleuritis aggreditur cum rigore, horrore, deinde calore, siti, &c. Elapsis paucis horis (licet aliquando multo serius) æger vehementi dolore punctorio in latere circa costas corripitur; qui nunc versus omoplatas, nunc versus spinam, nunc ex adverso versus anteriora pectoris se propagat; tussi etiam crebra affligitur: in initio materia pauca, & tenuis ejicitur sanguineis intermista particulis, postea copiosior & magis concocta sanguine etiam permista; aliquando ad expectorationem copiosiorem non pervenit; febris pari passu incedit cum tussi, sputo sanguinis, dolore; & pro ratione liberioris expectorationis sensim imminuitur; alvus nunc nimis adstricta, nunc soluta. *Pleuritidis descriptio.*

Medendi methodus. *Art.* 432. Est ubi *venæsectione* omissa æger ne tussire quidem valeat, sed immani dyspnœa laborans suffocatur; interdum ad apostema res redit, quod *empyema* dicitur; per accidens (viz. ex usu medicamentorum calidorum) aliis febribus Pleuritis interdum supervenit ex precipitatione materiæ febrilis in Pleuram. *Venæsectio* repetenda est ad 3iam 4tamve vicem, si sit indicatio; in adultis vix sanatur minori quam 40. circiter unciarum sanguinis impensa. Æger e lecto quotidie eximatur ad horas aliquot, prout vires suaserint, quod multum confert ad curationem.

Peripneumoniæ nothæ descriptio. *Art.* 433. Peripneumoniæ nothæ insultu primo nunc incalescit nunc friget æger, ex motu quolibet vertiginosus est, rubent & inflammantur genæ oculique, tussit, & inter tussiendum admodum dolet caput, ad vomitum proclivis est, urina turbida est, & intense rubet, sanguis pleuriticorum similis; adest anhelatio, & dolor totius thoracis, & pulmonum coarctatio. Ab *asthmate sicco* plane distinguitur, quod in isto nusquam comparent febris indicia, in hac manifesto se produnt, licet minora longe & magis obscura, quam *in Peripneumonia vera*.

Cura. *Art.* 434. Curatio *venæsectione*, *remediis pectoralibus & diæta refrigerante* perficitur. „ *Mistura expectorans Fulleri, vel syr. e Peto Batean.*
„ hic quandoque locum habere potest.

Boerhaavii sententia.

Differentia inter veram & spuriam Pleuritim. *Art.* 435. Pleuritis aggreditur nullam non partem integumentorum interni thoracis, pleuræ, scilicet vel mediastini; ideoque dolor punctorius in quamlibet partem thoracis incidere potest, sed frequentius latera obsidere solet, atque hoc febre conjuncta *veram* efficit *pleuritim*; si ve-

si verò altiùs intercostales musculi & his superiora laborant, *spuria* appellatur.

Art. 436. In Pleuritide vera sanguis mitti debet copiose quam mature per magnum vulnus, repetique debet pro ratione symptomatum urgentium; crusta alba absens *sanguinem mittendi finem* definit. Externe conveniunt *fotus*, *linimenta*, &c. Interne *diluentia*, *resolventia*, *refrigerantia*, dolorem *lenientia*; omnia calide & magna copia sorbenda sunt. Interdum locus inflammatus ad *suppurationem* vergit, quod scitur ex pertinacia doloris, febris, &c. ultra quartum diem; *abscessum* jam fieri cognoscitur ex horrore sæpe recurrente, remissione doloris, anhelatione, decubitu in unum tantum (i. e. in affectum) latus tolerabili. Rupto abscessu pus stillat in cava pectoris, & incrementum capit ex ulcere depluente, unde *Empyema*, de quo postea. Interdum vero locus affectus evadit *scirrhosus* cum pulmonis & pleuræ adhæsione, unde *asthma* & *tussicula sicca*, malum immedicabile, nisi quod forsan aliquid levaminis a labore & equitatione multa possit recipere. Interdum loca inflammata *gangrænescunt*, unde mors cita subsequitur; *gangrænam* incœptam esse scitur ex delirio, livido thoracis colore, sputo subbilioso, doloris sine ratione remissione, &c. *Pleuritidis vera Curatio.*

Art. 437. Peripneumonia est inflammatio pulmonis totius vel unius lobi; prior immedicabilis merito censetur ob magnitudinem morbi, altera medelam quandoque admittit; eodem modo ac iisdem remediis tractanda est ac *Pleuritis*, eundemque ut plurimum habet eventum. Si non resolvatur, *abscessum vomicamve* format intra quatuordecim dies, quod fieri ostenditur ex horripilationibus, doloris remissione, pulsus debilitate, manentibus adhuc dyspnœa, siti, febricula ve- *Peripneumoniæ typus & cura.*

spertina, &c. Exinde sequitur interdum suffocatio ex subita eruptione puris in asperam arteriam; interdum evacuatur ingenti sputo purulento; vel in thoracis cavitatem delabitur, unde *empyema*, *phthisis*, &c. postremo materies purulenta interdum intra pulmonales venulas resorbetur, & cruori miscetur, & in loca quædam alia deponitur, in hepar, lienem, cerebrum, &c. hinc fiunt *abscessus peripneumonici* ad aures, crura, vel hypochondria, ubi si cito evanescant, redeunte peripneumonia, casus est lethalis.

Peripneumoniæ nothæ typus. *Art.* 438. Peripneumonia notha oriri solet ex pituita lenta in toto sanguine nata, & sensim pulmones inficiente, donec in hunc morbum eat; senes, pituitosi, frigidi, catarrhosi, & gravedine laborantes huic morbo sunt obnoxiores: primò fallaci lenitate opprimit inopinantes, quippe levi fatigatione, debilitate, prostrato fere omni animi motu, anhelitu, oppressione pectoris incipiens, adeo leves motus excitat, ut vix caloris, febrisve indicia moneant periculi: mox vagæ horripilationes, leviusculi febris insultus adsunt; unde subito crescente anhelitu, & debilitate, mors; cujus in urina & pulsu vix ullum adfuit præsagium.

Curatio. *Art.* 439. Curatur *sanguinis missione*, *clysmatibus*, *victu tenui*, *diluentibus*, *abstergentibus*, *& lenissime aperientibus* assiduo propinatis. „Breviter & raptim hæc pauca decerpsi, sed de „his affectibus præ omnibus quotcunque scriptoribus consulendus est auctor præclarissimus, & ad illius mentem consequendam unice incumbendum est, & summa impendenda „est opera.

Ettmul-

Ettmulleri sententia.

Art. 440. Obſervatum ſemper fuit in *Pleuritide* correptis, quod non ſolum Pleura, ſed pulmonis medietas ſimul in eodem latere inflammata fuerit. Interdum quoque cum pulmone inflammatur mediaſtinum, duplicatura nempe Pleuræ ſub ſterno, quæ nomine caret. *Pleuritis.*

Art. 441. Pleuritis notha eſt dolor lateris punctorius, ſed ſine febre aut tuſſi; ægri ut plurimum in latus oppoſitum potius quam morboſum decumbere, queunt; contrarium obſervatur in *Pleuritide vera*. *Pleuritis notha.*

Art. 442. Si ſtatim intra triduum ſputum cruentum appareat brevem morbum indicat, ſin vero ſerius longum portendit. *Pleuritici* intra 14. dies ſuperne non repurgati *Empyici* fiunt (*inquit* Hippocrates) & tales, ſi in 40. diebus repurgentur a die ruptionis, liberantur, alioquin in *tabem* incidunt; in his affectibus ſputorum potius habenda eſt ratio, quam urinæ; Pleuritis in principio leviter apparens & uſque ad 5tum diem ſic procedens, 6to vero die exacerbata plerumque eſt lethalis. *Prognoſis.*

Art. 443. In Pleuritide *benigna venæſectio* ſi non juvat, non nocet, in *maligna* tamen vix locum habet, ſed ſemper erit nociva. Ex omnibus auxiliis *ſudorifera* primarium obtinent locum, & præ reliquis *antimonium diaphoret.* „ Antimonium diaphoreticum ſumme commendatur in Pleuritide tum vera tum ſpuria: egregie diſcutit humores congeſtos, acorem abſorbet, dolores demulcet, expectorationem promovet, indicationibus fere omnibus ſatisfacit. *Vvedelius.* Antimonium diaphoreticum aeri aliquamdiu expoſitum vim emeticam ac- *Curatio.*

„ qui

„ quirere nemo non novit, ideoque usus tem-
„ pore lavari jubeo. „ Nobilissimum pectorale habemus *in liquiritia & passulis*; saccharata non conveniunt; *papaver Rhœas ejusque flores*, seu optimum specificum, in toto morbi decursu locum habent; omnia calide sunt bibenda; *succus taraxaci seu dentis leonis vel decoctum ejus*, ut & *eryngii*, laudantur, item *cheræfol.* Succus *raphani* recens express. expectorationem mirabiliter promovet. Ad dolorem lateris externe commendatur *stercus gallin. cum ol. cham.* „ ut & sequens
„ cataplasma, ℞. *alb. porri in sartagine cum q. s.*
„ *ol. cham. frixi* ℥ij. *furfur. frument. m.* j. *fæcum vin.*
„ *alb.* ℥iij. vel *q. s. m.* convenit etiam infus. seq.
„ intus sumptum; ℞. *Stercor. equi non castrat.*
„ ℥vj. *vin. alb.* ℔iss. *aq. flor. spin. alb.* ℔ss. *infund.*
„ *clause & calide per hor. dimid. deinde coletur cum*
„ *expressione forti, colatura cum alb. ovor. s. a. cla-*
„ *rificetur, & add. aq. theriacal. stillat.* ℥iv. *syr.*
„ *balsam.* ℥iij. *m.*

Baglivii sententia.

Signum pathognomonicum Pleuritidis.

Art. 444. Durities pulsus est signum fere infallibile omnium Pleuritidum, quamvis reliqua insigna non adsint; durus enim pulsus omnium inflammationum partes nerveas vel membraneas obsidentium est comes indivulsus. „ Pleuritis ve-
„ ra (inquit Chesneau) cognoscenda est impri-
„ mis a pulsu duro. Nonnulli affirmant pulsum
„ esse serratilem, sed ingenue fateor me nun-
„ quam serratilitatem illam deprehendere potuis-
„ se; ideoque parvi pendo tanquam rem fictitiam
„ & imaginariam, contentus duritie pulsus, quæ
„ sufficit ad Pleuritidem dignoscendam. „ Pleuritides frequenter sunt *occultæ*, quia indolentes, unde quandoque errores in praxi; fac itaque ægrum

Pleuritides occultæ.

grum in dextrum vel sinistrum latus decumbat, decumbenti impera, ut fortiter respiret, & tussiat, & tunc pete ab illo, an dolorem aut gravedinem persentiat, quod si affirmet, res manifesta est; hoc modo plures *Pleuritides* deteximus magno ægrotantium commodo.

Art. 445. Omnis prognosis a bona vel mala respiratione maxime petenda est. Perperam agitur cum *Pleuriticis*, qui nihil expuunt, nisi copiose effluant urinæ. Omnes Pleuriticos sanatos vidimus, quibus in interiora auris dolor & exinde suppuratio supervenerunt. Crusta alba non apparens in superficie missi sanguinis est pessimum signum. *Pleuritides recidivantes* omnes fere sunt lethales (*ex Hippocrate.*) *Prognosis.*

Art. 446. Quando in Pleuritide viget indicatio dissolvendi, *camphora* præ reliquis opus absolvit, (præsertim in *Pleuritide epidemica & maligna.*) Si sputum antea suppressum superveniat, & sit flavorubescens nunquam imperato *venæsectionem*; nam post *venæsectionem* sputum denuo supprimetur & æger morietur. Quocunque die, secundo scilicet, aut 4.° 5.to 7mo &c. ante vel post missionem sanguinis spirandi difficultas, & difficultas pariter excreandi sputi pleuritico superveniant: statim duo *vesicantia* tibiis admovenda sunt, juxta illud *Hippocratis*; *in pulmonicis quicunque tumores fiunt ad crura optimi sunt, &c.* Post apposita vesicantia observavi expectorationem statim promoveri, spirandi difficultatem imminui, & alvi fluxum, si adesset, fœliciter sisti, & ægrum sanari. *Regula de venæ sectione, &c.*

Vvillisii sententia.

Art. 447. Opinari decet *Peripneumoniam*, & *Pleuritidem* affectus esse modo singulares & separa- *Horum affectuũ complicatio.*

paratos, modo connatos & primitus coexistentes, & modo invicem successivos aut succedaneos esse. *Peripneumonia* non tantum *Pleuritidi*, sed frequenter etiam *anginæ*, & aliis interdum affectibus succedit.

Pleuritidis eventus. *Art.* 448. De Pleuritico expectatur, vel ut morbus statim solvatur, partim crebra & libera *venæsectione*, & partim *sudore critico* die 4to, vel 8to exorto, vel ut, his non rite succedentibus, diutius protrahatur; & tunc sæpissime huic morbo *Peripneumonia* aut *Empyema* vel *utrique affectus* superveniunt, periculi pleni, qui ægrum e medio ut plurimum tollunt, aut in *phthisin* ægre sanabilem aut exitialem præcipitant.

Cucurbitæ. *Art.* 449. *Riverius* & *Zacutus Lusitanus* exempla notabilia adducunt curationis Pleuritidis per *cucurbitas* cum scarificatione loco dolenti adhibitas. Pro usu externo in linimentis utiliter addatur *album græcum*.

Veræ sententia.

Art. 450. Post veræ pleuritidis & propriæ tradita signa reliquum est, ut cæterarum inflammationum, & notharum Pleuritidum differentias ac distinctivas regulas præbeamus: & primo

Pleuritidis dorsalis descriptio. *Art.* 451. Pleuritis plerumque fit, quando ad sinistrum latus circa mammas præsertim, & sub iisdem pleura inflammatur, ibique dolor percipitur, etsi tussiente ægro, hic ad scapulas vel prope eas quandoque respondet; sæpe vero morbus juxta diversum inflammationis situm aliter distinguitur. Præ ceteris notabilis est Pleuritis *Ejus I. species.* illa cujus lib. IV. de Morbos. affect. Hippocr. hæc signa præbet. *Pleuritis ad dorsum in tantum ab aliis differt, quod dorsum dolet velut ex plaga, & suspirat, & acervatim respirat: statim autem*

tem spuit pauca, & corpus delaxatur; tertia aut quarta die saniem mingit subcruentam. Moritur autem maxime quarta die, sin minus septima. Quæ Pleuritis igitur graviffima eft, & penes Auctorem ruinofa; tamen per id quod fcio, hanc veluti duram coecamque fyrtim tumidiora ingenia præterlabuntur, & declinant; ac tamquam non foret, nec minime tangunt. Hoc Pleuritidis genus nos quoque Hippocrate docente obfervavimus, ejufque verba notando; quod dolor fit velut ex plaga. Dolor enim in dorfo accedit non pungitivus, & acutus, fed remiffior & obfcurus, ut mihi percontanti refpondebant ægroti, eum veluti ex profundo fpinæ emanare.

Art. 452. Qui dolor in dorfo interdum acutus eft, quandoque valde acutus ut ibidem ille fubjungit: *Ceterum quibufdam Pleuriticis faliva quidem pura eft, mictio autem cruenta, velut ferofa a carnibus affatis fanies, dolores vero acuti per fpinam ad pectus, & ad inguen tendunt. Et paulo inferius: quibus autem ftatim fputa varia, & dolores valde acuti, hi tertia die moriuntur.* *II. Species.*

Art. 453. Sed quandoque non tam dolor quam rubor inflammatorius ad externa prorumpit, nam ex eodemmet Hippocrate: *At fi alicui in his Pleuritidibus contingat dorfum rubefieri, & humeros calefcere, & inter defidendum gravari, & venter exturbetur egeftione cum virore pallida, ac valde graveolenti, hic propter ventris egeftionem vigefima prima die moritur.* *III. Species.*

Art. 454. Unde tres pleuritidum dorfalium fpecies ex eodem Hippocrate cognofcuntur, quarum prior cum dolore veluti ex plaga cæterifque fymptomatibus defcripta potius eft Mediaftini inflammatio, ea præfertim parte, quæ dorfum refpicit; altera cum doloribus acutis per fpinam ad pectus, & ad inguina tendentibus ab in- *Locus affectus in fingulis.*

inflammatione tunicarum oritur, quæ nervos intercostales e spina dorsi egredientes tegunt, unde qui ad ultimum ventrem ducunt ex eadem carina cum promanent, ad inguina quoque dolores tendunt; tertia demum neque pleuram, neque mediastinum, neque vaginam nervorum intercostalium inflammat sed musculos dorsi tantum respirationi ac motui dicatos, unde ex affectus diuturnitate, rubore, & forsan tumore musculos hos affici facile arguitur. Idcirco cum ægroti de dolore dorsi quæruntur, non modo ejus intensionem attente perpendo ejusque speciem; verum insuper spinam, humerosque observo si ullus tumor, aut rubor extra appareat; eos digitis premendo latentem, aut incipientem tumorem detegere non desino. Cujus generis videtur fuisse Pleuritis ex dorso, qua laboravit, & mortuus est Hippostenes luctator V. Epid.

Indicatio curativa. *Art.* 455. Observat autem Hippocrates pleuriticis ex dorso venter si exturbetur, his propter ventris egestionem vigesima prima die mori. Nos vero fatemur, licet hoc plerumque his Pleuriticis accidat; tamen vero non semper, & ad hoc tempus protraheretur morbus, nisi vehementior alter complicaretur. Quare nec deterremur, & supersedemus a sanguine mittendo cum fluxus aut diarrhœa adsit, quæ inflammationis effectus est, & non sedatur nisi sanguis mittatur, ut experti sumus, & Sydenham docet. Neque quæ nonnunquam supervenit diarrhœa repetendis jam dictis venæ sectionibus obicem ponit; quæ quidem ipsa hac methodo brevi sistetur, etiam non adhibitis medicamentis adstringentibus.

Quid de cucurbi- *Art.* 456. Cum vires constent ac morbi initio, & ubi præcipue febris essentialis potius ap-

pa-

pareat cucurbitulas scarificatas, ut quorumdam mos est, adhiberi denego, quia juxta Hipp. *venæ tenues non trahunt de quocunque humore, & crasso.* Ex his scarificationibus enim parum vel nihil utilitatis depromitur. Nec movet, quod quidam fatentur, quod hæ cucurbitulæ scarificatæ applicantur, cum vires debiles sunt; quoniam in quibusdam Pleuriticis, & ut plurimum a nimio dolore, & magna tensione pulsus parvi fiunt, & obscurantur, viresque depressæ apparent. In quibus vero non adest virium resolutio, ac defectus, sed earum potius perturbatio ac confusio; imo ipsæ validiores sunt: idcirco in iis audacter mittendus sanguis, ut Morton, & Hippocrates monuit: & sæpissime in praxi observatur, quod depressi pulsus, quo magis sanguis effunditur, attollantur.

tulis scarificatis sentiendum.

Pujati sententia.

Art. 457. Constitutione quadam vigente Pleuritides verminosas cl. huic Autori videre contigit: fallax hoc morbi genus alias ex observatione, inquit, mihi innotuerat, antequam libercul um, quem de tali morbo Cl. Castelli apud Forojulienses Medicus concinnavit, legissem. Cum ille itaque eo in opusculo satis talium Pleuritidum tractationem absolverit, actum agere mihi nunc non est animus; sed postquam animadverto Hippocrati quoque si non a vermibus, ex imo ventre Pleuritides innotuisse, contra quas sanguinis missionem prohibuit; aliquot historiolas breviter subdam: ex quibus quidam, apud quos scio somnium esse Pleuritides a vermibus, tametsi Cl. Practicus Jonstonus tradiderit, hos quandoque mera symptomata Pleuritica excitare; tandem aliquando sapere discant.

Pleuritidis verminosæ descriptio.

Art.

Ab Hippocrate adumbrata. *Art.* 458. Hæc igitur in Coacis Magnus Magister posteris reliquit: *Dolores circa latus, in febribus consistentes, citra notas, venæ sectio læserit, sive cibum adversetur æger, sive hypochondrium sublime habuerit.* Fungus profecto necesse est, ut sit, quicumque in hunc Hipp. locum incidens, non noscat lateris dolorem ab imo ventre. Cum absentia signorum (*citra notas*) quæ pectus idiopathice pati ostendunt; & præsentia eorum quæ stomachum, atque intestina affecta demonstrant (*sive cibum aversetur æger, sive hypochondrium sublime habuerit*) clarissime laterum dolores per consensum ab abdomine fieri demonstrent, ob id non tam ad species dolorum, magnitudinem, aut durationem distinguendas, quam ad locum affectum determinandum, ab eo prolatum puto, in Aphorismis: *dolores laterum, pectoris, & aliarum partium, an multum varient perdiscendum.* Quibus Doctissime subdit Tozzi in dicti aphorismi commentario: *Hippocrates Medicos consulere videtur, ut partem affectam in doloribus internoscere curent: nisi enim partes affectæ suis indiciis distinguantur, curatio haudquaquam prospere institui poterit.* Quia ut in re tanti momenti Hippocraticam solummodo optime mentem expromam: *Sæpe ex crapula, & cibis flatuosis, dolores procedere solent, & ad lumbos, & ad latera.*

Signum ejus pathognomonic. *Art.* 459. Sed quæ sunt notæ doloris pleuritici Idiopatici ex Hippocrate? Ab hoc textu quisque discere poterit: *Si vero sub septo transverso fuerit dolor* (an septi positum optime norunt isti Helminthicarum Pleuritidum irrisores?) *ad claviculam autem de se significationem non præbet* (putasse videtur imi ventris dolores ad jugulum non ascendere, quod tamen falsum esse ex observatione patet) *alvum mollire oportet, aut*

vera-

veratro nigro, aut peplio. Cum illud igitur abest signum; quod pectus idiopathice pati Coo significabat; non sanguinis missione, sed medicamento purgante dato Pleuritidi medebatur; quia materia dolorem efficiens ita auferri e corpore poterat, quod utique fieri non potuisset si morbi causa intra sanguinem stabulasset: *quicumque vero ea, quae inflammata sunt, statim in principio morborum medicamento solvere aggrediuntur; hi de intento quidem, ac inflammato nihil auferunt, non enim remittit affectio, quae adhuc cruda est; quae vero morbo resistunt, & sana sunt colliquefaciunt de vict. in acut. tex.* 36. Quodsi dolor sub septo causam in sanguine habeat, non alvi ductione, sed sanguinis missione eam tollebat Hipp. *Praecordia inflammata, non ex flatuum interceptione* (eu! quod summo judicio eam causam excludit, quae primas vias obsidet) *septi transversi intensiones. . . . . solvi non possunt si quis medicamento purgare aggrediatur, nam venae sectio in talibus principalis est. Ibid.*

Art. 460. Ad utramque vero doloris causam & quae in sanguine, & quae extra sanguinem haeret, respiciens alibi scripsit, dolores sub septo & a purgatione, & a venae sectione solvi: *& si circa spuriam costam graves dolores fiunt, his solutis fit venae sectio, & purgatio deorsum de judicat. tex.* 11. Venae sectio si a sanguine, purgatio vero si materia imi ventris pectoris partes doleant, natura monstrante viam Medico: *quibus in febre dolore lateris oboriente multa aquosa, & biliosa egerit, hi allevantur. Coac. sect.* 11. *vers.* 73. Forte alvi subductio, quae sputum supprimit, coctionem tollit, idiopathicamque pleuritidem adeo exarcebat, ut ab hac exerciti lethaliter decumbant, doloris lateris a causa, quae intra sanguinem agit, auxilio esse po-

Curatio.

terit ? Si quidam Hipp. legerent, haud ita de humano ſanguine, quem prodige, amenterque profundunt, male mererentur; morbiſque minime ex titulo, aut fallaci hypotheſi, ſed ex obſervatione; atque ab ea, quæ ab obſervatis pendet, ratione mederentur. At ipſi viderint.

Cum ſciamus ſtimulum alicubi hærentem partes longinquas in criſpationem adigere, eaſque dolore mulctare, operæ pretium minime duco hypotheticum materiæ decubitum ad partem dolentem in medium adducere. Quod lumbrici in inteſtinis, ſtomachoque ſtabulantes efficiunt, cruditas quoque vitioſa ventriculum, ac inteſtina obſidens efficere poterit.

Trilleri ſententia.

Phlebotomia instituta quid præſtandum.

Art. 461. Statim ergo poſt primarium illud Herculeum, & divinum plane remedium, poſt primam, inquam, largam venæ ſectionem pleuriticis mixturam ſic dictam pectoralem, reſolventem, & anticauſticam ſimul ſingulis horis cochleari menſura ſumendam, propinamus: nempe ex aquis deſtillatis Veronicæ, Tuſſilaginis, Pulmonariæ, Hyſſopi, Salviæ, Fœniculi, aut aliis ſimilis virtutis, cum lapid. cancror. ſive conchis, Mandibulis Lucii piſcis, Antimon. diaphor. Lapide Prunellæ, & Extracto corticis Caſcarillæ aquoſo, & Oxymellite ſimplici, vel Syrup. de Alth. Fernelii, Eryſimo Lobelii, jujubarum, & ſimilibus, quo ipſo æſtum temperari, reſpirationem allevari, tuſſim mitigari, & pectoris expurgationem ſenſim promoveri crebro animadvertimus.

Oxymel ad pleuritides præſtantiſſimum.

Art. 462. Deinde ſiti nimium urgente, quæ miſeros ægros ordinarie vehementer excrutiat, tenuem ex hordeo ptiſanam, cum oxymellite, vel

vel simplici melle, & tantillo nitri paratam calide crebro ingerendam offerimus; probe gnari, quam eximii usus in hoc morbo, sit ptisana hordeacea. Nihil vero melle, & aceto fortius simulque mitius sanguinis coagulationes resolvit, putredini resistit, humorum lentorem attenuat, & incidit, gangrænamque arcet divinis his binis remediis: adeo ut nemo pleuritin feliciter curaturus post venæ sectionem oxymelite carere possit.

Art. 463. Singulis porro, aut alternis nimirum diebus, quantum nempe ægroti vires permittunt, & acrior vis morbi urget, sub vesperam, quando dolores laterales, fere semper magis ingravescere consueverunt, clysma sat larga copia tepide injiciendum curo, sed non nisi ex aqua hordei, & oxymelite, sive melle puro, cum una, vel duabus drachmis nitri, aut lapid. prunell. aut arcani denique duplicati paratum, aut more Sydenhami, ex solo lacte cum saccharo præparatum; quo ipso vis flammæ intus furentis infringitur, acrimonia temperatur, & blandus plerumque somnus provocatur. *Clysteres juvant.*

Art. 464. Maximi quoque sunt usus topica, & exterius adhibita; quibus calefactis dolentis lateris regio perpetim est fovenda, fricanda, & inungenda. Simplicissimum hinc & optimum est, ol. amygdal. dulc. vel pro pauperibus solum ol. lini; ipsos quoque calidos cineres vino respersos dolentibus lateribus, impositos ægregium usum præstare innotuit. Possunt & alia nonnihil operosiora unguenta, & linimenta commode adhiberi; ut unguentum antipleuritic. Mynsichti, Barbette, & quæ ex suo penu in notis adjecit Dekers, item aliud Sydenhami, & Hoffmanni. Mihi tamen, ut nihil celem, maximum semper usum præstitit linimentum a Boe- *Topica & externa.*

rhaavio fere commendatum, nempe ex semiuncia sacchari Saturni, uncia una aceti rutacei, vel simplicis, & binis unciis ol. infusi rosarum, vel lilior. albor. paratum. Hæc vero omnia calidissime, quantum fieri potest, sunt applicanda; tumque pannis laneis calidis, vel tegulis calefactis, si ferre quidem potest æger, locus dolens est contegendus, ut calor eo diutius duret. Illud tamen hic in genere monendum, sicca fomenta majore cum successu, & efficacia adhiberi in pleuritide rheumatica, humida, pituitosa, qua senes plerumque infestantur; quam quidem in acuta, & a sanguinis inflammatione progenerata. In hac enim fomenta potius humida, pinguia, & oleosa convenire, doloresque acerbissimos blandissime ex his ipsis consopiri, fida experientia nobis compertum pluries fuit.

Quando vescicatoria applicari debent. *Art.* 465. Ubi vero repetitis jam aliquoties venæ sectionibus restat adhuc insignis spirandi difficultas, vel magis exaugetur, tum duo vescicatoria, vel femoribus, vel tibiis ex Baglivii consilio, applicanda, derivationis causa. Tum enim sputorum fluxum statim promoveri, spirandi molestiam levari, & alvi quoque profluvium, si affuerit, feliciter sisti, bis, aut ter post Baglivium observavimus, licet non semper ex voto successerit, ut ingenue fatear. Eidem quoque scopo inserviunt cucurbitulæ siccæ ex mente Hippocratis, & qui eum jure meritoque sequuntur.

Expectorantia. *Art.* 466. Quando vero pectoris purificatio, naturæ beneficio occipit, prodeuntibus jam sputis coctis, maturis, pinguibus, & subflavis, tum ea arte nonnihil adjuvanda, ut linctu aut Eclegmate ex ol. amygdal. dulcium recenter expresso, syrup. viol. jujubin. capill. vener. de erysimo Lobel. & similibus, qualia describunt Sydenham,

ham, Hoffmannus, & alii. Vel infusum Theiforme ex herb. veron. tussilag. pulmonar. hyssop. capil. vener. ruta muraria, cum melle frequenter calide hauriendum summopere prodest.

Art. 467. Quod denique ad diætam, & strictiorem vivendi legem attinet, abstinendi sunt ægri vigente adhuc morbo ab omni carne, & victu crassiore, & pinguiore; tenuia contra juscula carnis vitulinæ, aut gallinæ item uvæ passæ minores, & majores, pruna sylvestria, damascena, cerasa, & similia subacida, & eupepta ipsis sunt concedenda: conducunt quoque, vel maxime herbæ molles, diluentes, & sapone nativo præditæ: ut Lactuca, Endivia, Acetosa, Beta, Brassica, Spinachia, Cichoreum, similesque radices: ut Sonchi, Scorzoneræ, Taraxaci, juri vitulino, aut agnino incoctæ, ut pulchre monet Boerhaavius; Conclave tepidum, immo subfrigidum potius sit, quam calidum; nec stragulis, & culcitris nimium obruendi sunt ægroti, æstus enim, & difficultas spirandi eo ipso augetur, & sudor præter rationem prolicitur. Inde fenestræ frequentius per diem nonnihil aperiendæ sudo in primis, & clementiore cœlo, quo aer purior, salubrior, & frigidior paullo intromittatur, ne miseri ægroti putrida sua atmosphæra circumfusi, sordidas exhalationes continuo inspirando, & resorbendo suffocentur tandem, & in vivum quasi cadaver commutentur. Quod & in universum in omnibus morbis acutis, inflammatoriis, & exanthematicis, ut morbillis, variolis, petechiis &c. sedulo observandum esse post Hipp. Aretæum, Celsum, & alios veteres, præclare docent Sydenham, Baglivius, Boerhaavius, Hoffmannus, & alii magni viri. *Quoad diætam.*

Art. 468. Procedentibus sic cunctis in dies in *Alvus finito*

me-

morbo purganda. melius, & lætioris sanitatis, certa spe resulgente post decimum quintum, aut vicesimum diem, leni Cathartico ex Cassia, Manna, vel Rheo barb. cum cremor. tartar. aut tartaro solubil. similibusque alvus ægrotorum est ducenda, ut sic, si quid vitiosi adhuc humoris crassioris restet, e primis viis, & glandulis intestinorum commodè egeri possit. Respiciendum tamen est semper ad ægrotorum vires, & durum necessitatis imperium.

Observatio de phlebotomia. *Art.* 469. Aliqua vero adhuc adjicienda restant de questione quoties nempe incidenda sit vena? Toties nimirum respondemus eam aperiri debere, quoties dura vis morbi eam imperabit, & ægroti vires permittent, quod ex respiratione præsertim, & pulsu conjicere licet. Ter tamen aut ad summum quater, venam secuisse nobis suffecit, ut ex multiplici experientia consistit, si nempe prima, & secunda vice sanguis sat larga copia fuit eductus.

Meadii sententia.

Inter topica vescicatorium commendatur. *Art.* 470. In pleuritide detracto primum quantum opus est sanguine; ad tussim levandam, olei ex seminibus lini recens expressi potiones; ad refrigerandum nitrum; ad sanguinem in canaliculis suis hærentem solvendum, sanguis hirci sylvestris, saliaque volatilia; denique ad foras extrahendum peccantem humorem, emplastrum vescicatorium lateri affecto impositum insigniter prosunt. Et externi quidem hujus remedii commodum, quod a sagacissimo Majernio primum edoctus fui, multis jam annis compertum habeo. Sub finem autem morbi, remittente jam inflammatione, alvum laxare oportet.

Art. 471. Illud autem non est prætereundum; fieri nimirum interdum, ut in hoc morbo, & magis etiam in peripneumonia, inflammata primum, inde & pleuræ adhærente extima pulmonis membrana, eveniat abscessus purulentus, quem empyema vocant. Hoc in casu si foras se ostenderit humor, imponendum est medicamentum causticum, quo emittatur. Ulcus autem per totam vitam apertum servare oportet. Vidi enim cum, eo sanata, & materiæ purulentæ effluxu prohibito, brevi moreretur æger. *Et causticum inustum.*

Barbeyraci sententia.

Art. 472. Definitio Pleuritidis est; quod Inflammatio sit pleuræ, vel membranæ costas succingentis cum lateris dolore acuto, & pungente, difficili respiratione, & febre acuta continua. *Pleuritidis definitio.*

Art. 473. Pleuritis ferme nunquam corripit, quin simul peripneumonia conjungatur, seu ut melius dicam, ejus comes est, atque effectus. Aliquando etiam observatur binas has ægritudines simul produci. Occurrunt profecto ægrotantes, qui eodem tempore forti, & acuto lateris dolore atque extrema viscerum exardescentia conqueruntur; interdum etiam evenit Pleuritidem & Peripneumoniam alternatim commutari; quia nonnulli occurrunt, qui ab initio usque nihil nisi acutissimum pungitivum dolorem ad latus experiuntur, tum hoc ipso dolore evanescente, vel biduo post ingenti oppressione vexati, & interno ardore quasi exusti remanent. Alii itidem dantur qui eodem momento ardore pulmonum, & incredibili oppressione teneri, conqueruntur, sed paulo post gravioribus symptomatibus evanescentibus dolore laterum *Ejus affinitas cum peripneumonia.*

summopere acuto fortiter gravantur, cujus caussam transpositionem esse de loco in locum morbosæ materiæ facile perspicimus.

Pleuresis caussa. *Art.* 474. Remotiores causæ, & evidentiores Pleuresis eæ omnes esse possunt, quæ sanguinis massam inflammant: ut calor excedens, constrictio, & contractio repentina pororum ob extremum frigus, liquorum ardentium abusus, omniaque exercitia immodica, atque alia ejusdem generis.

Pleuritis spuria. *Art.* 475. Altera Pleuritidis species datur, quæ *notha*, vel *spuria* dicitur musculis intercostalibus externis, vel inter constarum intervalla positis insistens, quæ vel a flatuositate, vel ab acri humore ibidem congesto producitur. Hujusmodi vero Pleuresis a vera tribus modis distinguitur. 1°. Quod in ipsis intercostalibus externis musculis sedem suam habet, quando alia sedem habet in musculis internis. 2°. Quod in spuria ægri impatienter super latus affectum decumbunt, nam in hac situatione externi intercostales musculi inflammati inopportune comprimuntur, contra in vera ægri in latus affectum volupe decumbunt, in alterum difficillime; quia pars inflammata pulmonum pondere ducta distrahitur. 3°. Quod veram Pleuritidem graviora laboriosioraque symptomata comitantur, quæ in spuria nec tanta sunt, nec adeo intolerabilia.

Observatio necessaria. *Art.* 476. Ceterum, ne in errorem inducamur, diligenter observandum est: lateris dolorem satis vivum aliquando excitari, pleuritico similem, qui perperam pro hujus morbi advenientis symptomate arriperetur. Etenim facillime accidit in scorbuticis quibusdam, aliisque qui nervosis affectionibus subjiciuntur, acerrimum humorem cum acerbissimo dolore in pleuram adve-

advenire, vel intra intercostales musculos congregari; adeo ut ibidem hærendo intolerabiles dolores excitet. Hujusmodi affectio tamen optime a Pleuritide distinguitur, quia nulla febre conjungitur, pulsu satis laudabili, & regulato persistente, viribus nullo modo labefactatis atque dolore fixo quidem non existente, sed pro ratione qua humor hinc inde vagatur, modo hanc, modo illam partem subsultim divexante.

Art. 477. Quoad veræ Pleuritidis prognosin *Hippocrates* plurimas habet observationes salubrem, vel malum exitum hujus morbi indicantes; sed diffusum æque ac laboriosum esset, easdem omnes hic commemorare. Quod utilius dici potest, illud est, ut si frequentes, & copiosæ phlebotomiæ cito hunc morbum non solvant, & criticis evacuationibus per sudorem, per hæmorrhagias, per vomitus biliosos, vel per diarrheas a principio usque evenientibus ægri non sanescat, sæpissime in *Empyema* vel in *Phthisin* morbum desinere, unde pessima prognosis oritur.

Empyema enim generatur, quia sanguine in Pleura stagnante, nec sese dissolvendi vias reperiente, corruptione is inducta putrescit, quare pus viam per hanc membranam sibi aperiente in pectoris cavitatem dimanat. Phthisis autem fit, quando pus ipsorum pulmonum substantiam errodit, & acredine qua imbuitur, ulcus ibidem producit. Idcirco quando *Pleuritici* excreatus sanguineos, vel purulentos edunt, tuto affirmari potest, ulcus in eorum pulmonibus exortum esse. Ut vero id frequentissime evenit iis, qui Pleuritide exercentur, hinc non inique superius affirmavimus, morbum hunc fere semper cum *Peripneumonia* sociari. *Prognosis.*

Art. 478. Methodus qua curari debet *Pleuritis*, *Indicationes curativæ.*

tis, binas ſibi vindicat indicationes. Prior a conjuncta cauſa deſumitur, quæ in ſanguine per pleuram ſtagnante, ubi inflammationem facit, conſiſtit; altera ab antecedente Pleuritidis cauſa mutuatur, quæ nihil aliud eſt, quam immodica ſanguinis effervefcentia, in pleuræ læſionem conſpirans.

Phlebotomia. *Art.* 479. Sanguinis emiſſio utrique indicationi ſatisfacit, quia preterquam, quod partem quamdam fermenti a tota ſanguinis maſſa adimit, calorem etiam imminuendo impedit quin novæ accumulationes in pleura contingant, & evacuandis inſuper vaſibus opitulatur, adeo ut qui his partibus ſanguis inerat, a ſubſequente in gyrum acto facile abripi poſſit, ſicque nativum omnibus liquidis motum conſervare ac reſtituere.

Alia remedia. *Art.* 480. Poſt emiſſum ſanguinem levis quædam ac blanda purgatio inſtitui poteſt; & Julapia, emulſiones, & clyſmata optimos effectus præſtant, quorum duo priora ſanguinis maſſam refrigerando ejus iminuunt agitationem, alterum inteſtina abſtergendo, eadem ab impuritatibus, craſſioribus fœcibus, & a ſanguinis recrementis ibidem congeſtis liberat. Si enim diutius morarentur excrementa, metus eſſet, ne eorum pars a venis abſorpta ſanguinem ſubeundo nova mala excitaret. Clyſteres igitur ſequenti modo concinnari poſſunt.

Clyſter. ℞. *Fol. malv. betæ, parietar. lactucæ ana man.* j. *ſem. quat. frig. maj. unc.* j. *ſem. hord. integr. man. ſem flor. chamomæll. melilot. pug.* j. *aq. font. q. ſ. ebull. ſimul & colat. unc.* xij. *adde elect. catholic. unc.* j. *mel. violat. unc.* ij. *f. clyſter poſt biduum reiterandus.*

Quouſque morbus, & febris perſiſtunt, cavendum ne ægris alimenta ſolidiora exhibeantur,

tur, sed jusculis eos nutrito quovis trihorio propinandis. Pro potu porriges Ptisanam ex hordeo, & passulis siccis, addita glycyrrhiza aqua pura confectam. *Ptisana.*

Emulsiones quibus regulariter frui possunt mane, & vespere quotidie, si opus, sequenti ratione parari poterunt.

℞. Amygdal. dulcium mundat. num. xvj. *semin. 4. frig. major.* ʒvj. *semin. lactuc. papav. alb. ana* ʒ *sem. contus. in mortar. marmor. sensim affundendo de ptisana supra descripta, atque tantundem aq. destill. pap. rhaead. Filtret. liquor. bifariam dividendus, cujus una pars dabitur ægro mane, altera vespere, postquam addideris, singulis syrup. capill. vener. vel tussilag. unc.* j. *diacod.* ℈iij. *vel laudan. gr.* j. *in parte vespertina.*

Si pro emulsione Julapium exhibere lubet, sequens optime facit. *℞. Aq. destill. pap. rhaead. lil. ana unc.* iij. *syrup. violat. unc.* j. *syrup. papav. alb.* ʒiij. *misce pro unica dosi.* *Julapium.*

Art. 481. Nulla quidem difficultas objici debet, quoad usum narcoticorum non minus in principio ac in progressu morbi, quamvis cum peripneumonia conjunctus adsit, siquidem non obstante quod VVillis eadem damnet, & cum eo plures alii practici, observatur tamen optimos edere effectus; maxime in iis, qui vigiliis & deliramentis vexantur, æque ac in iis, qui vehementiores patiuntur dolores. VVillis, aliique usum contemnunt, quod sibi imaginantur, excreatus a narcoticis inhiberi, ac expectorationem difficiliorem reddi. Cum autem ab iisdem non sit animadversum nulla aptiora extare remedia ad cohibendum defluxionum impetum ipso Laudano, non cognoverunt ejus usu id moliri, quod crebris phlebotomiis aliisque remediis in hoc morbo adhiberi solitis aliquando *Observationes de narcoticorũ usu.*

fru-

frustra intentatur. Ceterum prætereunda non est consideratio sæpissime a pulmonum debilitate expectorationem materiæ purulentæ inhiberi; atque hinc narcotica, quæ huic debilitati optime opitulantur, spirituum animalium generationi favendo, somnum conciliando, vires elanguentes ad munera expectorationis obeunda feliciſſime erigere. Sed cum nihil noxius sit ægrotantibus, quam noctes insomnes transigere; unde calefacto immodice sanguine spiritus discipantur, aliaque graviora incommoda gliscunt; hinc nihil utilius agi potest, quam mature omnia hæc mala exhibito narcotico declinare, quo dulcis ægro quies conciliatur, & sanguini necessaria refocillatio, quod equidem illud est duabus supradictis indicationibus propositum, ut perficeretur.

Continuatio remediorum. *Art.* 482. Hæc omnia remedia eodem sane tempore usurpari possunt, videlicet: quo phlebotomatur æger injici possunt clysteres, atque exhiberi emulsiones, vel Julapia mane, & vespere, postea devenire licet ad lenes purgatiunculas, modo prius sexta, vel septima vice spatio trium, vel quatuor dierum vena pertusa fuerit, ut sic defluxionis progressu inhibito purgatiunculæ sequenti ratione utiliter institui possint.

Potio purgans. ℞. *Senn. orient.* ℥iij. *rof. pallid. parvum sal. prunell. vel crystal. mineral.* ʒj. *fol. cichor. lactuc. ana man. sem. aq. font. q. s. ebull. parum, dein colat. add. mann. syrup. rof. compof. ana unc.* j. *f. potio mane propinanda.*

Altera. Vel ℞. *Senn.* ℥ij. *sal. prunell.* ʒj. *infund. in jure carnium q. s. & colat. add. mann. unc.* j. *f. potio.*

Vomitorii usus. Si cum Pleuritide vel Peripneumonia sit conjuncta, atque simul pectus ægri plurimum gravatum adsit, nullus dubitandi locus remanet, quin

quin vini emetici ℥vj. vel uncia j. cum sennæ infusione ei adhibeatur. Hujusmodi autem medicatio in usum duci nequit, nisi a prudenti, & perito satis Medico consulatur.

Habito respectu temporis morbi singula huc usque recensita remedia in usum vocari possunt, & reiterari, in primis leves alvi purgationes, quas subinde usque ad perfectam sanationem adhibere præstabit.

Nec perperam interea factum erit, si lateri affecto anodynum cataplasma admoveatur, quo dolore lenito aliquod ægro levamen concilietur, in primis si spuria Pleuritis adsit, musculique intercostales externi, æque ac interni afficiantur. Hoc vero casu, ut ferme semper evenit, si tumor aliquis externe prorumpat in eo ipso situ, ubi dolor urget, post reiteratas venæ sectiones cucurbita scarificata potest, atque mox inde cauterium excitari, ut exitus morbosæ materiæ tali arte expediatur. Post hæc vulnus eo modo tractabitur, quo alia hujusmodi tractari solent. *Topica.*

Art. 483. *Peripneumonia* inflammatio pulmonum est, cum febre acuta, tussi, & respiratione difficili. Præter hujusmodi pathognomonica signa hic morbus sæpe etiam conjungitur: cum dolore pectoris punctorio, pulmonum inflatione seu tumefactione, & sputo sanguineo, nunc puro, nunc vero aliis materiis mixto. His symptomatis adde sitim inexplebilem, vigilias pertinaces, acerbissimum capitis dolorem, interdum delirium, cum magna totius corporis inquietudine. *Peripneumoniæ definitio, & diagnosis.*

Art. 484. Evidentes peripneumoniæ causæ eæ ipsæ sunt, ac quæ pleuritidem faciunt, videlicet: omnes eæ generatim, quæ sanguinem inflam- *Causæ.*

flammare, validasque in eo excitare fermentationes possunt.

Omnes tamen Peripneumoniæ has causas quidem non habent; nam quando senes corripiunt, qui in hunc morbum valde sunt proni, a sanguinis densitate, & crassitie proficiscuntur; quia cum talis sit eorum sanguis, ideo spiritibus destitutus, in pulmonibus facile stagnat, ubi corruptus; & mora ducta putrescens eam inflammationem facit, quam nunc *Peripneumoniam* dicimus.

Peripneumonici interdum ex prava sanguinis constitutione hæreditario jure hoc morbo vexantur. Pulmonum dispositio quoque plurimum hic promeretur; cum non raro indurationes quædam seu scrophulosæ glandulæ principio non admodum magnæ, atque adeo non multum sanguinis motum impedientes, progressu vero majores factæ, vasa contigua compriimant, ex qua compressione transitu sanguinis cohibito, necesse est, ejus vim ad progrediendum insumptam in vasorum parietes recidere, quibus ruptis sanguis hac emanans stagando inflammationem facit.

Prognosis Peripneumoniæ. *Art.* 485. Quantum ad prognosin spectat, nemo unus non ignorat, morbum hunc valde periculosum esse, majoremque partem eorum, qui eo laborant occumbere, vel saltem difficulter admodum convalescere. Si Anginæ vel Pleuritidi Peripneumonia superveniat, magis periculosa est, quam si sponte sua primum erumpat, vel utrumque morbum consequatur; attamen quomodocunque accedat, semper periculi plena videtur, maximæ si cum febre valde acuta, pertinacibus vigiliis, siti inexplebili, & magna respirationis difficultate conjungitur; etenim

hæc

hæc omnia immodicum ſanguinis calorem, notabilemque pectoris oppreſſionem oſtendunt.

Peripneumonia cum *ſingultu* periculoſiſſima omnium; notante *Hippocrate*. Hujus ratio videtur, quia hoc caſu inflammatio maxima eſt, pulmoneſque adeo turgentes reperiuntur; ut diaphragmate compreſſo convulſionem cum ſingultu faciant.

Sed ægri vita adhuc in præſtantius verſatur diſcrimen, quando aliis ſymptomatis delirium, vel Phrenitis, vel convulſivi motus, vel etiam hemiplegia accedunt; cum hæc omnia morbi cauſam ad *cerebrum* aſcendiſſe oſtendant.

Neque minus timendum eſt, ſi una cum gravi reſpirandi difficultate Peripneumonicus conſertis *vomitionibus*, *animi deliquiis pulſu exili*, *ſudoribuſque frigidis exercetur*. Hæc enim ſigna omnia apertiſſime innuunt, pulmones minime a preſſionibus liberari, & quod in eis extravaſatum adſtat, nec ſputo excerni, nec in ſanguinis maſſam retrahi, aut reduci. Hinc magis magiſque impedita circulatione ſpiritus diſcipantur, vires fatiſcunt, & æger proinde ad fatum ſuum poſtremo ſubeundum properat.

Quoad excreatus, qui tantillum denſi, & albicantes videntur, atque nonnihil tinguntur ſanguine, minus ceteris timendi; tenues contra & crudi ſanguine multum imbuti, pejores ſunt omnium; quippe qui copioſiorem defluxionem oſtendunt. Sed malum ſignum etiam eſt, ſi æger nihil excernat; quia extravaſatis in pulmonibus, qui remorantur, humoribus neceſſario ſequi debet, ægrum ſuffocari, vel prorupto tumore Empyema exoriri; Ceteræ excreatuum formæ ut fulvi, virideſcentes, & nigri, omnes ſunt mali, quia exuberantem ſanguinis calorem demonſtrant, in primis vero nigri. Excreatus valde

de densi ob eamdem rationem, valde sunt timendi; nam ob caloris magnitudinem absumpta tenuiori parte, crassior relinquitur, quæ mora ducta adhuc magis densatur.

De urinis non loquor, quippe quæ satis tuta signa non exhibent, quin immo sæpenumero observantem decipiunt. Nihil enim de earum colore, & consistentia affirmari potest; pulcherrimæ videntur in febre maligna, utut insignis corruptio vigeat. Hoc unum profecto notandum est, quodsi eædem plurimum a statu naturali recesserint; ut ubi admodum rubentes vel nigricantes apparent, licebit tunc easdem ut mali ominis reputare; color nimirum inconsuetus apertissimum signum exhibet præternaturali calore sanguinem exardere.

Sudor difusus, urinæ profluvium, diarrhea, narium hæmorrhagia, menstruorumque fluxus interdum in hoc morbo bene portendunt, præcipue vero si opportune aliquid horum superveniat, nam morbum resolvit, vel plurimum saluti recuperandæ opitulatur.

Conditio virium maximi etiam habetur momenti in Peripneumonia; siquidem truculentioribus adhuc vigentibus symptomatis, modo vires consistant, & pulsum satis vegetum esse percipiatur, quædam semper salutis spes effulget; contra vero si debilis simul sit, pessimum est; etiamsi alia conquieverint symptomata, nec ut prius excrutiare ægrotum videantur.

Si pulsui debili ac parvo ejus inæqualitas quoque accedit, malum omnino est; quia ingentem pectoris oppressionem ostendit; qua libero sanguinis circuitu per viscera impedito, is irregulariter a dextero cordis sinu in sinistrum migrat, atque inde in arterias pari rithmo adactus pulsus irregularitatem producit.

Art.

Art. 486. Cum eadem sit curationis methodus Peripneumoniæ ac pleuritidis, nec partium affectarum differentia inhibeat, quin uterque morbus iisdem indicationibus regatur, eadem remedia locum habent utrinque; quare Phlebotomiam, purgationem, clysteres, ceteraque remedia alterantia in cura Pleuritidis adhibita Peripneumoniam quoque sanare posse decernimus. Prudenter tamen hic eadem usurpanda sunt, maxime vero attente incumbendum, ne æger purgetur, quin prius quater, vel quinquies phlebotomiam subierit. Ratio est quod si purgaretur post semel, vel bis sectam venam tantum, ex fermentatione a purgante in sanguine excitata, & ex nimia vasorum turgescentia nondum satis imminuta, nova extravasatio in pulmonibus evenire poterit, vel fatalis congestio in cerebro. *Curatio Peripneumoniæ.*

Art. 487. Eclegmata excreatum adjuvantia, negligenda hic quidem non sunt, quæ ut diu ore agitantur, & sensim per oesophagum descendunt; ita asperæ arteriæ fibris quodammodo irritatis tussi, & excreatus muneri favent. Pluribus modis Lohoch seu eclegmata componi possunt, vel pulveribus, vel opiatis, vel syrupis; cum autem syrupi aptiores videantur sequentem formulam adjicimus. *Usus Eclegmatum.*

℞. *Syrup. tussilag. oxymel. simpl. ana unc.* j. *sem. bals. sulphur.* ʒj. *sem. f. Lohoch cochleatim ægro exhibendum, ut in ore detineat, idemque sensim inde deglutiat.* *Lohoch.*

Art. 488. Quoad narcoticorum usum, jam supra satis meminimus; sed hic observandum est, quod in nimia pectoris oppressione *Laudanum* satis tutum non videtur, pro quo mitius narcoticum substitui debet: ut syrupus papav. alb. metu, ne Laudanum spiritus in cerebro fi- *Narcotica.*

gendo eorumque defluxum per nervos ad organa respirationis inhibendo aut impediendo oppressionem magis augeat.

Cucurbitarum scarificatarum usus.

Art. 489. Casus peculiaris adest quo cucurbitulæ scarificatæ non leve adjuvamen Peripneumonicis afferunt: videlicet, ubi percipitur inflammationem ad dorsi musculos usque pertingere. Cognoscitur rem ita se habere, quando æger tussiendo circa easdem partes, quibus pulmones suis membranis adhærent, vehementi dolore cruciatur; tunc autem habito respectu loci affecti cucurbitula ibidem applicata majorem partem extravasiti sanguinis educit.

De Emeticorum usu.

Art. 490. Omnibus remediis incassum adhibitis fidenter emeticum juberi potest, a quo quotidie miri effectus observantur maxime in morbis difficillimis, & propemodum conclamatis. Laudatur vero hoc remedium, modo vires satis sint vegetæ, ut ejus actioni resistere possint, & postquam sufficiens sanguinis quantitas a venis educta fuit. Nam si vasa adhuc turgescant timendum, ne ex inconsueta, & præternaturali fermentatione, quam hujusmodi remedia producere solent in sanguine, vas aliquod insigne rumpatur, unde nova inflammatio exsurgeret, a qua periculum augeretur, ægerque in deterius malum protruderetur.

Farrago sententiarum.

Ad prognosin pertinentia.

Art. 491. Densa & exercitationi assueta corpora (inquit *Hippocrates in coac.*) citius ex *Pleuritide & Peripneumonia* intereunt, quam quæ sine exercitatione degunt. *Pleuritides siccæ* (* inquit idem) & in quibus nihil spuitur, gravissimæ; metuendæ quoque in quibus dolores ad superiora tendunt. A Pleuritide *Peripneumonia*

ma-

malum; a Peripneumonia *Phrenitis* malum. *Hippocr. aphor.* sanguinis misso est remedium magni & recentis doloris; at sive levior, sive vetustior morbus, vel supervacuum vel serum id auxilium sit, confugiendumque est ad *cucurbitulas* cum scarificatione. *Celsus*.

Art. 492. A Pleuritide, ultra acutam febrem, fiunt *polyposæ concretiones* in pulmonibus, ut ex cadaveribus, & extracto sanguine patet. *Malpighius*. *Polypi.*

Art. 493. Adverti debet *Pleuram* Pleuriticorum & *Pulmonem* Peripneumonicorum post mortem sectorum semper exhibuisse spectandam magnam copiam *polyporum*: Polypus autem est sanguis diutius stagnans dilapsa parte rubra. Raro pleura sola absque pulmone inflammatur.

Art. 494. Dolorem externe optime leniunt linimenta *ex ol. amygd. dulc. sp. sal. armoniac. & camphora. Pitcarn. in MSS.* „ Item linimentum „ seq. anodyn. ℞. *balsam. Locatel.* ℨj. *ol. amygd.* „ *dulc.* ℥j. *ol. mac. per express. ung. e flor. aurant. ana* ℨij. *m. f. liniment.* *Linimentum.*

Art. 495. Quibus plurimus ex sputo strepitus in pectore sonat, & vultus demissus est, oculusque aurigine suffusus, & caligine obductus, in his mors expectanda est; ex *Hippocrate*, & authoris experientia. Vix datur præstantius remedium in fine morbi, quam syrupus vel decoctum *nicotianæ*. *Barbette*. *Prognosticon singulare.* *Syrupus de Petc.*

Art. 496. *Lucius* monitu *Æsculapii* a Pleuritide curatus fuit applicatione epithematis ex *cineribus* ab ara desumptis & vino commistis. *Le Clerc*. *Cineres pro usu externo.*

Art. 597. Vires & usus remediorum sequentium artis Apollinæ gnaris satis innotescunt. *Aq. omnium florum*, *balsam. sulph. anisatum*, *ens veneris*, *decoctum coccineum*, *decoctum pleuriticum*, *emplastr. pleuriticum*, *fotus lateralis*, *haustus pleuriticus*; *lohoch pleuritic. lohoch viride*, *oximel.* *Remedia varia.*

P 2 *asth-*

asthmaticum, pulvis pleuriticus, sacculus lateralis, unguentum pleurit.

Altera methodus Pleuritidem curandi. *Art.* 498. Quæ de Pleuritide traduntur in Lexico Medico sunt: hunc morbum periculosissimum satis cognoscendum sese exhibere, quin observantium diligentiam, attentionemque eludat. Ut plurimum dolorem ad latus sinistrum profert interdum etiam ad latus dexterum; febris urget, & tussis, & respirandi difficultas cum dolore. In Praxi communiter phlebotomia ter, quater, & quinquies repetitur pro ratione indigentiæ, & indicationis, quod sane principiis Medicis congruit, & generali consensu roboratur. Si vero æger Phlebotomiam adversetur, curatio sequenti methodo instituitur.

Ptisana. ℞. *Rad. scorzoner. man.* j. *aq. lib.* iij. *ebull. per dimidium quadrantis, dein adde flor. pap. rhœad. pug.* ij. *vel* iij. *iterumque ebull. parum, & in fine ebullition. add. frustulum glycyrrhiz. minutim concis. removeatur decoctio ab igne, & probe tecta reponatur ad subsidendum.*

Hæc sit in potum ordinarium ægri, cui postea dabuntur quinque ovi putamina in cyatho dimidio aq. plantag. atque inde obtegetur, ut diu sudet. Interea parti dolenti applicabitur cataplasma quod sequitur:

℞. *Ovi album, cui adde zinziberis quantum satis est ad dimidium putamen ejusdem ovi implendum, atque tantundem piperis nigri pulverati misc. & cum stupa cannabina parti dolenti applicetur, inde imposita mappa sæpe replicata per hor.* 24. *priusquam amoveatur, retinebitur.*

Si propositum sit hoc Cataplasmate uti, nulla venæ pertusio præmittitur, quia eadem etiam omissa morbus facile cedit, modo accurate applicetur cataplasma, quod salutarem semper effectum obtinet. Id vero experientia confirmatum ha-

habuimus. Sequens Cataplasma quoque laudatur.

Aliud Cataplasma.

℞. *Fol. nicotianæ vel funiculi tabac. unc.* ij. *crassius incidatur ac pro usu effumationis, tum bulliant in vini optimi rubr. lib.* j. *usque ad liquoris consumationem. Dein parti affectæ applicetur calide nicotiana tali encheiresi cocta instar Cataplasmatis, & quavis* xij. *hora renovetur.*

Aliud.

Aliud Cataplasma. ℞. *Decoct. verbenæ, farinæ hordei f. pasta mollis calide parti dolenti admovenda.*

Applicato quodam ex descriptis emplastris tempus erit, ut conveniens aliud remedium intus sumendum ægro porrigatur. Quod miros effectus præstat sequens est.

Potio.

℞. *Sacchar. pulv.* ʒij. *instillentur ei ol. destill. Salviæ gutt.* xxx. *misce & cum aq. card. bened. cochlear.* iij. *f. Potio.*

En altera Potio ab eodem Auctore valde laudata

Alia Potio.

℞. *Illius herbæ, quæ ubi muscus abundat occurrit Gallicè vocata* Perce-Mousse *man.* j. *Hæc mundata a recrementis, nullatenus autem aqua diluta contundatur in mortario, & cum succo in cyathum aq. salviæ vel scabiosæ infundatur per horas* iij. *infusio exhibeatur ægro jam post quatuor horas, jejuno, cui antea semel saltem vena tusa sit.*

Hujus remedii effectus est, sudorem vel urinam educere, utcumque vero agat, ut plurimum sanat. Pulveres ex mandibulis Lucii piscis, dentibus Apri, Ossibus Cordis Cervi, Pulvis pyrius cum aq. flor. sambuc. ablutus, pulv. sang. hirci, ex Pene Cervi, vel Tauri, tum is ex lapid. cancrorum usque ad gr. xxx. unusquisque horum porrigitur cum vino albo, vel cum cyatho aq. card. bened. Quod sequitur remedium præstantissimum quoque est, modo post tertium diem exhibeatur, vocaturque pomum Quercetani.

Pomum Quercetani.

℞. *Pomum, quo intus excavato olibani* ʒj. *ingeritur, dein probe clauso foramine ad ignem lente coquitur.*

Pomum hoc ægro devorandum exhibetur saccharo cando edulcoratum, insuperque aq. card. bened. unc. iij. propinatis ad sudandum disponitur. Animadvertendum est cum in hac occasione, tum etiam in ceteris omnibus ejusmodi, quibus sudor provocandus est, ut æger levibus sed calentibus stragulis coopertus decumbat, quia si graviora sunt, effectus optatus non obtinetur.

Duo quæ nunc addimus Cataplasmata, eodem Auctore teste, admirandæ quidem pro hoc morbo virtutis habenda.

Cataplasma. ℞. *Panem recenter a clybano extractum, quo bifariam secto ejus dimidium theriaca oblinitum parti dolenti admoveatur.*

Aliud. ℞. *Cæp. alb. num.* xx. *quibus coctis in sufficiente lactis quantitate usque ad dissolutionem add. piper. pulv.* ℥j. *Croci* ʒ *sem. hujus cataplasmatis dimidium parti dolenti imponatur, & perseverante dolore post quadrihorium alterum dimidium admoveatur.*

E M P Y E M A.

Tralliani sententia.

Signa suppurationis. *Art.* 499. Omnia in universum indicia suppurationis talia existunt: Febris vehementior quam antea: rigor præter rationem, & gravitatis potius quam doloris multi sensus. Ubi hæc tibi apparuerint naturam materiam subjectam in pus mutare scito, & si quidem facultas efficiens robusta fuerit, etiam pus non adeo viscosum reperietur; & vomica tunc intra thoracem circa decimum quartum diem erumpet. Sin autem crassius quoque pus ultra dies prædictos inventum fuerit, & ægri vires infirmiores, etiam circa quadragesimum aut sexagesimum, & longius vomicæ eruptio expectanda est. Summatim pro copia, & qualitate materiæ, ægrique viribus vomicæ eruptionem futuram expectato.

Et

Et si quidem intra thoracem pus illapsum; diutius intus manserit; & non fuerit usque ad quadraginta dies expurgatum; ut divinissimus ait Hippocrates; in Phthisin pervenit; pulmone ipso antea puris acrimonia exulcerato; & computrescente. Internosci autem debet locus affectus; si æger interrogatus dicat; dexteram thoracis partem esse calidiorem; magisque gravitatem sentire; tanquam aliquid ex ea pendeat; quando in alterum latus inclinaverit.

Art. 500. Qui biliosum pus expuunt; his cremor idoneus est ptisanæ; si superforbeatur, cremorque avenæ. Si vires imbecillæ sint cremor halicæ; aut typhæ; aut zeæ: sin autem nihil ejusmodi fuerit; nec alvus citata etiam succus amygdalarum, vel per se; vel cum prædictorum cremorum aliquo mixtus. Alvo autem citata nihil prorsus adhibeatur ex iis; quæ amplius ipsam irritare possunt; neque potus; neque cibus ejusmodi. Juscula autem ex aqua tepida; aut halycæ; aut similaginis; nisi admodum febricitent; exhibere magis expedit. At cum sputum fieri crassius; & biliosum abjecisse; nec non rejectioni contumax fieri incœpisse; deprehendes; tunc rursus ad aquosam mulsam, aut apomeli transire conducit; exhibendo ipsum paulatim; & non universum. Mulsa vero quovis tempore exhibita nihil ægrum offendit. *Victus ratio.*

Art. 501. Viribus imbecillis existentibus adde ptisanæ cremori columbam, aut pullum. Exhibeto etiam ægris gallorum testiculos. Assos cibos exhibere convenit. Sic etiam cerebella porcellorum assa præbere satius est; sale modico ipsis asperso; præterea anserum alæ; suum ungulæ, halyca cocta cum amygdalis; pistaceis; uvis passis; & quæ alia probe nutrire ægros possunt. Auctis autem viribus contra ad solidiorem cibum *Quando lac dandum,*

bum transeundum est. Quodsi diuturnior effectus fuerit, & corpus totum alimentum non sentiens contabescere manifesto incœperit, neque thorax multum puris contineat, etiam solum ipsis lac dari debet, si non vehementer febricitent, si enim multo infestante calore exhibeatur, non item nutrire, aut humectare poteris. Si quod rejicitur expurgatione adhuc indigere tibi videatur, & non modo sordidum, & fœdi odoris existat, asininum omnibus *aliis* antecedit, quippe etiam, eo quod probe purgat, omnia vincit. Item equinum ipsis propinandum est, quod asinino ad omnia sit persimile.

Curatio. *Art.* 502. Hyssopum igitur cum melle bene facit purulentis; similiter etiam thymum, aut iris contusa, aut erui fricti ex butyro, aut pulegium, omniaque hæc seorsim contusa, aut cum melle mixta si exhibeantur bene faciunt, nam generose repurgant. Ad omnia item thoracis vitia, & ad eos qui tali detinentur, quibusque arteria affecta est, admodum salutare, & suave medicamentum est, quod sequitur. Cinamomi, mirrhæ, ana ʒiv. thuris ʒj. dulcis radiculæ unc. sem. tragacanthæ unc. vj. nardi indicæ ʒj. ammomi ʒiv. croci ʒj. melle excipito.

Æginetæ sententia.

Signa Empyematis. *Art.* 503. Signa itaque consistentis empyematis sunt: gravitas thoracis, tussis vehemens, & arida, cum doloribus; interdum etiam humiditas quædam accedit, qua levari nonnihil videntur, febriculæque inter initia satis ignaræ, errantes, & difficilis decretionis affligunt. Quum vero in vomicam abscessus appetit, acrius cum horrore aliquo febriunt, inque sermonis proprietate spiritu turbati præcipitantur. Rupto abscessu pus

su pus rejicitur, modo purum modo fœculentum. Quandoque superius erumpit abscessus, unde gravius incumbit periculum: interdum vero deorsum, atque id quidem quod descendit, partim in ventrem & intestinum transfunditur, partim vero in vesicam, facta per vasa quædam transsumptione, delabitur.

Art. 504. Febriunt autem febre hectica usque ad totius materiæ repurgationem, quæ nisi accuratissime procuretur brevi, æger saniosus in tabem rapitur, pulmone exulcerationem sustinente. In qua jam tabe conclamata genæ pallescunt, frons, atque cervix sudoribus rorescunt, carnes contabescunt, ungues incurvantur, & crassiores, candidioresque, aut lividi apparent. Malo autem magis invalescente, venter conturbatur, hypochondrium sursum convellitur, dira sitis, & ciborum aversio cruciant: quodque excreatur gravissimi odoris fluxum emittit.

Art. 505. Ante omnia, puris collecti maturatio promovenda est, spongiarum fotu, cataplasmatis ex farinis hordeaceis cum caricis discoctis, & resina exigua, & stercore columbarum, nitroque, & hibisco. Adjuvat autem rupturam in latus sanum decubitus. Sorbeatur interea ex temporis intervallo mulsa, & cremor ptisanæ admixto melle; sed quibus plus roboris inest, ii jus hyssopi, & thymi melle adjecto bibant. *Curatio.*

Art. 506. Ubi pus expectorari cœperit hyssopi denuo, & iridis, atque glycyrrhizæ decoctorum in mulsa potionem repete; vel glycyrrhizam cum sesamo tritam exhibe: aut pollinem in mulsa, & oleo percoctum cataplasmatis modo inducito.

Art. 506. Quum autem ulcus expurgationi per superna renititur ad medicamentum ex marrhu-

bio,

bio, ex eruis ad Dodecatheon, & ad confectionem Philoxeni deveniendum est.

Art. 508. Porro qui in tabem decidunt his porra capitata in chondri, ac ptisanæ sorbitionibus liquefacta dato. Jam vero hæc per se bis decocta exhibenda sunt. Potus aquæ pluvialis esto, & ex eo melicratum.

Exustio. *Art.* 509. Ustiones suppuratis efficacissimas ferre suppetias compertum est. Oportet igitur radice longæ Aristolochiæ oleo imbuta ipsis imposita candenti ferro crustas excitare. Unam inter jugulorum compagem cute sursum reducta, duas non altas juxta mentum seorsim ab arteriis soporariis, quas carotides vocant. Sub mammillis item inter tertiam, quartamque costam duas altiores grandioresque. Binas alias inter quintam, & quartam, paululum versus dorsum spectantes: aliam in medio pectore, rursus aliam supra ventriculi os: a tergo vero tres, per medium dorsum unam, utroque spinæ latere geminas, quæ in dorso factam crustam excedant altius impressas.

Incisio & perforatio Thoracis. *Art.* 510. Alii vero, quemadmodum etiam Leonides asserit, ferro nuclei olivæ simili candenti inter costas, ea in parte, qua abscessus est, usque ad pus adurunt. Quidam scalpellum quoque confidenter adhibent, inter quintam, & sextam costam transversa incisione, paululum tamen infra cutim incidunt, deinde acuminato scalpello membrana, quæ costas succingit, perforata, pus excernunt. Verum isti quoque, & qui ferramento ad imum usque adustionem moliuntur, vel illico mortem inferunt, una cum pure vitali etiam spiritu confertim exinanito, vel fistulas irremediabiles efficiunt.

Celsi

Celsi sententia.

Art. 511. Dolor pulmonis si neque per sputa, neque per cucurbitulas, neque per sanguinis detractionem, neque per victus rationem finitus est, vomicas aliquas interdum excitat aut circa vigesimum diem, aut circa quadragesimum, nonnumquam etiam circa sexagesimum. Numerabimus autem ab eo die, quo primum febricitavit aliquis, aut inhorruit, aut gravitatem ejus partis sensit. Sed hæc vomicæ modo a pulmone, modo a contraria parte nascuntur. *Empyematis indicia venturi.*

Art. 512. Quod suppurat ab ea parte, quam afficit, dolorem, inflammationemque concitat, ipsum calidius est: & si in partem suam aliquis decubuit, onerare eam ex pondere aliquo videtur. Omnis etiam suppuratio, quæ nondum oculis patet, sic deprehendi potest: Si febris non dimittit, eaque interdiu levior est, nocte increscit, multus sudor oritur, cupiditas tussiendi est, & pœne nihil in tussi excreatur, oculi cavi sunt, malæ rubent, venæ sub lingua inalbescunt, in manibus fiunt adunci ungues, digiti, maximeque summi pallent, in pedibus tumores sunt, spiritus difficilius trahitur, cibi fastidium est, pustulæ toto corpore oriuntur. *Indicia præsentis.*

Art. 513. Quodsi protinus initio dolor, & tussis fuit, & spiritus difficultas, vomica vel ante vel circa vigesimum diem erumpet. Si serius ista cœperint, necesse est quidem increscant, sed quo minus cito affecerint, eo tardius solventur. Solent etiam in gravi morbo pedes cum digitis unguibusque nigrescere. Quodsi non est mors consecuta, & reliquum corpus invaluit, pedes tamen decidunt. *Indicia confirmati.*

Art. 514. Si suppuratio, inquit *Hippocrates* in *Confir-*

mat dia-gnosis. in Præsagiis, in alterutro latere tantummodo fuerit, vertere, atque ediscere convenit in his, utrum in altero habeat latere dolorem, & alterum quam alterum calidius sit; atque eo in alterum cubante latus, requirere oportet, num aliquod desuper onus illi pendere videatur: si enim id fuerit, suppuratio in altero latere fatigat.

Prognosis. *Art.* 515. Si corpus adeo grave est ut ungues quoque, & digiti lividi sint, expectanda mors continuo est. Si digiti ac pedes omnino nigrescunt, minus pestiferi sunt, quam si liveant. Sed alia signa consideranda sunt: si enim facile ferre malum appareat, & aliquod aliud fuerit salubre signorum, morbum verti significat ad abscessum; ita ut æger sit convaliturus; corporis vero nigredo casura. *Hippocr.*

Art. 516 Quodsi ne rupta quidem vomica, vel pure extrinsecus emisso febris quievit, aut quamvis quieverit, tamen repetit: item si sitis est, si cibi fastidium, si venter liquidus, si pus est lividum & pallidum; si nihil æger excreat nisi pituitam spumantem, periculum certum est. Atque ex his quidem suppurationibus, quas pulmonum morbi concitarunt, fere senes moriuntur; ex ceteris juniores. *Celsus.*

Ballonii sententia.

In Empyicis cur calor augeatur noctu. *Art.* 517. Accidit omnibus hectica febre laborantibus, ut noctu intensionem calorem habeant, non quod nox augeat febrem ratione suæ diatheseos morbosæ, sed ratione dati oblatique cibi (inquit *Galenus*) incalescunt enim a sumpto cibo, & maxime dum distribuitur. Quare de nocte potius, nam & cibus interdiu datur? *A Vega* mihi videtur pueriliter hoc explicare. Quia (ait) tempore *Hippocratis* non pran-

prandebant sed cœnabant: *Galenus* æque male. Nec enim omnino explicat illud *Hippocratis*: *Noctu vehementior*. Melius diceret, quoniam agitur de purulentis, in omnibus suppurationibus dolores ad noctem; id quod non tantum audiendum dum pus fit, sed dum pus continetur aliqua parte fovens febrem lentam. Vel dicemus cum hecticis partes solidæ ignitæ sint, non mirum si noctu calor increscat, tum quia nox humectat, tum quia revocatur calor, & spiritus intro. Sic calor crescit non ratione ipsius affectionis, sed ex eventu. Vel dicemus nocte revocatur calor naturalis ad centrum, qui calor quia igneus est, dum revocatur intro non nanciscitur aptum domicillium, & quo loco humectare debet siccat, & squalorem auget. Et tunc non fiunt calores febriles, sed quædam exacerbationes. Præclara quidem est quæstio hæc.

Quærat autem quis: an pus suos motus habeat nocturnos potius quam diurnos? Nam & in inflammationibus internis paroxysmus est nocturnus. Et id non est proprium nec hecticis, nec empyicis ut nocturnas molestias potius experiantur, quam qui aliis morbis implicantur.

Art. 518. Unde mirati sumus cur antiquitas, peculiari quodam privilegio, & prerogativa exacerbationem nocturnam puri, & purulentis assignaverint. Nec enim id novum est. Nam & venerea lue affecti, præsertim ubi solidas partes invasit, & conspurcavit, nocte dolent magis, & athritici & odontalgici, & cephalalgici & catharrodes, denique multo maxima pars ægrotantium. Præter rationes a nobis alibi adductas, sunt & hæ probabiles. Primo quia omnes ferme morbi sub tempus noctis ingravescunt. Multis id quidem de causis: Partim quia ob adveniens tempus nocturnum fit admirabi- *Ratio quænam.*

lis

lis quidam motus, & revocatio intro, motus quidem plane contrarius motui ipsarum vigiliarum. Deinde, coctio fit noctu. Coctio quidem non solum humorum naturalium, sed & contrariorum, & febrilium. At dum pus fit, febris augetur, & dolor. Quæ ratio & analogia de pure in abscessibus, in aliis morbis, & febribus audiri potest. Maxime autem id apparet in empyicis. Dolent enim partes solidæ, & augetur calor febrilis, qui interdiu in partes omnes expansus erat.

Septalii sententia.

In Empyemate non potest a Medico pus per alvum evacuari.

Art. 519. Cum suppuravit: ex disrupta vomica vix alia via recte expurgantur, quam per tussim screata, non multum spei in evacuanda ea materia per alvum reponere debet Medicus, quod ope medici hoc vix fieri possit; præstat id quandoque Natura, quæ nobis incompertas vias invenit, & ad salutem ægri statuit; salubriter id quandoque a Natura tentatum scimus, id Aretæus testatur: & nos in purulento ex pleuritide jamjam ex suffocatione moribundo vidimus in magno hoc Valetudinario, qui cum phegmone laboraret, & propemodum strangularetur, sudores jam frigidi adessent, livescerent omnia extrema, potissimum facies, subito alvi fluore superveniente, maxima saniei copia effusa, brevi tempore convaluit: raro igitur cum id faciat natura, cum eadem nobis incognitas vias sibi struat, cum præterea non sit per loca convenientia, omnino non erit imitanda a Medico; potissimum quia, si leviori purgante utemur, noxii nihil evacuabimus; sin validiori, vires imbecilles reddemus, in quibus solis salutis spes posita est, ut & ferendo morbo sint

sint idoneæ, & materia per tussim screatu expelli satis possit.

Art. 520. Per urinam licet quæ in thorace, & pulmonibus continetur materia difficillime, & minus tuto educi possit; promoventibus tamen lotium tuto uti possumus, ut saltem materia, quæ in vomica adhuc continetur, & quæ denuo colligitur, per vesicam excerni possit. *Diuretica convenire possunt.*

Art. 521. In ustione, & sectione facienda in empyicis hæc sit cautio, ne a ruptione vomicæ statim fiat, sed cum Hipp. *in Coacis prænotionibus* diferenda erit, in decimum quintum diem, ut & materia coctione ulteriori mitescat magis, quia ab effusione extra locum, ubi maturuerat iterum alteretur, & ulteriori coctione melior reddatur, post quem diem si inustio facienda, omnino maturandum. Placet enim Oribas. 9. *Synopseos cap.* 3. celeriter evacuandum esse, neque multum cunctandum, ne vires collabascant; in quo casu omnino a tali actione abstinendum est, ne in illud incommodum incidamus, in quod cum certo mortis periculo incurrunt, qui in ascite ad sectionem numquam veniunt, nisi cæteris remediis omnibus primum in usum ductis, & jam viribus exhaustis, & morte præ foribus stante. *Empyicè quando urendi aut secandi.*

Art. 522. In suppuratis vomitus plenus est periculi; si enim eodem tempore vehemens tussis, & excreandi necessitas superveniat, simulque evomantur impetu multo ex ventriculo crassiora, vix evitari potest suffocatio, conspirante ad suffocationem, & œsophago, & aspera arteria; tum præterea, quod constrictis musculis abdominis in vomitu, puris copia multa in pectore repleto coarctata, magis in regione venosæ arteriæ compulsa, sæpe cor ita suffocat, ut statim mors subsequatur. *Vomitus periculosus.*

Quomodo evocandus. *Art.* 523. Proderit tamen inanem vomitum etiam digito provocare, non tamen promovere: sic enim a rectis abdominis musculis ab infernis partibus compresso diaphragmate materia paratior facilius propelletur.

Langii sententia.

Empyema quid? *Art.* 524. Empyema Thoracis purulentam designat materiam ex pleuræ, vel pulmonum abscessu rupto ad cavitatem Thoracis depositam.

Signa ejusdem. Cognoscitur ex pondere, & fluctuatione in Thoracis cavo, quæ non admittit decubitum ægri in latus sanum, sed statim suffocationem minatur. Attendendum tamen hic, num pleuritidem, & peripneumoniam excipiat, ne confundatur cum Thoracis hydrope.

Cura. *Art.* 525. Cura vel præservationis gratia expetitur a Medico, vel restitutionis.

Præservatoria. Præservatoria in eo consistit, ut occasionales corruptionis causæ quantocyus removeantur, v.g. inflammatio discutiatur, obstructio a pituita deoppiletur; acrimonia sanguinis, catarrhus, & tussis corrigantur, vulnus consolidetur; quæ cuncta quibusnam mediis possint obtineri, ex superioribus partim, partim ex subsequentibus innotescet.

Restitutoria. Quodsi omni præservatione incassum adhibita nihilominus sequatur vomica, aut Empyema, aut Phthisis tum ad alteram curam deveniendum est, ubi hæc quatuor puncta observanda sunt.

Ulcus aperiendo. *Art.* 526. Primo num ulcus jam ruptum sit an secus? si non apertum est, interim tamen vel dolore, vel respirationem impediendo molestiam pariat, de ejus ruptione cogitandum, quam obtinebis, vel per usitata remedia emollien-

lientia interne, & externe usurpata, vel interne per cancros vivos contusos cum aceto, vel vino, aut externe per oleum corticis cucurbitarum longiorum, cujus comparandi modum, & virtutem incomparabilem vid. in M. N. C. Ann. 1. obs. 10. Vomitorium remedium utut a quibusdam in casu desperato præscribatur non suadeo, licet enim obtineamus ex nimia totius corporis conquassatione aliquando rupturam vomicæ, ob suffocationis tamen periculum, quod inter vomendum iminet, aut hæmoptysis, aliaque dira symptomata facile insequentia ad evitandas censuras osorum Medicinæ, tutius erit, prorsus ab illis abstinere, vel ante usum de periculo, & ancipiti eventu adstantes, & ægrotum commonefacere.

Art. 527. Secundo aperto aposthemate officium est Medici evacuationem puris vel per expectorantia tentare, qualia sunt veronica, scabiosa, hyssopus, tussilago, capill. veneris, marrub. alb. brassica rubra, ruta, salvia, rosmarinus, rad. helenii, Angelicæ, Levistici, Imperatoriæ, ligni guajac. &c. vel per laxativa, ut rhabarb. mechoacanna, fol. sennæ, rad. polypodii, vel per diuretica blanda, ut petrosel. heder. terrest. ocul. cancr., vel si in thoracis cavo fluctuet, per cancros cum aceto, vel vino contusos, quod medicamentum alias vix in hoc casu fallit. Si per urinarias vias non exturbaverint purulentam materiam, ad paracentesim deveniendum est, quæ celeriter tamen adornanda est; nam ut notat Tulpius alias educes quidem pus, & sanguinem non tamen e periculo ægrum. Quo diutius namque pus relinquitur eo magis nocet. *Pus educendo.*

Art. 528. Hac enim operatione præterquam, quod intentionem naturæ sequimur, evidentem non raro protuberantiam intra costarum inter- *Ulcus mundificando.*

Q stitia

ſtitia formans, & digito quaſi locum oſtendens per quem materia extrahi debeat; illud inſuper commodi accedit, quod decocta vulneraria per ſiphonem immediate ad locum læſum infundi, adeoque ulcus detergi, & ad conſolidationem diſponi poteſt.

Hinc tertium oritur quod eſt, mundificatio ulceris, & conſolidatio, de quibus non citius cogitare debet Medicus niſi pure maxima parte evacuato. Convenientiſſimum igitur tum erit, cum bechicis vulneraria præſcribere, ut ſunt urtica, bugula, herb. coſti, chereſolium, geranium robertianum, millefol. pyrol. plantag. portulac. petroſelin. ſanicula, burſ. paſtor. rad. ſymphyti maj. tormentil. pimpinell. &c. aut loco harum plantarum præparatas jam cum ſaccharo conſervas, modo tuſſim non augeant, coſti, flor. ſalviæ, urticæ præ primis, & roſarum; aut alia balſamica e. g. balſam. peruvian. aut ſulphur. in ſpecie terebinthinatum parca tamen manu uſurpare.

Symptomata emendando. *Art.* 529. Quartum denique eſt, ut ſymptomatum habeatur ratio, ex quibus maxime urgentia removeantur.

EMPYEMA.

Boerhaavii ſententia.

Empyema quid. *Art.* 530. Empyema eſt collectio puris in thoracis cavo, ut plurimum ex rupto Pleuritico vel peripneumoniaco *abſceſſu;* cognoſcitur a tempore inceptæ inflammationis xx. dierum ſine purgatione, a tuſſi ſicca, gravitate ad diaphragma, decubitu in unum latus, ſtrepitu puris ad motus, febre lenta, genis rubentibus, oculis ca-

vis;

vis, digitis in extremitate calidis, unguibus recurvis, & abdominis tumore.

Art. 531. Ad curationem quod attinet, cognita vomicæ pulmonis, pleuræ, diaphragmatis, mediastini, vel pericardii disruptione, omni ope nitendum, ut *pus* evacuetur per os, vel per urinas, si natura has monstraverit vias, vel denique per thoracis aperturam ope instrumenti idonei in latere affecto; inter costam 4 & 5, vel 5 & 6 ab inferioribus numero ducto, pus lente & per vices educendo; ex indole puris educti, & reliquis ægrotantis circumstantiis, prognosis de vita vel morte pronuntianda erit; si *Empyema* fuerit vetus, vires collapsæ, capilli cadentes, alvi fluxus colliquativus, corpus tabidum &c. *paracentesis* facta mortem accelerare solet. *Curat.*

Vvillisii sententia.

Art. 532. Empyema est collectio puris intra cavitatem thoracis qua respirationis organa opprimuntur; illuc vero pus istud confluere solet, vel ex *pleuritide*, vel *peripneumonia* (& quandoque forsan ex *angina*) suppuratis & disruptis; post morbos prædictos *Empyematis* secuturi major erit suspicio, si post unam vel alteram septimanam, sine sputo copioso, rigores, & febris, & spirituum languores, superveniant, & dein post 14, vel 20. dies *Empyematis* plane facti signa erunt respiratio difficilis, pectoris gravitas, materiæ fluctuatio, & molestiæ sensus e corporis situ mutato, sitis & febricula fere constans, genarum rubor, totius inquietudo & vigiliæ. De *paracentesi* vide locum, & de eventu ejusdem p. 201. Vide etiam *Mayerne*, p. 178. *Signa Empyematis.*

Ettmulleri sententia.

Diagnosis. *Art.* 533. Cognoscitur, quando factum sit *Empyema*, quod remittat febris, quin etiam fluctuatio quædam puris hinc inde percipitur; rumpitur autem *vomica* circa diem 20. 30. aut 40. dum vero rumpitur, rigor fit, & febris intensior supervenit, adest tussis continua, quasi ex profundo, quia diaphragma gravatur ex incumbente pure, parum excernitur, febris mitior evadit, & magis lenta, respiratio est difficilis, & sentitur pectoris gravitas, si corpus inclinant pene suffocantur, sentiunt frequentissime *evaporationes* ex pectoris cavo ad os ascendentes instar *aquæ calidæ*; ulteriori progressu percipiunt in ore *saporem tetrum* & quasi *putridum*, & pulsus intermittit.

Curatio per apertionem thoracis & aliter. *Art.* 534. Apertio thoracis fit inter 5tam & 6tam costam (a supremis numerando); mature fiat. Vide *Scultetum*. Quod ad remedia attinet, exhibenda sunt grumosum sanguinem *dissolventia* & *absorbentia*, & tunc præstat a *diureticis* incipere, in fine autem aliquod *sudoriferum* subnectere. Si moliatur aliquid natura, semper medicus sit ejus minister; V. G. quando urina purulenta redditur, dentur *diuretica*; in diarrhœa purulenta, *laxantia*; si ad sputum vergat; *expectorantia*, immo *vomitoria*; *nicotiana* est egregia; *fonticuli* etiam a quibusdam inter costas inuruntur, interne *balsamica*, *vulneraria*, decocta e *lignis*, *gelatina C. C. hederæ terrestris* valde commendatur, Vide *vomicam pulmonis*. (541. &c.)

Vernæ sententia.

Suppuratorum indicationes. *Art.* 535. Si inflammatio sit jam corruptiva, & verus sit jam obortus abscessus tria juxta Etmul-

mullerum sunt patranda. Primo suppuratio promovenda. Secundo abscessus perfecta ruptio adjuvanda. Tertio abscessu aperto partis ulcerosæ mundificatio, & consolidatio, ac simul puris excretio instituenda.

Art. 536. Cum suspicio sit verum jam factum esse abscessum, decocta pectoralia valentiora adhibeo uti: parata ex hyssopo, syrup. de symphyto Fernelii, syrup. de nicotiana, ac præcipue decoctum tabaci Ferdinandi quæ singula apostema maturant, & rumpunt. Ex nicotiana enim præcipue præsidia utpote quæ acutiora irritando vomitum, & sternutationem inducunt, & abscessum rumpunt. *Ut abscessus maturescat.*

Decoctum Tabaci est hoc

Art. 537. ℞. *Fol. tab. unc.* j. *bull. in aq. dulc.* ℔ij. *ad consumpt. medietatis add. in fine fol. malv. branc. ursin. violar. ana m.* j. *colentur & cum sapa misceantur, & detur calidiusculum pluries cochleatim.* *Ut abscessus rumpatur.*

Quo decocto uti valentiori non nisi postremo loco utor, & cum maxima urgeat vis rumpendi; at ejus vice prius syrup. nicotianæ quam pluries sum expertus ad unc. j. pro vice præbeo.

Fumus nicotianæ quoque proficit, ut si folia ejusdem reponantur super cineres adhuc ignitis, & fumus per fistulam excipiatur: at magis proficuus est fumus ex nicotianæ pulvere carbonibus injecto.

Ruptionem coadjuvant etiam emplastra parti affectæ apposita: uti ex quatuor gumm. ex fodicat. paracelsi, quod nimis potens est, omnia denique topica, quæ pro abscessuum ruptura conveniunt: ut ol. & unguenta inter quæ præcipuum locum tenet unguentum filii Zachariæ.

Art. 538. Æger suum quoque exequatur mu- *Secus aperiendus.*

pus, sese volvendo de uno latere in aliud, stusiendo ac fortiter excreando, & nicotianæ pulvere aut alio sternutationem provocando.

Quia ruptio seu apertio abscessus duplici loco fieri potest, duplicem quoque methodum requirit. Aut abscessus fit in musculis externis tantum, & tunc ubi certi sumus de ejus maturatione spatia intercostalia ibidem perforanda sunt. Nec enim in eo loco, quo in empyemate, pure jam in thoracis cavitate collecto sectio fieri solet, apertio instituenda, sed ex pondere dolore, & calore loco abscessus deprehenso intra duas costas leviter aperiendus est. Quandoq; vero abscessus adeo externe tumet, ut veluti sacculus promineat, qui adeo facili sectione aperitur. Etiam inflammata pleura præcipue ea parte quæ musculos intercostales respicit, adeo ut ea parte abscessus rumpatur, & pus musculos adjacentes fere inundet, hæc perforatio seu paracentesis institui poterit; sed caute nimis, ne perterebrata pleura ea parte, qua sana est, nova, & periculosior inflammatio oboriatur, & æger binis morbis pessundatus mortem indubie subleat. Idcirco in tam ardua operatione lente procedendum, & non nisi præstantissimo Chirurgo, & Anotomico fidendum, ne artis infamia emergat.

Inde abstergendus. *Art.* 539. Aperto igitur abscessu abstergendum est ulcus: & syringa præcipue injiciendum decoctum vulnerarium elicitum ex hedera terr. herb. veronic. radic. aristoloch. myrrha cui addi potest, sp. vini plus minus pro ratione quantitatis liquoris injiciendi; vel potius spiritus terebinthinæ veluti mundificantium princeps, & balsamicus.

Si abscessus sit in internis nec rumpetur. *Art.* 540. Si vero abscessus ad exteriora haud inclinet; sed in penetralibus fiat, in varias rumpitur

pitur partes: quandoque ex dilatata pleura pus intra ſaccum colligitur; ex cujus membranæ laxitate, & præ dolore, diſtentione, ac agitatione, quadam flacciditate acquiſita fieri nequit abſceſſus ruptio; quæ ut accidat membrana neceſſe eſt, ut maneat tenſa, unde diſrumpi valeat; quod in filia D. Piſonis notavit *Lindanus*. In quo igitur ſacculo materia purulenta nimis acri, & putrida reddita facile moriuntur ægri: & ſi quidam hujuſmodi affecti evaderent (quod admodum difficile duco) non niſi hoc modo fieret, quod ab illa materia acri, & corroſiva eroſis, & corruptis ſanguiferis vaſis, a quibus imbibi, & reſſorberi poſſet illud evaſatum; quod deinde per ureteres, aut alias vias excerneretur, ut ſupra innuimus ex *Bartholino*: & ſic natura ipſa veluti medicatrix partes conſolidaret, & callo obduceret.

Art. 541. Vel apoſtema in pleura factum in cavitatem thoracis abrumpitur, & empyema efficit: tunc in alium morbum commutatur Pleuritis; qui utique ſolvatur non adeo facilis eſt, & phthiſis timorem habet uti ex *Hipp. V. Aph. tex.* 15. *Quicumque ex morbo laterali ſuppurantur, ſi in quadraginta diebus purgantur a die, qua fit ruptio, liberantur; ſi vero non, ad tabem tranſeunt*. Quoniam materiæ purulentæ per trachæam ad os non adeo facilis aſcenſus eſt, ex qua detenta pulmones ipſi inficiuntur, & ulcus inſanabile acquirunt; idcirco præſidia quælibet, quæ in empyematis cura a clariſſimis auctoribus recenſentur ſunt propinanda: quæ ne nimis voluminoſus fierem reticeo. *Si rumpatur in Thoracis cavitatem.*

Art. 542. Vel abſceſſus ſeu apoſtema in ipſis pulmonibus fit quandoque circa partes ac glandulas, ex quibus materia purulenta exitum in bronchia, & trachœam faciliorem reperire poteſt, *Si rumpatur in Thrachœam.*

test, & sic expectorantibus ejus eductionem promovere par erit: & deinde consolidantibus, & balsamicis apostematis sinum coæquare, & conglutinare congruum erit.

Vomica. *Art.* 543. Materia exitum interdum non adeo facilem per trachœam reperiens, sed intus diu contenta, & partes propinquiores fere exedens cavitatem magnam in ipsis pulmonibus efficit, quæ vomica difficilioris curationis erit: si disrupta per trachœam exitum quæret, instantaneæ suffocationis periculum habebit, præter sinuosum ulcus non adeo facile sanabile: aut lacerata membrana pulmones ambiente empyema quoque ex peripneumonia fiet.

Barbeyraci sententia.

Empyema quid? *Art.* 544. Quamvis Empyematis vocabulum latiori significatione sumptum suppurationem quamlibet significet, videlicet puris collectionem in quavis corporis parte; nihilo tamen minus ex omnium medicorum consensu idem usurpamus ad eam puris vel purulentæ materiæ collectionem indicandam, quæ in thoracis cavitate accidit; puris dicimus vel purulentæ materiæ collectionem, quia alterum ab altera ut plurimum distingui solet; nam pus veræ corruptionis congestionem significat, materia vero purulenta corruptionem cum sanguine, bile, aliisque humoribus mixtam.

Ejus causa. *Art.* 545. Antecedens causa Empyematis morbus est semper aliquis pectoris, veluti Pleuritis, vel Peripneumonia, ut alibi etiam innuimus.

Accidentaliter quoque Empyema produci potest a suscepto in pulmonibus, vel in pectore vulnere aut ex ruptura vasis cujuslibet a casu,

vel

vel ob ingens editum conamen. Utcumque res se habeat, sanguis qui affatim in pectoris cavitatem emanat ob ductam ibidem moram sese in pus convertit, quia circulari motu cessante, commixta ejus principia a mutuo nexu reccedunt, & corruptioris occasionem faciunt; si hoc in pectoris cavitate producitur, Empyema proprie est.

Art. 546. Empyematis signa sunt duarum specierum. Priora ostendunt, quando oriturum est: ut si pus a pulmonibus in peripneumonia, vel a pleura in pleuritide generetur, quod inde in pectoris cavitatem effunditur. Altera ostendunt morbum jam confirmatum, seu puris collectionem in dicta cavitate factam. *Empyematis signa.*

Prioris speciei signa sunt: exacerbatio febris cum insigni rigore, & languoribus, nec non cum aliquo sensu ponderis in thorace percepto.

Alterius speciei signa confirmatum Empyema ostendentia sunt: Febris ardens cum nocturnis exacerbationibus, & continua ferme respirandi difficultate, materiei in cavitatem thoracis effusæ ad corporis motum sensibilis flutuatio, sudores diffusi maxime noctu, insignis genarum rubor, oculi cavi, ungues recurvi, crurum peduumque inflatio, eruptio quarumdam pustularum per pectus, imi ventris tensio, atque in fine morbi tumor œdematosus circa locum in quo pus collectum invenitur.

Cognoscitur pus in latere sinistro colligi vel in dextero, ex loco quem prægressa tenuit inflammatio, ex calore, pondere, & fluctuationis sensu materiæ effusæ; quæ omnia symptomata lateri affecto semper inhærent.

Nullum hic sermonem habemus de signis Empyema ab hydrope pectoris distinguentibus, quia

de

de iis aliquid dicendum nobis proponimus, ubi de pectoris hydrope agemus.

Prognosis. *Art.* 547. Quantum ad Prognosin eadem ante, & post paracentesin pronunciari potest. Si perspectum sit ægrum viribus destitui, morbumque pessimis symptomatibus stipari, tunc libere dici potest, de eo esse conclamatum; unde potius ac lateris apertionem suscipere, ægrum sorti suæ relinquere præstat, metu ne medicus intulisse mortem insimuletur. Si contra vires adhuc valeant, nec symptomata nimium vehementia vigeant fidenter operatio institui debet, qua peracta si effluens pus album sit, æquale & concoctum bonum est, & felicem eventum portendit; si vero tenue, fœtidum, & sanguinolentum malum, & sanationis spem admodum infringit.

Empyema quod Pleuritidem, aut Peripneumoniam consequitur longe deterius est, quam quod vulnus vel vasis cujusdam pectoris rupturam; nam hujus consectaria ut plurimum bona prodire solent maxime si vulnus admodum pulmones non penetraverit; illius contra sæpenumero in Marasmum, in febrem lentam, atque in Phthisin exeunt.

Quando Chirurgi specillum aureum vel igneum colorem a pure recipit malum est, juxta *Hippocratem*, quia hujusmodi colores summam puris simul instrumento fortiter adhærentis acrimoniam ostendunt.

Curatio per Paracentesin. *Art.* 548. Tota Empyematis curativa methodus lateris perforatione innititur, maxime si evidentia signa habeantur eamdem utiliter suscipi posse; secus in re dubia laudabilius est, aliquandiu protrahere, quam imprudenter ac temere operatione instituta suæ famæ perperam morem gerere, ægrumque in gravius discrimen pro-

protrudere. Ubi eo usque completum esse Empyema innotuerit, ut nullus dubitationis locus maneat mox manus operi admovenda, latusque perforandum, ut hac pus in pectoris cavitate congestum ægredi possit, atque hujus operationis methodus apud laudabiliores neotericos, qui eamdem accuratius descripserunt, consulenda.

Nonnullæ observationes huc facientes.

Art. 549. Dum operatio expeditur, hæc duo animo sunt diligenter perpendenda. Alterum ut pus sensim, & reiteratis vicibus educatur, quia cita nimis ac plenior evacuatio a tanta virium exinanitione exciperetur, ut æger protinus occumberet; alterum cavendo quo magis fieri potest, ne aer per factum vulnus pectoris cavitatem subeat, quia vix hic puri miscetur, ejus fermentatione mirifice aucta acerrimam putidamque facit corruptionem. Quamobrem ad hujusmodi inconveniens opportune vitandum, vel saltem inhibendum bis terve in die haberi injectiones decocti cujuslibet vulnerari in thoracis cavitatem laudamus, quæ etiam in usu trahi debent, intuitu nimis densum pus diluendi. Ubi perspectum erit pus nimis tenax viscidumque esse, decoctum, seu aqua vulneraria sequenti ratione comparabitur.

℞. Fol. agrimon. absynth. min. ana man. j. summit hyperic. ros. rub. ana man. semis, uvar. passul. un ʃ e m. aq. font. q. s. ebull. ad consumpt. tertiæ partis, dein colat. lib. j. adde mel. rosat. unc. j. ʃ.

Injectio vulneraria.

Quo liquore toties fit in thoracem injectio quoties puris densitas exigit, dando operam ut ægri corpore post injectionem paulo agitato omnia intus misceantur, pus promptius diluatur, & interior cavitas exactius purgetur; ea demum situatione locabitur æger, ut facilius immissa injectio cum pure possit effluere.

Practicis nonnullis usuvenit pro quavis alia inje-

injectione aquam hordei cum *oxymelite*, & *melle rosato* usurpare, alii vero supradictæ decoctioni *Aristolochiæ*, & *Gentianæ* radices addunt.

Præter injectiones ad puris exitum expediendum laudatas, comendamus etiam opportunum aliquod Emplastrum suppurationi adjuvandæ gratia parti affectæ applicare.

Dum operatio instituitur si desiderium incedat cognoscendi, an quod emanat purum sit pus, an vero materia tantum purulenta, nihil aliud præstandum est, quam ut partem quamdam effluentis liquoris in aquam dejiciamus, quæ si fundum petat pus merum indicabit, quod ratione substantiæ terrestris gravitate sua facile descendit; si vero supernatet, erit tantum materia puriformis, quæ aliorum liquorum mixtione mero pure levior apparet.

Remedia interna. *Art.* 550. Ceterum, ut massa sanguinis refrigeretur, & quidquid in ea acris, & salini reperitur temperationem subeat, exhibebuntur identidem ægro emulsiones, vel julapia; ut sequitur.

Emulsiones. Emulsiones, inquam, eadem methodo componi poterunt qua recensitæ supra fuerunt in Pleuritidæ. His si pertinaces vigiliæ, aut vehementes dolores urgeant, addere Narcotica licebit. Julapiorum vero formulæ ita se habent.

Julapium seu Apozema. ℞. *Rad. alth. glycyrrh. ana unc.* j. *fol. bugloss. capill. vener. borrag. polytr. ana man.* j. *sem.* 4. *frig. maj. unc.* j. *flor. borrag. pap. rhœad. violar. hord. ana pug.* j. *aq. font. q. s. coq. ad consumpt. tertiæ partis dein in colat.* ℔j. *dissolve syrup. jujub. vel violar. unc.* iij. *fiant tres partes, quarum alteram mane alteram vero vespere æger propinet.*

Pro hujusmodi Julapiis aquæ destillatæ identidem adhiberi possunt, quomodo sequens formula ostendit.

℞. *Aq.*

℞. *Aq. destill. pap. rhœad. lil. convall. ana unc.* iij. *vel tantumdem aq. destill. rosar. in quib. dissolv. syrup. capill. vener. vel tussilag. unc.* j. *sp. sulph. parum. m. f. julapium vespere sumend.* *Aliud.*

Interea alvus clysterum ope lubrica servanda est, qui decoctione parantur foliorum Malvæ, Parietariæ Lactucæ addito parum hordei, cum manipulo furfuris, tum etiam electuar. catholic. & melle rosato. *Clysteres.*

Subinde etiam blandis laxativis purgandus æger, ut inde pars quædam febrilis materiæ evacuetur. Quamobrem *Laxativa alvum.*

℞. *Senn.* ʒij. *tamarind. unc. sem. pulp. cass. unc.* j. *ros. pallid. parum crystal. miner. vel sal. prunell.* ʒj. *aq. font. unc.* viij. *infund. per noct. super ciner. calid. mane in colat. unc.* v. *dissolv. mann. unc.* j. *pro potione ægro exhibenda.*

Atque identidem dandam ei aliqua potio vulneraria, præcipue si Empyema alicui graviori vulneri supervenerit, vel etiam si ab ingenti conatu ortum fuerit, ob vasi cujusdam in pectore ruptionem. Quæ sequitur opportunam judicamus.

℞. *Hord. integr. man. sem. fol. agrimon. pimpinel. millefolii, saniculæ, consolid. maj. ana man. sem. pilosell. parum summit. hyperic. tantumdem ros. rub. pug.* j. *aq. font. q. s. ebull. ad consumption. tertiæ partis. In colatur. dissolv. syrup. ros. sicc. unc.* j. *vel* ij. *cujus subinde aliquod cochleare ægro porrigetur.* *Potio vulneraria.*

Si vero non obstante horum remediorum usu æger in marasmum, vel Phthisin ruat, præscribetur ei asininum lac, & per hujus usum omni decimo die infusione sennæ cum manna purgabitur.

Hac ipsa methodo tractandus quoque est, si forte habita thoracis perforatio in fistulam degeneret, cum nihil utilius sit hisce in casibus lacte.

Inter

Inter legendum & observandum.

Art. 551. Signa effusionem puris in cavitatem thoracis connotantia ex accurata descriptione quam D. *Verduc* dedit in suis *Chirurgicis Operationibus* hujusmodi sunt:

Accurata descriptio signorum Empyematis.

Tunc cognoscimus, inquit, in pulmonibus, vel in pleura abscessum generari, quando Peripneumonia, vel pleuritis consuetis remediis minime obtemperans diem decimum quartum; prætergreditur, absque eo quod ullum concoctionis signum, aut per sputa, aut per sudores, alvum, & urinas efferat. Hisce stantibus abscessus generatio die vigesimo quinto, vel trigesimo attendenda est, citius vel serius etiam, pro ratione virum, ætatis, & temperamenti ægrotantis, vel habito respectu magnitudinis morbi, vel anni temporis. Abscessum jam perfectum cognoscimus, quando nulla habita secretione per necessitas vias; febris & dolor una cum aliis symptomatis iminuuntur, & aliquandiu conquiescunt; ægrotusque minus gravatus sed aliquantulum melius se habere videtur. Si vero paulo post dolores oppressionesque revertuntur, etsi non adeo vehementes, vel si febris exacerbatur, & renovat., atque crebris sociatur rigoribus, & cum tussi conjungitur, vel si æger sudores maxime nocturnos habet; vel demum si dolor gravativus evadit, & cum sensu ponderis; hæc vero omnia abscessum denotant. Cognoscitur abscessum inter utraque pleuræ laminas esse, quando prægressa symptomata, vehementia fuere ex. gr. si febris acuta admodum præcessit, dolores vivissimi, tussis prorsus sicca, ullo absque excreatu, quæ omnia respirationem dolorosam simul efficiunt. Cognoscitur abscessum

ſum pulmones tenere: ſi levior fuit febris, dolor obtuſior, oppreſſio major quamvis minus doloroſa reſpiratio, tuſſis vero frequentior, & validior, ſputum ſane ſanguineum, & purulentum &c. ægreque inter tuſſiendum, & excreandum meticuloſior & triſtior. Cognoſcimus item abſceſſum intra pectoris cavitatem erupiſſe; quando æger dolorem gravativum percipit in loco diaphragmatis, præcipue verſus coſtas ſpurias, de quo nihil prorſus antea quærebatur; & ubi ſedendo hunc ipſum dolorem augeri ſentit, atque inde reſpirationem difficiliorem fieri; Si in latus decumbendo, in quo antea ſemper doluit, levamen aliquod experitur, contra vero ſi in latus appoſitum, in quo nihil mali paſſus eſt, materia, quæ in alterutra Thoracis cavitate fluctuare ſupponitur, Mediaſtinum premendo ſenſibiles dolores ibidem cum inſigni reſpirandi labore parit. Quodſi extravaſatio utramque cavitatem pectoris teneat in neutro latere decumbere æger poterit, quin a recenſitis moleſtis magis non vexetur, unde commodior decubitus hoc in caſu ſupinus erit, nec ſedere utique valebit ob ſenſum ponderis, & doloris totum diaphragma occupantem, quod in hoc ſitu adeo opprimetur, ut reſpirationis munus exerere nequiverit, niſi ubi effuſæ materiæ quantitas admodum pauca reperiatur.

Art. 552. Evenit aliquando ut pus a Thorace contentum per urinæ vias immutatum egrediatur, quod ſane circulationis legi referre non dubitamus, quia venarum abſorbentium orificia, quibus undique Thoracis cavita ſcatet illud ſatis liquidum haurire poſſunt. Neque dubitamus inquam, ita ſe rem habere, cum nullibi aliæ viæ prodeant, per quas natura pus a Thorace ad renes detrudere poſſit. Obſervatione dignum eſt *Pus per urinas.*

hu-

hujusmodi effluxum in suppuratis Pleuritide ut plurimum contingere, in quibus pus, quod generatur, liquidum esse solet, & inconcoctum.

Idem per homoplatas. *Art.* 553. Refert *VVillisius Pharm. Rational*: cauterium intra homoplatas inustum, purulentam hanc materiam aliquando egregie eduxisse; sed specialis tantum est casus, a quo regula formari potest nulla. Quænam amabo via ex Thorace ad scapulas datur? Et licet dixeris per poros, & fibrarum interstitia transire hanc materiam posse, quia totum corpus permeabile est, & perspirabile juxta Hippocratis effatum; non tamen Aphorismo huic semper se alligari patitur Statura; sed rarioribus observationibus hæcce puris evacuatio æque annumerari debet, acubi per renes, & vesicam, aut per secessum eadem succedit. Ne tamen nihil omnino egisse videamur, si fortase æger respuat *paracentesin*, excitetur in eo hujusmodi fonticulus, exhibeanturque simul resolventia, diuretica, aut blande laxativa, ut si forsan per quoddam emunctorium deducere pus sponte vellet natura, in subsidium ista opportune adhibita nanciscantur. *Langius*.

Ptisana. *Art.* 554. Methodus ab Auctore Lexici Medici Gallice conscripti laudata, ut pus a cravitate pectoris per urinæ vias egrediatur, ita se habet. Æger primo utatur sequenti Ptisana.

℞. Sassaf. frustulatim incisi unc. j. inf. in aq. fervente dein parum bull. tum add. Heder. terr. Pulmonar. man. sem. iterum bull. parum & in fine add. Glycyrrh. par.

Deinde hauriat æger fumum ex decoctione fol. & flor. Tussilag. aqua incoct. ter in die, quod, ut facilius exequi possit, caput ejus tela laxe deorum fluctuante obtegitur. Hujusmodi remedium seu suffumigium prodest tantum, ubi absces-

abſceſſus pulmonem occupet, pro quo interim bis in die ſequens decoctio propinari jubetur.

℞. *Fol. Tabac.* ʒj. *aq. unc.* xiv. *bulla parum, dein probe tecto vaſe infuſio in loco frigido relinquitur. Hujus doſis eſt unc.* j. *vel bina cochlearia, adduntur que ol. tartar. p. d. gutt.* jv. *ſingula vice. Decoctio hæc tepide hauritur.* *Alia decoctio.*

Adhiberi etiam cæpa ſquill. poſt aqua cocta, cujus decocti cyathus mane, & veſpere ægro propinatur. In aquæ menſuram h. e. unc. xvj. cæpæ ſquillæ unc. iv. ebulliendæ injiciuntur. Si cancri fluviatiles facile comparari poſſunt, eorum tres vel quatuor cum jure incoquuntur in quo Agni vel Vitulli caro aut Bovis ſplen cum macriori pullo, hordeo, & caricis infarcto, ebullit. Nec affirmare erubeſco, quod ſi diu in hoc regimine perſiſtatur curationem proſperum exitum obtenturam. In alvi ſtipticitate clyſteres injicientur ex furfuris decocto, cum ſalis culinaris pugillo.

Art. 555. Mox ac comperietur febrem deſiviſſe aliaque ſymptomata conticuerint Lac ægro ſequenti ratione temperatum porrigetur. *Lactis uſus.*

℞. *Rad. ſcorzoner. fol. ſcabioſ. hord. integr. ana man.* j. *aq. font.* ℔ iv. *ſem. bull. per horæ quadrantem, dein tantumdem lactis adde cremore ſuo bulliendo ſcorſim exuti, & in hac mixtura diſſolve mellis optimi q. ſ. ad gratum ſaporem.*

Art. 556. Potio hæc mane ſtomacho jejuno, atque veſpere trihorio a cena propinatur, quæ inſuper in Rheumate, Siccitate pectoris, & catarrhis excellit. *In Paracenſi notanda.*

Supra recenſita Empyematis ſigna non ſolum ad cognoſcendam morbi naturam dirigunt; verum etiam connotant utrum operatio perforationis ſit neceſſaria. Nam inutilis quidem eſſet in pulmonum Empyemate ubi Thoracis perfo-

ratio ad materiæ evacuationem incassum adhiberetur, excepto tamen si abscessus pulmonum superficiei insideret, absque eo quod viscus pleuræ adhæreat; quo casu abscessus ad locum doloris exactissime correspondet. Quodsi abscessus profundiora teneat, nec dolore fixo ad hunc ipsum locum correspondente patescat, tunc operatio frustranea prorsus ac inutilis foret.

Præcipua in hac operatione cautio est, ut commodior situs eligatur pro faciliori materiæ defluxu. Etenim in Empyematis casu duo in Thorace notantur loca, ubi perforatio institui potest utiliter; alterum, puta, *necessitatis* alterum electionis; necessitatis illud quando apostematis situs, ut in abscessu pleuræ, aut in eo pulmonum eidem pleuræ adhærentium, evidentissime ad extra apparet: electionis alterum quando nihil magis determinat, ut in uno potius quam in quovis alio loco perforatio instituatur. Hoc vero casu commodior situs eligitur h. e. ad posteriorem inferioremque Thoracis partem inter tertiam quartamque spuriam costam numeratione ducta ab inferiori ultima cum distantia quinque transversorum digitorum a spina dorsi. Si operatio hæc habenda sit in ægro admodum pingui, vel qui insigni teneatur emphysemate adeo ut metus sit ne costarum numerus rite supputetur, tunc necessarium erit angulum inferiorem Omoplatæ quærere, & infra eum ad quatuor digitos transversos, & procul a spina dorsi quinque digitos perforare.

Observandum item est in iis diuturno pectoris morbo, & longa pleuritidem vexatis diaphragma insensibiliter costis adhærere, adeo ut ad tertiam quartam, & quintam usque ascendat, maxime si frequentior respiratio fuit, & concitata. Ideo quærendum est diligenter de situ doloris,

loris, atque hoc illud est antequam operatio suscipitur, quod accurate cognosci debet.

Quando pleura, in eo situ, qui post inflammationem in abscessum abiit, pulmonibus adhæret; pus, quod tunc ad diaphragma usque descendere nequit, erosis intercostalibus musculis viam sibi quandoque ita expedit, ut externum tumorem quoque efformet, quo disrupto evacuatur; sicque ex prava causa salubris effectus producitur.

Quantum demum ad modum, quo perforatio absolvi debet, unde puri, sanguini, vel aquæ a Thoracis cavitate contenti exitus expeditur, consulendi sunt hac de re, tum etiam de iis quæ postmodum peragenda sunt, doctiores Chirurgiæ Scriptores in primis vero Neoterici: quales sunt *D. Verduc*, *Dionis*, la *Charriere*, sed maxime *D. Garengeot Tom. II. cap. 6. pag.* 376. *& seq. secund. edit.*

PHRENITIS & PARAPHRENITIS.

Hippocratis sententia.

Art. 557. PHrenitis ubi apprehenderit febris primum debilis detinet, & dolor circa præcordia maxime autem dextera, ut ne contingi quidem permittant; mente moventur ægri, & intentis oculis vident, & alia similia faciunt his, qui peripneumonia affecti mente laborant; nam quemadmodum facilis est transitus a pleura ad pulmones, sic ex pulmone ad phrænes: sive ad septum transversum (seu diaphragma). Cum autem quarta aut quinta dies advenerit, febris fortior fit, & dolores augescunt & color subbiliosus efficitur, & mens percellitur. Si hic morbus a mota bile veniat visceri- *Phrenitidis Diagnosis.*

 bus,

bus, & septo transverso insidente, judicatur brevissimus septima die, longissimus undecima, quem effugiunt pauci, transitque etiam in peripneumoniam, & si transierit pauci effugiunt.

Prognosis mala. *Art.* 558. A pleuritide in peripneumoniam atque inde in phrenitidem malum est. Urinæ decolores nigra innatantia in medio habentes Phrenitidem cum vigiliis, & turbatione significant. Stillatio e naribus in hoc morbo perniciosa, tum alias, tum si quarto incœperit die, nec non malæ sunt egestiones alvi albæ. Phrenitici parum bibentes, strepitum valde percipientes, tremuli aut convulsi fiunt. Tremores autem hic sunt lethales. Mansuetudo in principio, & frequentes permutationes convulsoriæ, & alvi profluvium rubicundum mala sunt. Quicunque supra quadraginta annos phrenitici fiunt, non ita valde sanescunt: minus enim periclitantur quorum naturæ, & ætati morbus affinis fuerit. Floccos de vestibus evellere, aut paleas de pariete detrahere lethale.

Prognosis bona. *Art.* 559. Cum phrenitide atrabilariis occupatis si hæmorrhoides oboriantur, bonum. In hoc morbo insomnia evidentia bona. Tanto minor insania, & delirium fit, quanto paucior & debilior est bilis quam pituita.

Curationis methodus. *Art.* 560. Hoc morbo affectum calefacere oportet calefactionibus humidis, & potionibus excepto vino; mollito enim corpore, sudor quoque magis sequitur, & alvus & urina secedit. Caput multa calida lavare conducit, & si quidem fieri poterit sursum purgare, & per tussim ac spuitionem educere oportet quemadmodum in peripneumonia, sin minus inferna alvus præparanda est, ut egerat. Morbus autem lethalis est; moriuntur enim tertia, aut quinta, aut septima die, si vero leniter corripiat veluti peripneumonia judicat.

Sal-

Ballonii sententia.

Art. 561. In doctrina Hippocratis triplex phrenitis reperiri potest. Una vera in inflammatione, & alteratione cerebri posita; altera impropria quæ obscura dicitur, quæ in alienatione temperamenti cerebri, non solùm in alteratione consistit, & eo modo se habet ad cerebrum, quo febris hectica ad corpus febrile & hecticum, unde in Prorrh. ait Hipp. *Tremulæ, blandæ, obscuræ, & contrectantes desipientiæ valde sunt phreniticæ*; tertia etiam impropria est, ut quum quis phreniticus quidem est, sed non valde insanit, nec ea facit, quæ vere phreniticus; id porro fit, quoniam præter humorem biliosum desipientiam facientem, est crassus alius & frigidus, qui inducit aliquid comatodes; unde iterum Hipp. 3. Epid. *Nullus phreniticorum vehementer insanivit, velut aliis usuvenit, sed alia quadam veternosa in somnum inclinatione capite gravati peribant*. Et hi phrenitici obscuri vocantur, & id sæpe vulgo ignotum, & medici eos demum vocant phreniticos, qui clamant, & exsiliunt. In obscura ea (Phrenitide) virium languor est, & hectica quædam affectio Phrenitidis: Iddem contingit, quod lanis tinctis, quæ colorem non deponunt, ita quidem hæc affectio cerebro impressa hectico modo vix elui potest, quare Hipp. memorat *Quibus convulsis oculi fixi relucent, non apud se hi sunt; & diu ægrotant*.

Phrenitis triplex.

Phreniticorum desipientia pessima.

Art. 562. In lib. *Paradigmatum* hunc habet casum: Nobilis phreniticus per novem dies decubuerat. Nulla arte conciliatur somnus, circa nonam noctem omnia exacerbata. Exsiliebat, & medico assidenti manum afferre volebat. A-

Phreniticus quasi miraculo sanitati restituitur.

ministris in lectum conjectus est, fingit se dormire. Inopinato e lecto surgit, & e sublimi fenestra, in medicum, qui in area stabat, incidit præceps. Miraculo sanitati restituitur. Putant casu discussam materiam, copiosæ urinæ fluxerunt, simile quid apud Hipp. lib. 5 Epid. Cuidam crurum rigor erat, & diuturnus: forte in lapidem cecidit, læsum caput est, vertigo oborta est, desiit malum vetus.

Veternosa phrenitis duplex. *Art.* 563. Et *in Defin. Medic.* Ut plurimum phrenitidem contingit esse conspicuam, ut quum ægri ejulant, vociferant, floccos carpunt, mordent, prosiliunt, aperteque delirant. Est & alia in qua delirii quidem summa sunt omnia, sed manifestis illis notis sese produnt minime. Et ea sæpe cum veternosa est affectione, quæ si non adesset æque petulantes, vehementesque ægrotantium impetus forent. --- Porro veternosa affectis bifariam adesse potest.

Art. 564. Vel pituita cerebrum occupante per se aut cum alio humore; unde part. 1. lib. 1. *Prorrh. sect.* 1. Dum, ait, malum esse si comatosi phrenitici quarto die exacerbantur, significat, ait Galenus, jam non a sanguine malum esse: quia si illud sanguis adduxisset, verissimile esset, aut natura juvante, aut Medici ope copiam sanguinis detractam diminutamve esse: tunc autem cum quarto die, quo malum cessare debet, illud increscat, dominantis pituitosi humoris argumentum est.

Art. 565. Secundo modo veternosa quodammodo phrenitis esse potest per alienationem temperamenti, humidique absumptionem novo quodam affectionum successu; Itaque subindicat Hipp., obscure tamen, delirium bifariam succedere posse aut alterato tantum cerebro, aut alienato. Alienatio autem alteratione longe deterior

terior est. Atque talem phrenitin cum parvo pulsu languido ac angusto existere asseverat Galenus *in Comm.*, oppressa nimirum jacente, ac fatiscente facultate. Et qui assident ægris, dum ægrum non dimoventem se vident ac taciturnum, brevi cum eo bene actum iri credunt, quum mors tamen proxima instet.

Art. 566. Si in ardente febre aurium sonitus cum caligine, proveniatque in naribus gravitas, mente ex melancholia ægri aberrant. Galenus hunc Hipp. locum explicat de febre ardente cujus focus est in cerebro propter collectam in eo bilem, quæ inflammationem excitat. Eaque febris distinguitur ab altera, quæ fit non coacervata in cerebro materia, sed in venis inferioribus reside, a qua flatuosa exspiratio suscitatur, delirium excitans. Nam cujus febris ardentis materia in cerebro mansionem habet, ea continuam habet desipientiam, & symptomata non ita sunt fugacia. At quæ ardens febris materiam habet in aliis partibus, non habet desipientiam assiduam. Prior febris phrenitidi simillima est ob symptomaton cognationem. Sed in phrenitide simptomatica, ea est febris, quæ adest. Præterea ardens febris primario cerebri affectu contracta fere statim insilit, apparetque. Phrenitis non tam cito, sed tempore acquiritur. Ita enim Galenus phrenitis, ait, paullatim accidere solet, non autem quiescere subito, atque confertim. Immo ne in declinatione quidem febris deliria quiescunt, quod aliter contingit in iis febribus, quarum deliria sunt symptomata tantum, prout enim mansuescit febris, ita & deliria.

Phrenitis symptomatica & idiopatica.

Celsi sententia .

Phrenitidis definitio.

Art. 567. *Phrenitis* a Græcis dicta, insania est acuta, & cum febre. Illud ante omnia scire oportet, interdum in accessione ægros desipere, & loqui aliena. Quod non quidem leve est, neque incidere potest, nisi in febre vehementi, non tamen æque pestiferum est. Nam plerumque breve esse consuevit, levatoque accessionis impetu, protinus mens redit. Neque id genus morbi remedium aliud desiderat, quam quod in curanda febre præceptum est.

Plenior ejusdem descriptio.

Art. 568. Phrenitis vero tum demum est, cum continua dementia esse incipit, aut cum æger, quamvis adhuc sapiat, tamen quasdam vanas imagines accipit; Perfecta est ubi mens illis imaginibus addicta est. Ejus autem plura genera sunt. Siquidem ex phreneticis: alii hilares, alii tristes sunt, alii facilius continentur, & intra verba desipiunt, alii consurgunt, & violenter quædam manu faciunt: atque ex his ipsis: alii nihil nisi impetu peccant, alii etiam artes adhibent, summamque spem sanitatis in captandis majorum operum occasionibus prebent, sed exitu deprehenduntur. Ex his autem eos, qui intra verba desipiunt, aut leviter etiam manu peccant, onerare asperioribus coercitionibus supervacuum est; Eos vero qui violentius se gerunt, vincire convenit, ne vel alteri, vel sibi noceant. Neque credendum est si vinctus aliquis, dum levari vinculis cupit, sanum jam se fingat, quamvis prudenter, & miserabiliter loquatur, quoniam is dolus insanientis est.

Methodus medendi, & regimen.

Art. 569. Fere vero antiqui tales ægros in tenebris habebant, eo quod eis contrarium esset exter-

exterreri, & ad quietem animi tenebras ipsas conferre aliquid judicabant. At *Asclepiades*, tamquam tenebris ipsis terrentibus in lumine habendos esse dixit: neutrum tamen perpetuum est. Alium enim lux, alium tenebræ magis turbant, reperiunturque, in quibus nullum discrimen deprehendi vel hoc, vel illo modo possit. Optimum itaque est utrumque experiri, & habere eum, qui tenebras horret, in luce, eum, qui illum, in tenebris. At ubi nullum tale discrimen est, æger si vires habet loco lucido, si non habet, obscuro continendus est.

Art. 570. Si vires ægri patiantur, sanguis mitti debet. Nec minus deliberari potest an alvus ducenda sit: tum interposito die convenit caput ad cutem tondere, deinde aqua fovere, in qua verbenæ aliquæ incoctæ sint, vel ex reprimentibus: aut prius fovere, deinde tondere, & iterum fovere, ac novissime rosa caput, naresque implere, offerre etiam naribus rutam ex aceto contritam, movere sternutamenta medicamentis in id efficacibus. Si vero virium imbecillitas est, rosa tantum caput, adjecto serpillo, similique aliquo madefaciendum est. *De sanguinis missione, aliis remediis capiti admovendis.*

Utiles etiam in quibuscumque viribus herbæ duæ sunt, *Solanum*, & *Muralis*, simul ex utraque succo expresso caput impleatur. Cum se febris remiserit, frictione utendum est, parcius tamen in his, qui nimis hilares, quam in his, qui nimis tristes sunt.

Art. 571. Adversus omnium autem sic insanientium animos, gerere se pro cujusque natura necessarium est. Sæpius assentiendum, quam repugnandum est, paulatimque, & non evidenter ab his, quæ stulte dicentur, ad meliora mens ejus abducenda est. Interdum etiam elicienda ipsius intentio, ut fit in hominibus studio- *Quæ ad ægri animum spectant.*

diosis litterarum, quibus liber legitur, aut recte, si delectantur, aut perperam, si id ipsum eos offendit.

Vigiliæ temperandæ. *Art.* 572. Omnibus vero sic affectis somnus, & difficilis, & præcipue necessarius est. Sub hoc enim plerique sanescunt. Prodest ad id, atque etiam ad mentem ipsam componendam crocinum unguentum cum irino in caput datum. Si nihilominus vigilant hi, quidam somnum moliuntur potui dando aquam, in qua papaver, aut hyoscyamus incoctus sit; alii mandragoræ mala pulvino subjiciunt; alii vel amomum, vel cycamini lacrymam fronti inducunt. Neque alienum est, si neque sanguis antea missus est, neque mens constat, neque somnus accedit, occipitio inciso cucurbitulam admovere. Quæ quia levat morbum potest etiam somnum facere.

Cibus quid. *Art.* 573. Moderatio autem in cibo quoque adhibenda. Nam neque implendus æger est, ne insaniat, neque jejunio utique vexandus est, ne imbecillitate in cardiacum incidat. (Cardiacum morbus est contrarius Phrenitidi ex nimia imbecillitate corporis, quod stomacho languente, immodico sudore digeritur) opus est autem cibo infirmo, maximeque sorbitione, potione aquæ mulsæ, cujus ternos cyathos bis hyeme, quater æstate dedisse satis est.

Tralliani sententia.

Phrenitis exquisita. *Art.* 574. Phrenitis exquisita a flava bile nascitur eamque præcedunt vigiliæ continuæ, & intensæ, somnique turbulenti, ægri exiliunt, & somniorum imaginationibus interdum detinentur, ut etiam nonnulli se futura scire suspicentur, & velint prædicere. Præcedit etiam, ut ægri, quæ dicuntur, obliviscantur. Item cum res-

pon-

pondent ferociores ac iracundiores, quam prius apparent, magnam, & crebram refpirationem edunt, pulfus habent parvos, & duros, atque occipitio frequenter indolefcunt. Quodfi affectus increverit, fixis oculis cernunt, eofque admodum fquallidos, & rubentes habent, nec non pituita eis inhærefcit, ac lacrymæ ex utrifque profluunt. Si vitium magis intendatur, incipiunt & floccos carpere, & feftucas legere, neque refponfionem manifeftam dare poffunt, & linguam multo magis fcabram habent, febrefque ficciores, interdum & tremuli funt, & ægre fentiunt, ut etiam cum excitentur vix aut nequaquam exaudiant.

Art. 575. Phrenitis fpuria feu falfa a mixtione bilis cum pituita oritur. Hac detenti vigilant fimul, & in altum fomnum deferuntur, rurfufque paulatim delirant, & fomno alto, foporofoque oppreffi cum tumultu excitantur, & iis, qui eis loquuntur inordinata verba, & infaniam teftantia refpondent. *Notha seu spuria.*

Art. 576. Phrenitis inveterata ea eft, ob quam ægri, per initia quidem turbulenti fiunt, & furibundi, tanquam bile ftatim ad fuperiora tendente, & cerebrum excitante, poftea autem hecticis febribus ferè detenti æquabili temperie in totum cerebrum difperfa, non amplius valde perturbantur, & inordinata, furiofaque nugantur, fed jacent, neque vocem edere propter imbecillitatem potentes, neque decubitus figuram mutantes, neque valide exilientes, manus folummodo inordinate jactitant, nonnulli autem ipforum ne palpebras quidem, propter vires jam ante debilitatas aperire poffunt. Sin autem aliquando etiam aperiant, ubi paulifper refpexerint, ftatim rurfus propter infeftantem humorem connivent. Pulfus hic maxime imbecillis eft, durus, exiguus, & anguftus. *Inveterata.*

Art.

Phrenitidis curatio. *Art.* 577. In omnibus Phreniticis si vires robustæ sunt, & nihil aliud prohibet, sanguinis detractio adhibenda est tanquam primum omnium, & maximum futurum præsidium. Sin autem repugnet æger, quod sæpe accidit, ut nolit brachium porrigere, omnino conandum tandem est ex recta in fronte vena sanguinis missionem moliri. Deinde caput refrigerandum commendat, & vigilias exscindendas. Non solum autem vigiliis sed etiam febri mederi debet. Balnea item prosunt a quibus in posterum delirio, & affectu febrim incendente liberantur. Sin autem vires imbecillæ fuerint tunc maxime vitabis, inquit, ne quid corpori somnoque inducendo accommodum exhibeas. Nam in his qui infirmas vires habent, non vulgaris noxa, immo interdum mors talium potionem comitatur.

Vvillisii sententia.

Phrenitis quid. *Art.* 578. Phrenitis est desipientia continua, scilicet principum cerebri facultatum depravatio ab inflammatione meningum orta cum febre synocha. Huic morbo affinis Paraphrenitis dictus est diaphragmatis inflammatio.

Phrenitidis causa. *Art.* 579. Phrenesin potius febri succedere, & quia sanguis effervescens recrementa sua adusta capiti transfert, produci, *Hippocrates* olim, & nunc quisquam vel e plebe observat; in quantum, scilicet, febricitantis urina a turbida, & crassa, in tenuem & aquosam mutata Phrenesin imminentem indicat; cujus idcirco affectus caussa exinde colligitur, esse *materiæ febrilis* in cerebrum metastasis.

Quale morbi *Art.* 580. Ex dissectionibus patet Phrenesin non a me-

a meningum inflammatione oriri, neque Paraphrenesin diaphragmatis; sed Phrenitis definiri potest; *totius animæ sensitivæ sive spirituum animalium, quoad totam eorum hypostasin, phlogosis sive inflammatio;* & prout incendium vel a cerebro tantum, vel ab hoc simul & cerebello incipit, vulgo in *Phrenitida* & *Paraphernitida* distinguitur, quod tantundem est ac functiones animales spontaneas fere tantum & potissimum, aut una cum his vitales lædi. *revera sunt Phrenitis & Paraphrenitis.*

„ Phrenitis (inquit *Lommius*) his signis innotescit; febris urget acuta, atque continua, continuusque mentis error, modo his, modo aliis animæ vitalis actionibus; expeditus in omnem audaciam homo est, & vicissim tum vigiliis, tum somno difficili, turbulentoque impeditur, sic ut interrupta quiete protinus cum impetu e cubili prosiliat, vociferetur, ferociat, ac modo ploret, modo cantet, verbaque sine sensu, sine ordine proferat, interrogatus ab alio omnia aliena respondeat; oculi sunt mobiles, flammei, cruenti, squalidi, quos æger crebro perfricat, modo sicci, modo lachrymis perfusi; lingua aspera & nigra, dentes strident, sæpeque cruor e naribus aliquis fertur, & interdum posteriora capitis dolent; item manibus tremit, digitisque floccos vellit, & festucas e stragulis legit; urina est tenuis flammea, interdum etiam (quod pessimum) tenuis albaque est. *Signa diagnostica.*

Art. 581. Phrenitis, aut brevi tempore in salutem, aut mortem, cum febre terminatur; aut diu protracta & post febrem superstes, demum vel sanatur, vel in alios morbos, nempe, *lethargum*, aut *maniam*, aut *melancholiam* transit, vel demum in *desipientiam perpetuam*, fracto, scilicet, (quod ajunt) cerebro. *Prognosis.*

Art.

Curatio. *Art.* 582. Si Phrenitis in principio febris accidat, *venæsectio* locum habet, & *enemata* sunt præcipui usus, cataplamata pedibus admoveri debent ex *fol. rut. cham. verben. rad. brion. flor. papav. errat. cum sapone*; vel eorum loco *columbæ* vel *pulli* dum calent disciffi; pro siti restringenda bibat *Palmarii* potum divinum, scilicet *aquam fontan.* cum *succo limon.* & *sacchar.* vel emulsiones; *hypnotica* sunt caute usurpanda; in hoc affectu *placenta rosacea* vel *flores papaveris cum aceto & nuc. moschat.* capiti & temporibus cum fructu applicari potest.

Boerhaavii sententia.

Vera vel symptomatica. *Art.* 583. Phrenitis est vel *vera*, ubi cerebrum vel potius illius meninges utræque primario inflammatione afficiuntur cum delirio & febre acuta conjuncta, vel *symptomatica* ex metastasi materiæ febrilis in cerebrum.

Eventus. *Art.* 584. Phrenitis *vera* 3°, 4°, vel 7° die necat, vel abit in *maniam*, *lethargum*, *coma*, *catochen*; A *peripneumonia & ileo* lethalis; a *variolis* admodum mala.

Indicationes curativa. *Art.* 585. Hæmorrhagiæ quandoque morbum solvunt. In Phrenitide vera prodest *venæsectio* larga. „ Immo in hoc affectu (inquit *Dolæus*) ar-
„ terioromiam in temporibus institutam commen-
„ damus. „ Indicantur *diluentia* ex decoctis, *antiphlogisticis & nitrosis* affatim exhibitis, *laxantia* & *clysmata*, *capitis rasura*, *epispastica*, *cucurbitæ* in partibus inferioribus.

Sectio venæ jugularis. *Art.* 586. Certe in Phrenitide (*inquit D.* Fre-
„ ind) quæ febribus supervenit, sectionem *venæ*
„ *jugularis* quam maxime efficacem esse expertus
„ sum, cum alia remedia minus commode res-
„ ponderint: neque efficacem tantummodo, sed

„ &

„ & adeo tutam, ut valde mirer aliquid de ef-
„ ficiendi difficultate; nedum periculo apud scri-
„ ptores inveniri; nam hæc vena, uti nullo fe-
„ re labore secatur, ita & secta facillime o-
„ mnium sanescit. (Frequentissime etiam in
„ aliis capitis morbis gravioribus in praxi mea
„ *jugularem* secui.)

Art. 587. Paraphrenitis est morbus *Pleuritidis* similis, ubi diaphragma vel saltem ejusdem margo vere inflammatur, & longe frequentior est, quam vulgo creditur; cognoscitur ex febre continua; dolore inflammatorio in inspiratione maxime urgente; hinc respiratio sublimis, celeris, suffocativa, delirium perpetuum, convulsio, furor, gangræna, (symptomata omnia atrociora quam in *Pleuritide*); & licet totum malum cognitum sit, insuperabile tamen. *Paraphrenitis quid.*

Ettmulleri sententia.

Art. 588. Phrenitis moderno usu vocabuli est delirium intensissimum membranarum cerebri inflammatione ortum cum febre peracuta; veteribus *Sphacelismus* seu *Sphacelus cerebri*; est malum ut plurimum lethale, 3°, 4°, vel 7, die interficiens; Lethalem phrenitidem denuntiant dyspnœa, facies cadaverosa, sudor syncopticus, lingua & manus tremulæ; stridor dentium, stillicidium narium, &c. si in principio morbi acuti de dolore in bulbis oculorum conqueruntur ægri, funestissimum est signum, mox enim *delirium* & *convulsiones* aderunt, quod sæpius observavi; convulsiones superveniunt, quando inflammatio cerebri incipit abire in gangrænam. *Phrenitis affectus.* *Plerumque lethalis.*

Art. 589. Cura nil habet peculiare præ cura in febre acuta cum delirio; Tinctura *papav. rhœad.* effervescentiam sanguinis compescit; item *Cura.*

cam-

camphora & *nitrum*; quando ab alio morbo pendeat, curato morbo primario delirium cessat; ideoque *sudorifera* & *alexipharmaca*, sunt propinanda, in *tinctura bezoardica*, &c. In febre ardente decoctum *tamarind. epithemata* etiam plantis pedum conducunt.

Acida, &c. *Art.* 590. „ *Blandiora acida* & *cinnabarina* „ *cum emulsionibus* inter interna remedia omne „ tulerunt punctum in phrenitide ex præcepto „ *Vvaldschmidii.* „

Septalii sententia.

Phreniticis statim vena secanda. *Art.* 591. Vix in Phrenitide lenienti per os assumendo, ad deturbanda excrementa, in primis viis existentia, prima die locus datur, sed molli clymate injecto, si ejus etiam commoditas detur, mittendus est sanguis, secta in brachio vena: cum enim influxus jam desierit, aut majori ex parte factus sit, frustra hoc auxilium revulsorium tentamus.

Cave autem ne in Tralliani, & aliorum errorem incidas, qui cum ob maniacos motus sanguinem e brachio detrahere nequeant venam frontis secant; si enim copia adsit sanguinis in laborante, ut in hujusmodi morbo majori ex parte contingit, tantum abest, ut laboranti opem feras, ut potius, attracto ad laborantem partem sanguine, morbum adaugeas: revellandus igitur potius, aut scarificatis cucurbitulis, aut, quod melius esset, venis sedis apertis.

Sed sanguis non mittendus usq; ad animi deliquium. *Art.* 592. Neque etiam in hoc casu ad animi usque deliquium mittendus est sanguis, quod plerisque placuisse video; quod, cum repellentibus frigidis ab initio etiam usi simus, refrigerato toto, ac a capite retracto adeo multo sanguine calido, sæpenumero, aut phrenitis hecti-

ca

ca inducatur curatu impoſſibilis, aut lethargus ſubſequatur.

In vena frontis ſecanda adſtrictio illa gulæ, quæ fit, ut vena intumeſcat, aut non multum ſit violenta, aut quam breviſſimo tempore perficiatur; ne quodammodo ad ſuperna repulſo ſanguine, ubi ad cerebrum, & meninges pervenerit, morbum adaugeat, aut ſane, eodem incraſſato, magis contumacem efficiat.

Art. 593. Cucurbitulæ quæ bregmati, fronti, & reliquis capitis partibus, poſt evacuatum corpus affiguntur, ad extra trahendam materiam, arentes non ſint, & cum flamma, ſed ex aqua calida, nec longiori tempore hæreant; & ſi ſubjacens pars in ruborem abierit, leviter eam ſcarificabimus; ſin minus, ſpongiis ex aqua tepente ſubſtratum, & elevatum locum fovebimus. *Poſt appoſitas cucurbitulas quid faciendũ?*

Art. 594. Cavendum in hoc morbo, ne in eorum errorem incidamus, qui ab initio non eſſe purgandum cenſent, ſed expectandam eſſe coctionem, maturatio magis putredinem jam factam ſupponit, quam corrigat; quo tempore, facto jam apoſtemate morbus evinci vix poteſt: eodem igitur vel altero die purgandum &c. *Alvus purganda ab initio.*

In iis qui alvo duriori ſunt, rhabarbaro non ita facile utendum: ſi enim ſimul cum bile non educitur, efferveſcentem magis bilem reddit, facillimeque ſupernis partibus ob igneas partes communicari ſolet; & ob hanc unam cauſam Avic. grana quatuor, aut ſex ſcammonii medicamentis ex rhabarbaro indidiſſe in phrenitide curanda cenſendum eſt quidquid dicant Græculi quidam, acriores Mauritanorum ſcriptorum reprehenſores.

Art. 595. Quamvis in hoc omnes fere conveniant ſimpliciter refrigerantibus, ſoliſque repellentibus prima tantum die eſſe utendum, ut *Repellentia aliquando adhibenda.*

repellatur influens succus, æstus, & partis, & influentium humorum temperetur, dolor sedetur, & afflictæ parti robur addatur, sequentibus vero diebus miscenda esse aliqua resolventia; sæpissime tamen aliter faciendum esse, quod urgeant in augmento adeo symptomata, æstus, dolor, vigilia, & mania, ut frigidissima etiam progressu temporis in usum duci debeant Aretæus admonuit.

Cavendum tamen ne nimis assidue iis utamur frigidissimis, aut narcoticis: nam dicebat Aver. 3. *Collect.* 3. caput tuto calefit, at non citra pericula refrigeratur; periculum enim impendet; ne quem dormire volumus; postea excitare non possimus, ut ait Celsus: sæpe enim in lethargum calamitosum abire solent, ex sola mala curatione phrenitidis.

Externa qualia? *Art.* 596. In topicis etsi acetum in aliqua portione admisceri expediat, ut & refrigeret, repellat, & penetrationem adjuvet; neque tamen multum admiscendum est, ne siccatione vigilias concitet; neque acrius, quod calidæ partes, & siccæ nimium prævaleant.

Neque tamen placet, quod a plerisque recipitur, ut aceti loco, acido citri, aut limonum utamur; nimium enim adstringit, & ob acerbas terrestresque partes neque pervadit, neque admixtorum penetrationem adjuvat: quin imo externos meatus constringendo, resolutionem humoris, aliis temporibus omnino impediet.

Inter legendum & observandum ex Schomberg.

Phrenitidis vocabulũ. *Art.* 597. Videtur usum apud Medicos veteres obtinuisse, ut partis affectæ nomini adderent terminationem *itis*; quando inflammato-

rium

rium in primis ejusdem partis morbum designare volebant, uti patet in Phrenitide, Hepatitide, Nephritide, &c.

Nihil magis periculosum, quam si solis radiis exposito capite quis dormiat. Memini (inquit *Van Swieten*) binos Messores, sanissimos certe, & robustissimos, intra binarium sic periisse, dum fœni acervo incumbentes, nudo capite meridiano soli exposito obdormivissent. *Ejus ortus ex solis radiis.*

Durum & nervosum Phreniticorum pulsum esse, monuit Galenus, quandoque etiam tremulus undosus, & inæqualis. *Pulsus in ea quid?*

Art. 598. Phrenitis non potest esse sine inflammatione membranarum cerebri; inflammatio autem membranarum cerebri potest esse sine delirio. Lacrymæ altero tantum oculo, vel ex utrisque, acres, paucæ, densæ, eorum angulis adhærentes, pessimi sunt ominis, tum quia minimum liquidi, tum quia argumento esse poterunt, ipsas non per secretionem naturalem effluere, sed potius villis erosis, aut lassatis, adeoque corpore jam ad dissolutionem tandente. *Prognosis ex oculis.*

Art. 599. Omnes homines qui dispositi sunt, ut facile incidant in Pleuritidem, & Peripneumoniam, facile Phrenitici fiunt. *Qui disponant in Pleuritidem.*

In omnibus morbis, ubi primus impetus febris incipit habere somnum turbulentum, cogitate, quod adsit levis incipiens inflammatio, hæc si per dies aliquot porrexerit, dabit perfectam Phrenitidem.

Si videam (inquit Boerhaavius) ægrum, & rogem, quomodo vales? & respondet. Quid tua refert? certi estote, quod tum intra unam horam erit ferox; hoc Medicum monere debet, ut tum adhibeat medicamenta contra Phrenitidem nondum natam.

Omnes morbi capitis qui ab inflammatione intestinorum ut causa, sunt pessimi.

Si in principio morbi acuti de dolore in bulbis oculorum conqueruntur ægri funestissimum est signum, mox enim delirium, & convulsiones aderunt; convulsiones superveniunt quando inflammatio cerebri incipit abire in gangrænam.

Ratiocinatio funditus tollitur in dementia; imminuitur in stultitia; depravatur in delirio.

Quæ eamdem præcedunt. *Art.* 600. Tria sunt quæ phrenitidem præcedere solent. Primum est, agitatio calidorum humorum, secundum est, eorum raptus in caput; tertium & postremum est, eorumdem humorum malitia, propter quam naturæ imperio inobedientes existunt.

Prognoses. *Art.* 601. Malum si phrenitis mutetur in lethargum, non ita si lethargus in Phrenitidem.

In delirio si superveniat alvi fluxus, præsertim morbo ad coctionem tendente, solvit illud: sæpiusque vidimus ægros deliros, inquietos, & anxios diarrhœa superveniente, sequente die in melius abiisse.

Alvi fluor prodest in hoc morbo, non quod morbosam materiam evacuat solummodo, sed etiam, quod dum humoribus huc ruentibus viscerum abdominalium vasa deplentur, & sanguini impulso minus resistunt, impetus & humorum copia pulcherrime a capite avertitur; quod magni momenti est, in curatione Phrenitidis. Hic morbus citissimam validissimorum remediorum applicationem requirit, cum ex sua natura adeo periculosus, & cito lethalis sit.

Maximi momenti in praxi est, ut in cura Phrenitidis symptomaticæ attendatur ad Genium morbi primarii ex quo orta fuit Phrenitis. Lingua nigra in acutis fere semper post se trahit delirium.

Fe-

Febres ardentes ſemper habent urinas tenues, & coloratas: hinc ſi tales urinæ fiunt albidiores, tenuioreſque, & adſint vigiliæ, oculorum perturbatio, lingua balbutiens, &c. prognoſticare poteris brevi futurum delirium.

Si Phrenitici ſint phlegmatici, furor non admodum vehemens, vireſque corporis infirmæ, non eſt dandum *Diacodium:* nam in iſtis caſibus ſemper nocet, interdum perniciosa ſunt opiata.

Urinæ ſubjugales i. e. craſſæ, & turbidæ in acutis morbis fere ſemper morbos capitis poſt ſe trahunt: ſi cum talibus urinis vigiliæ ſæviant, dolores capitis, lingua arida, & ardores viſcerum: prognoſticato adſtantibus brevi delirium futurum.

Art. 602. Curatio ad morbum, vigilias, & urinæ ſuppreſſionem eſt obvertenda. In illo venæ ſectio eſt unicum remedium: ſed & penna ad radicem inſtar ſtellæ effigiata, intra nares immiſſa, ac fortiter circumducta, copioſum aliquando eduxit ſanguinem. Præterea hypnotica repellentibus admiſceri, vel ſeorſim adhiberi debent. *Laudani opiati* gr. iij. in liq. convenienti, caute adhibita, ne phrenitis in veternum abeat, laudantur. Urinæ ſuppreſſio vel ſponte, vel quod ægri reddere negligunt, accidere ſolet, & fomentis emollientibus tollitur. Habent in iſto morbo uſum *Lunæ potabilis Hartmanni* gr. vj. pondere, *Pharmacum Phantaſticum Bartoleti*, cujus doſis a drach. j. ad ij. & *ſpiritus terræ ſigillatæ. Jonſtonus Med. pract.* lib. IV. art. 3. *Phrenitidis methodus curativa.*

INFLAMMATIO VENTRICULI.

Art. 603. Morbum hunc cujus diagnosin omnes ferme veteres practici præteriere sub titulo acutorum morborum *Venæ Concavæ* descripsisse Aretæum comperio, Fridericum vero Hoffmannum ex recentioribus titulo *febris stomachicæ*.

Aretæi sententia.

Inflammationis ventriculi Diagnosis.

Art. 604. Nascitur & circa venam hanc, ad quam omnia gastria vasa spectant phlegmone, quæ & ipsa si magna sit, celeriter hominem tollit. Ignis enim acer mordaxque in ambabus cavitatibus inclusus accenditur, paucisque dumtaxat foris apparet; ut tangenti flamma tenuis esse videatur: æger vero sese comburi existimat: pulsatus arteriarum exigui sunt, creberrimi, ac veluti oppressi atque repulsi: frigus adest extremorum, satis aspera oris siccitas: facies decolor rubet: omne corpus subrubidum est: præcordia dura sunt atque revulsa: dolor in dextera parte major, & cum eo palpitatio in longitudinem ad ilia usque perveniens: quibusdam & arteria secundum dorsum inflammatur, quod pulsatio in alteris præcordiis manifestat: nam & ipsa venæ cavæ morborum particeps efficitur juxta illam in sinistro latere posita, utpote ea, quæ in omne corpus diducitur, nihil levaminis afferente neque cutim emolliente. Cutis autem sic affectorum squallida, rugosa ac aspera est: sed in partibus prominentibus atque osseis, ut in cubitis, genubus, digitorumque articulis magis talis conspicitur. Somni tumultuosi sunt, alvus quibusdam nihil reddit, quibusdam

dam exiguum, acre, biliosum. Lotium acre mordaxque est. Mens utique his constat, sed quadam segnitie torpet, & corpus tabe consumitur.

Quos corripit, & quando facilius. *Art.* 605. Quotquot hunc habitum viderunt, causi, idest ardoris speciem appellarunt, quando quidem quæ adsunt, sub ardoris genere collocarunt. Per Autumnum hæc labes exoritur; cum ferum quiddam & immane sapit. Viros ac juvenes occupat, quibus mala vivendi ratio laboresque tenuem corporis habitum compararunt.

Prognosis. *Art.* 606. Decimoquarto die hi plerumque moriuntur. Quibus morbus diutius trahitur, duplo longiori tempore pereunt. Quotcumque autem ob initio pusillam phlegmonem habent, aut magnam paulatim remittentem, mortem quidem evadunt, sed nondum morbo liberantur. Hi longo sane tempore Causo laborant, verum omnia periculosa jam desinunt, dolores, præcordiorum distentiones, & pulsuum malitia, & mentis ignavia; adhuc tamen fastidiosi sunt, languentes, consilii inopes, simulque & ardor, & sitis, & linguæ orisque siccitas ægrum discrutiant. Multum diuque trahentes spirant, & subito totum aerem una spiratione refrigerandi causa adducunt. Verumtamen si frigidam quamplurimam affatim bibunt hi brevi intervallo molestia levantur, postmodum ipsis sitis accenditur, rursumque uberrime aquam ingurgitant, & hæc est mali successio, & reciprocatio.

De potus usu observatio. *Art.* 607. At ægregius medicus frigidam liberaliter citra noxam propinare potest, ut in aliis ardoribus usuvenit, sed longe tutius ardore a vena cava oriente laborantibus eam concesserit. Quodsi ventriculus aut vescica potam

aquam expellant, neque vomitione opus est; sin id facere nequeant, a multa frigida epota multum vomendum est. Homo enim disrumperetur si tanto bibito humore nihil aut per sudores, aut per urinam, aut per ventrem effunderet.

Pauli Æginetæ sententia. *Art.* 608. „ Verum in calidis stomachi intemperiebus (Ægineta addit,) & ardentibus cum resolutione ejus vel animæ defectu, „ aut aliqua cibi fuga, nulla omnino occasione „ excepta, quam febri, aquam gelidam potui „ dato cum succo uvæ acerbæ, aut malorum „ cotoneorum decoctum, aut claviculæ vitis, „ aut seminis cucumeris jus, aut pulverem ipsius ex aqua frigida. Stomacho præterea vesicam gelida aqua fartam, aut cucurbitæ ramenta imponito. Catapotia item quæ extinguendi sitim potentiam habent exhibenda „ sunt.

Curatio ex mente Aretæi. *Art.* 609. Venam itaque in cubito protinus cedito, multumque sanguinis, sed non semel totum mittito, immo & bis, & ter, & alio die, quo interim vires instaurentur repetito. Deinceps cataplasmate utitor, & cucurbitulam præcordiis, ubi est arteriæ tensio, necnon, & inter scapulas, nam ibi quoque pulsationes sunt, affigito, liberiusque scarificato, & multum sanguinis detrahito. Verum & alvus præter consuetudinem valde suppressa ad lubricitatem per clysterum molliores infusiones est revocanda, acribus autem minime utitor. Extremas partes, pedes videlicet, & manus gleucino oleo, aut Sicyonio, aut ex adarce unguine excalefacito, nam partes istæ in ipsis valde frigescunt. Præterea ante cibos potui dato, quæ lotium evocant, meon, assarum, absinthium, nitrum quoque inspergito, sed omnium valentissima est cucur-

curbita, & cinnamomum, si quis ejus copiam habeat. Lac istis & alimenti, & medicinæ vim præbet: etenim refrigeratione indigent: esto autem mulieris, quæ proxime peperit, & duobus lactis cyathis unus aquæ admisceatur; lac etiam bubulum optimum est, tertio loco caprinum ponitur. Oportet etiam sudores elicere. Caput sicut in ardentibus febribus irrigetur. Epithema pectori, & sinistræ mammæ, quale in syncopa, superdetur. Cibaria concoctu facilia præbeantur. In cubile rectus decubitus, ut omnia his similia sint, quæ in ardentibus febribus fiunt. Exercitatio modica ad sudores evocandos nec non & balneum si æger interius exardescit.

Tralliani sententia.

Art. 610. Ubi stomachus inflammationem sustinuerit, magna opus est diligentia quia maximum morbum, & necessitatem corpori affert. Mixta igitur curatio in ipso potissimum tentanda est, & non, quemadmodum in minus principalibus resoluta, & laxante medendi ratione utendum. Nam periculum non exiguum comitabitur, neque æger alimentum sentiet, neque appetere id amplius poterit. *Curatio caute instituenda.*

Art. 611. Adjiciatur igitur una cum laxantibus, etiam corroborans aliquod, nempe absynth. paulum, aut mastichæ. Attendendum autem qua re opus sit: atque ejus copia intendi magis debeat. Si igitur laxantia requirantur, adjicito fotui etiam chamæmelum: sin autem ægri vehementer febricitent etiam gelucinum, adipem anserinum, & sapam. Quod si imbecillitas quædam fuerit, & resolutio, non adeo laxantium aliquod fotui addito, sed potius curationem ex melino, & vino tentato, absynth. rosas, œnanthen, *Indicationes curativæ.*

then, mala, palmulas in vino macerans. Summatim ad id quod urget, roborantia, & laxantia, alias aliter augemus. Non solum autem fotus, sed etiam cataplasmata aliaque medicamenta usurpari debent.

Mercurialis sententia.

Victus ratio. *Art.* 612. In curanda ventriculi inflammatione primo victus ratio instituenda est, ut aer sit frigidus, & quiescat æger, maxime vero ut *Gal.* 13. *meth.* monet, tradenda est, ratio cibi & potus; nam ptisana est cibus omnium accommodatissimus, herbæ refrigerantes decoctæ, ut cichorium, lactuca, endivia, & omnia cichoreacea, panis in aqua lotus. Vinum omnino fugiendum est, & utendum, vel sola hordei aqua, vel aqua cocta.

Venæ sectio. *Art.* 613. Instituto victu prohibendum ne inflammatio augeatur, & studendum ut ea, quæ facta est auferatur. Circa quos scopos multa sunt notanda, & primo circa prohibitionem inflammationis conveniunt frictiones, cucurbitæ, venæ sectio. Sed notandum quod quamvis dixerit Gal. in omni inflammatione sanguinis missionem esse efficacissimum remedium, tamen in inflammatione ventriculi parcissime est evacuandus sanguis, nisi adfuerit magna plenitudo.

Purgantia. *Art.* 614. Circa secundum scopum notandum ante hujus morbi declinationem nullum evacuans medicamentum convenire, quoniam cum hæc medicamenta trahant ab universo corpore ad ventriculum, facile inflammationem augent. Quod si aliqua conveniat evacuatio, ut Avenzoar monuit, solus clyster sufficere potest.

Topica. *Art.* 615. Notandum omni tempore convenire medicamenta simul mixta ex adstringentibus, & discutientibus, id quod docuit Galen. loc. cit.

qua-

quare extrinsecus erit componendum medicamentum ex ol. de absynth. cydon. rosat. chamomel. vino, mastice, ut scilicet materia discutiatur, simulque robur ventriculi conservetur. Intus vero accommodata est ptisana, succus cydoniorum, lac amygdal. dulc. & amar. syrup. rosf. sicc. decoct. cortic. granat. cydon. chamomel. & tandem in omnibus medicamentis tum intrinsecis, tum extrinsecis, hunc scopum habeatis, ut simul adstringatis, & discutiatis.

Art. 616. Desinente inflammatione poterit aliquod lene medicamentum exhiberi; ut manna, cassia, tamarind. ut simul possitis alvum solvere, nec attrahere violenter ad ventriculum. *Ulcerum curatio.*

Art. 617. Quod si ulcus ventriculum infestet, primum studendum est, ulcus abstergere, deinde consolidare, & exsiccare, & ut summatim dicam, omnia ulcera ventriculi eo modo tractanda, quo alia ulcera, illis tamen additis medicamentis, quæ etiam robur ventriculi conservare possunt. *Ulcerum curatio.*

Ettmulleri sententia.

Art. 618. Inflammatio stomachi est affectus periculosus; &, si quis alius, peracutus; adest febris ardens, & aliqualis tumor in præcordiis, circa Ventriculi regionem dolor insignis sub costis nothis, cum gravi æstu ibidem, siti inexplebili, corporis jactatione & vigiliis; superveniunt deliria, vomitus, & non raro convulsiones lethales, raro evadunt; 3°, vel 4° die finiri solet; interdum, sed raro, ad suppurationem tendit, & *abscessus* rumpitur, vel in Ventriculi, vel abdominis cavo, malum fere semper incurabile. *Inflammatio Ventriculi.*

Art.

Differentia inter Ventriculi & Hepatis inflammationem: Curatio.

Art. 619. Distinguendum est inter *Ventriculi* inflammationem & *Hepatis*; in priore ardor & dolor magis in profundo sunt, in hepatite inflammatio magis circumscripta est, & mitiora urgent symptomata.

Art. 620. Curatio eadem est, ac in aliis inflammationibus, viz. per *venæsectionem*, &c. *Sudorifera* primatum obtinent. Externe convenit cataplasma ex *stercore columbino*, *fermento*, &c. ad suppurationem promovendam ad imitationem *Sennerti*. Vid. *Boerh.*

Friderici Hoffmanni sententia.

Definitio.

Art. 621. Est igitur stomachica febris (ex inflammatione ventriculi) passio acuta, ardens & inflammatoria, oriunda ab inflammatione nervosæ, & membranaceæ ventriculi substantiæ universum nervosarum partium systema afficiens, & ob id admodum periculosa.

Signa.

Art. 622. Symptomata individui ipsius comites, e quibus ceu pathagnomonicis signis, cognoscitur, sunt: vehemens internum incendium, summa anxietas, dolor gravis tensivus in præcordiis, maximeque scrobiculi cordis regione, sitis magna, vigilia, inquietudo, corporis jactatio, extremorum refrigeratio, pulsus subdurus, contractus, & frequens, vel etiam inæqualis, spiratio difficilis, creber conatus vomendi, & doloris ad omnia assumpta, maxime irritantia, & medicamenta exacerbatio.

Differentia a morbis agnatis.

Art. 623. His etiam distinguitur ab aliis, quæ in stomachum cadunt passionibus, in cardialgico quippe dolore, sive cardiaca veterum passione, magna pariter adest circa præcordia anxietas, dolor pressorius, & acutus, usque ad dorsum pertingit, extremorum refrigeratio, assi-

duus

duus ad vomendum stimulus, corporisque inquietudo adsunt, sed in ventriculi regione ardor non tam impensus est, nec tanta sitis, & linguæ ariditas, neque etiam pulsus tam celer, & contractus. Melius quoque ferre possunt ingesta, tam alimenta, quam medicamenta, spasmo potius quam inflammatione ventriculi affecti. Erosio vero stomachi, quæ sæpius biliosas febres, choleram morbum, & iracundiam excipit, caret febre, non tam subito infestat, sed successive, per intervalla tantum ingravescit, neque dolore tam ardente stipatur, & diutius trahitur. Quæ demum in intestinis consistit inflammatio, habet tormina circa umbilicum, cum crebris dejectionibus fœcum spumosarum, aut leviter cruentarum; æstus quoque totam corporis superficiem cum pulsuum celeritate, & magnitudine occupans major est, ac in ventriculi inflammatione ubi extrema manus, pedes, & nasus magis frigescunt.

Art. 624. Pro differente causarum indole, & agendi potentia differt quodammodo inflammatio gradu. Nimirum quæ a potu frigido corpori æstuanti ingesto, item & a bile per iracundiam commota, & copiosius in duodenum effusa suscitatur, mitioribus stipatur symptomatibus, non tam facile necat, diutius trahitur, & datis inter initia congruis remediis promptius obsecundat. Sæviora vero & periculosiora sunt pathemata, quæ a venenis causticis, ab emeticis acrioribusque drasticis inferuntur, & celeriter jugulant, nisi cito efficacia opponantur præsidia. Et omnium deterrima illa est inflammatio, quæ senibus, infirmis, scorbuticis, & diuturno mœrore confectis, item in fine acutorum morborum accidit. *Differt gradu.*

Art. 625. Sed quando irrequieta est, corporis *Eventus funestus.*

ris jactatio, potus ingestus eructatur, singultuosa ventriculi, & diaphragmatis convulsio accidit, animus deficit, facies comparet Hippocratica, pulsus intermittens est, mens emovetur, & artus convelluntur, funestum eventum denunciant ex inflammatione sphacelosa facta.

Acrimonia biliosa, & causticorum obtundenda.

Art. 626. Quando ab assumpto veneno caustico, septico, arsenicali, vel acerrimo purgante, emetico, mercuriali, aut metallico medicamento male præparato inflammatio accidit, non certius, non tutius, & celerioris efficaciæ est auxilium, quam demulcentia, oleosa, pinguia, lac scilicet, cremor ipsius, ol. amygdal. dulc. nec non olivarum, crebro, & in copia hausta. Si a bile acri corrosiva, ut in cholera, metuenda est inflammatio, tunc terrea, absorbentia fixiora, & inter hæc maxime ossa, & cornua philosophice, ut dicunt, præparata, cum decoctis gelatinosis, uti pedum vituli, & vervecis, gelatina C. C. decoct. hord. aven. cum vel sine lacte, item cum ol. amygdal. dulc. ex usu sunt. Quando porro ab iracundia vehementi obortus in ventriculo spasmus inflammationem minatur, nihil efficacius est, pulvere absorbente nitroso, cum liquore anodyno alternatim dato, vel in aqua quadam antispasmodica, vel emulsione ex seminibus frigidis, aut papaveris albi. Postea composito spasmo, ad educendas biliosas sordes, accommodatissima rhabarbarina sunt, & passulata.

Interna discutientia.

Art. 627. Quæ ex retropulso exanthemate iminet, vel jam inducta ventriculi inflammatio est, depellitur optime emulsionibus ex semine cardui mariæ, cardui benedicti, napi, quatuor frigidis majoribus, cum pulveribus bezoardicis temperatis, quibus subinde nitrum cum momento camphoræ addendum. Item incomparabiles

effe-

effectus præstat liquor noster anodynus, cujus quatuor partes cum una spiritus bezoardici Bussii parvis dosibus crebrius oblatus sudorem placidum movet. Si etiam miasma pestilentiale, aut aliorum contagiosorum morborum corpus subiit, quod primario ac celeriter vim suam putredinosam, & inflammatoriam ventriculo insinuat, illico lenissimum exhibendum emeticum, ac postea subjungendi pulveres blandi diaphoretici cum nitro, & pauxillo camphoræ, vel oleum bezoardicum VVedelii ex uncia ol. amygdal. dulc. in quo drachma camphoræ soluta, ad octo vel decem gutt. dandum.

Art. 628. Præterea exterius diro huic malo, omnibus modis obviam eundum. Improbo calidiora quæ vulgo adhibentur ut sp. vin. camph. ol. destill. in sp. soluta, emplastra quoque stomachica. Ego quidem magno cum fructu multoties tepide tantum applicare jussi vesicam lacte cum flor. emollientibus, & croco decocto plenam. Neque minus admodum proficuum censeo linimentum ex ol. amygdal. unc. ij. & camph. ℨj. cum quo præcordia frequentius inungenda, & superius ponenda lintea calida. Egregium quoque ad discutiendum, & sudorem movendum est epithema ex acet. rosacei unc. ij. sp. vin. camph. ℨji. essent. croci, castor. ana ℈j. nitr. ℨ sem. m. tepide præcordiis admovendum. *Externa & topica.*

Calmettei sententia.

Art. 629. Signa inflammationis stomachi diagnostica sunt, ingens dolor cum ardore, punctione, distensione, atque pulsatione conjunctus. Præterea tumor adest in ea parte, si non visu, saltem tactu conspicuus, qui si admota, manu paululum prematur, ægrum ad clamores, & *Diagnosis.*

quæ-

quæstum incitat. Adest quoque respiratio difficilis ob descensum diaphragmatis, & hepatis illi appensi stomachum in inspiratione comprimentium; sitis intensa, linguæ siccitas, deglutitio laboriosa, ob fauces, & guttur, & œsophagum exsiccata, & corrugata, lipothymia quandoque, dum phlogosis ad os ventriculi superius extenditur propter commercium nervorum cum corde, febris vehemens ob supradictas rationes, & interdum lypiria, dum scilicet inflammatio intensa est, in qua dum interna uri videntur, exteriora rigent, unde pulsus minutus potius, & obscurus, quam magnus & plenus in hoc affectu, aliisque internis inflammationibus plerumque plenus apparet.

Sed quod hujusce phlogoseos certiorem adhuc facit diagnosin, labor est stomachi, & anxietates a sumpto alimento etiam liquido, quia dolens hoc viscus minimum onus ferre vix potest. Præterea calidum admodum sumptum jusculum vix tale a stomacho persentitur, quia ipse magis fervet, ne quid dicam de vomitu subcruento hunc affectum quandoque subsequente, aut præcedente.

Differentia ab hepatitide. *Art.* 630. Cave tamen ne hepatidem seu hepatis stomacho incumbentis inflammationem cum dicto affectu confundas, potissimum quando ejus cava pars laborat; sed partium figura, & situs, symptomatum sævitia, quæ stomacho affecto major est, & inferius recensenda propria signa hepatitidis hos affectus ab invicem satis distinguent, qui tamen complicari, & conjungi ob partium dictarum viciniam, & contiguitatem facile possunt.

Prognosis. *Art.* 631. Ventriculi phlogosis periculosissima est, & facile hepati, diaphragmati, cordi, &c. utpote vicinis communicari potest, præsertim

dum

dum illa ad superius stomachi orificium propagatur, quo tempore animi deliquia, & syncopes contingunt.

Curatio a phlebotomia inchoanda.

Art. 632. Ejus curatio ut & omnium aliarum inflammationum principio statim a venæ sectionibus inchoanda est, iterum atque iterum celebratis tum in brachiis, tum in pedibus quantum scilicet ægri vires, ætas, regio, temperamentum &c. ferre possunt, ita ut in robusto, juvenili, & sanguineo corpore, & in aliis eadem proportione ad decem, vel duodecim phlebotomias, parcas, aut largas una, duabus, aut pluribus diebus pro necessitate institutas progredi non pudeat. Hac enim via, si qua alia, morbus efficaciter reprimitur, & causa antecedens inflammationis, seu sanguis, qui præsto est e vasis gastricis exilire, ad incipientem phlogosin aut fovendam, aut ampliandam, a parte affecta revellitur.

Observatio.

Art. 633. Notandum tamen in hac, & quacumque alia inflammatione, quod quanto magis progressus videtur affectus, & facta, ut ajunt, fluxio; tanto minus necessarius sit venæ sectionum repetitus numerus, nisi eadem fluxio renovari identidem videatur.

Hyrudinum applicatio.

Art. 634. Hæmorrhoidum apertio per hyrudines, si æger huic evacuationi assuetus sit, aut eædem tumentes appareant, plurimum etiam conferre poterit; Quod vero de cucurbitis tum siccis, tum scarificatis dorso, scapulis, natibusque admotis sentiunt veteres in hoc affectu, ut in plerisque aliis, vix a neotericis laudatur, nisi forsan quid ob somni deficientiam ratione doloris excutiendum est; aut humorum in cerebrum metastasis derivanda, præsertim quando phlebotomiæ, cujus vicariæ dicuntur, locus amplius non est.

Remedia interne usurpanda. *Art.* 635. Præter memoratas sanguinis emissiones plurimum refrigerantia conducunt in principio, & aliquo modo repellentia per os usurpata, & in modica dosi ne stomachum fatigent, assumpta; tale est oxicratum dilutum, potus frigidiusculus aquæ fontanæ succo limonum, berberis, aut malorum granatorum &c. acidulatæ, vel tinct. rosf. rub. succus portulac. lactuc. cydonior. oxalydis, aut eorum decoctum cum syrup. acidiusculis, refrigerantibus, & paulo adstringentibus; juscula herbis refrigerantibus alterata, jus pulli seminib. frigid. & papav. alb. aliisque refrigerantibus infarcti, julepi refrigerantes, acidiusculi, & parum adstringentes aq. rosf. plantag. nymph. portulac. acetosf. lactuc. &c. destillatæ. Emulsf. ex sem. quat. frig. & semin. pap. alb. paratæ, syrup. violac. limon. nenuphar. de papav. alb. præsertim ubi dolor urgens compescendus est, aut somnus necessario conciliandus, deliriumve, si adsit, sedandum. Quibus omnibus merito addi debet, frequens salis prunellæ usus refrigerandi, & repercutiendi facultate pollens, spir. salis, sulphuris, vitrioli ad gutt. aliquot, aliaque ad febrem inflammationemque compescendas aut minuendas idonea.

Clysteres. *Art.* 636. Interim dum hæc remedia adhibentur, non omitti debent clysteres emollientes, refrigerantes, & lenientes, singulis diebus repetendi cum cassia elect. lenit. diacathol. mell. violat. crystall. miner. aliisque mitioribus purgantibus, quibus alii magis refrigerantes quam purgantes intermisceri utiliter possunt ex sero lactis, oxycrato, decoct. refriger. &c. parati. Progrediente morbo dictis remediis minus insistendum est.

Purgantia nisi leviora. *Art.* 637. Quod ad purgantia spectat ea non minus in inflammatione stomachi quam in vomitu

mitu sanguineo suspecta haberi debent, præsertim ineunte morbo, eodem vero paululum remisso commoda sunt modo sint leniora, ut tamarindorum decoctum, & infusum, cassia, manna, syrup. ros. pallid. aut flor. persici in jusculo aut pauca ptisana dissolutum, rhabarb. infus. aut senna in minori dosi cum limonibus frustulatim incisis.

Art. 638. Exterius remedia sola, quæ institui cum aliquo fructu possunt, sunt fotus regioni ventriculi admoti refrigerantes simul, & repellentes, frigidiuscule applicati, declinante vero morbo non refrigerantes, sed resolventes parandi. *Remedia externa.*

Art. 639. Si quid sanguinis vomitu rejiciatur adjunge remedia, supra dictis, sanguinis fluxum cohibentia; si lipothymiæ urgeant, adhibe cardiaca, & vires restaurantia sæpius memorata, parce tamen ne stomachi, aut sanguinis fervor augeatur. *Et corroborantia interna.*

Art. 640. Quodsi in abscessum morbus degenerat, qui ex eo dignosci potest, quod dum fit, dolorem & febrem intendit secundum Hipp. Aph. factoque dolor atque febris, perseverante tamen tumore, remittunt. Talis abscessus ob puris acrimoniam tunicas stomachi erodentem rumpitur necessario, vel in externa, vel in interna ejusdem superficie, unde ulcus subnascitur, quod cognoscitur ex iis, quæ precesserunt: inflammatione, nempe, & abscessu, aliisque supra enumeratis dolorem ejusdem partis, aut solutionem, atque dilacerationem efficientibus. Si in partem ventriculi concavam rumpatur, patebit magis ex vomitu sanguineo, purulento, atque secessu simili, tum ex ructibus fœtidis lipothymiis &c. tum ex dolore quem stomachus ab assumptis etiam lenioribus patitur; quæ sym- *Abscessus oborientis diagnosis.*

ptomata minime aderunt, aut non ita urgebunt, si in superficie ejusdem externa, seu convexa ulcus excitetur, nisi forsan omnes stomachi membranas perforet. Ulcus denique ventriculi in quacunque ejusdem parte, seu regione sedem obtineat dejecta semper appetentia stipatur.

Ejusdem Prognosis. *Art.* 641. Prognosis in ulcere ventriculi funesta semper instituenda est, nisi idem perexiguum sit, & superficiem ventriculi externam occupet, ne quid dicam de febre lenta, & habituali ulcus hoc consequente, quæ cum maxima humorum discrasia, & quæ facile emendari non potest, semper conjuncta est.

Subsequentis ulceris curatio. *Art.* 642. Si stomachi ulcus curationem recipere potest, hoc fiet potissimum per ea, quæ sequuntur remedia in exigua dosi, non minus ac alimenta ægrotantibus exhibenda. Ac primo quidem per usum ptisanæ ex consolidantibus, vulnerariis, & detergentibus compositæ, & melle incocto ad despumationem, aut saccharo, quæ plurimum detergunt, conditæ; aut jusculorum ex iisdem paratorum: ut rad. symphyt. maj. aristoloch. zedoar. gentian. pentaphyl. tormentill. cichor. lapat. acut. &c. fol. pimpinel. bugul. sanicul. scabios. pilosell. absinth. prunell. veronic. agrimon. chamædr. cent. min. cichor. sylvest. vinc. pervinc. &c. hord. integ. liquirit. passul. ros. rub. flor. hyperic. & bellid. minor. Cavendum tamen pro ratione ulceris ne nimium detergentia, & asperitate sua aut amaritudine partem ulceratam stimulantia majori dosi præscribantur, inde enim ulcus refricaretur, & recrudesceret; quare quandoque simplex hydromel. aut decoct. symphyt. & hordei cum sacch. rosac. aut conserva rosar. aliis præferri debent.

Balsamicis. *Art.* 643. Balsamus etiam sulphuris terebin-

thinatus, ſpir. & ol. terebinth. balſam. peruvian. ad gutt. aliquot in juſcul. aut potu magnis in hoc affectu extolluntur laudibus. Sed inter ea quæ conglutinant, & humorum acrimoniam ulcus foventem demulcent, commendantur præ primis: decoctum cancr. fluviat. carnis junior. animalium, mucilagin. gummi tragacant. ſem. pſyll. & cidonyor. & alth. decoct. hordei aut hydromellite extractæ.

Art. 644. Balnea aut ſemicupia ex aqua dulci tepida, lactis uſus ad plures dies, potiſſimum aſini, hordeacea, avenacea, orizata valde diluta imo bochetum ex rad. chin. ſaſſafr. aut ſalſæ parill. ſi febris non admodum vigeat, nec corpus valde exſiccatum videatur, internis medentur ulceribus. *Balneum.*

Art. 645. Sunt qui in ulcere præſertim diuturniore, aquarum mineralium acidularum, tanquam valde detergentium, potum per plures dies commendant, ſed leviores eligendæ ſunt, h. e. acidulæ magis temperatæ, aut eædem ſi tales non ſint ptiſana diluendæ, nec magna copia ſumendæ ſunt, ne ſtomachum fatigent. *Aquarum mineraliū uſus.*

Art. 646. Cathartica quia in omnibus morbis plus minus neceſſaria ſunt, in iſto quoque affectu, ut ſordes ſtomacho innaſcentes abſtergantur, & quæ ſanguinem inficiunt expurgentur, rarius tamen, & parca manu ſunt adhibenda: qualia ſunt caſſia, tamarindi, rhab. ſyrup. fl. perſic. aut de cichor. compoſit. manna &c. Clyſteres vero frequentius uſurpari poſſunt. *Subinde alvus blande laxanda.*

Art. 647. Quibus omnibus remediis adjungenda ſunt, ſi præſertim ulcus ad conſolidationem tendat, bolus armena, terra ſigillat. ſanguis dracon. gumm. arabic. atque tragacant. manna thuris, amylum ſine calce paratum, conſerv. roſar. cynorrhod. rad. ſymphyt. ſyrupi adſtring. & ex *Vulneraria, & conſolidantia.*

decocto vulnerario parati, tum demum sarcocolla lacte muliebri nutrita, ex quibus pulveres, opiata, electuaria &c. confici poterunt ad usum.

INFLAMMATIO INTESTINORUM.

Hippocratis sententia.

Recti intestini inflammati signa. *Art.* 648. Si intestinum rectum inflammatum fuerit, & dolor habeat, & febris, & frequenter ad exonerandum alvum desideat, & nihil egerat, & præ inflammatione sedes exiisse videantur, & aliquando urinæ stillicidium corripiat, hic morbus fit, quum pituita ex corpore in intestinum rectum decubuerit.

Ejus curatio. *Art.* 649. Conferunt autem calida quæ pituitam attenuare ac consumere possunt, aquosamque reddere, ut non sit ardor, nec morsus aliquis in intestino. Curare itaque oportet hoc modo. Ægrum in calidam aquam collocato, & trita grani cnidii gr. LX. in vini hemina, & olei hemina dimidia diluito, tepefacito, & infundito. Hæc pituitam, & stercus educunt. Si vero in aquam non sedet, ova cocta in vino nigro odorato ad sedem apponito, calido quoppiam inferne substrato, aut vesica aqua calida plena, aut lini semen tostum, molitum, tritum, pari farina, in vino odorato, & oleo ammixta cataplasmatis modo calidissime imponito. (Post alia topica recensita demum addit) si quidem ad hæc dolore liberetur satis est; sin minus bibat peplum, meconium album appellatum, aut aliud quoddam, quod pituitam purgat. Et quamdiu durat inflammatio, eduliis levibus nutriatur.

Inflammatorũ *Art.* 650. Circa intestinum tenue dolores diuturni, & circa lumbos, & ad præcordia, si ægri cibos

cibos aversantur una cum febre, his dolor intentus ad caput progressus ipsos occidit convulsorio modo. *intestinorum prognosis.*

Tralliani sententia.

Art. 651. Nosces colicos cruciatus (& dolores intestinorum) ex biliosis, acribus, & calidis humoribus (atque proinde ab inflammante causa vel a jam facta inflammatione) concitari, quia interna morderi, exuri & lancinari videantur cum febre acuta, lingua arida, siti, vigiliis, & singulis diebus magna ex parte accessio invadit urina fit acris, & quæ per alvum excernuntur biliosa, copiosaque sunt. Ad hæc quod cibis calidioribus, potionibus, & medicamentis ægri magis irritentur. *Intestinorum inflammatorum signa.*

Art. 652. Si colicum (& intestinale) affectum ab inflammatione fieri contingat, nequaquam purgationem præsertim inter initia, & cum illa nondum ad concoctionem pervenerit exhibere audebis, alias dolorem, vigilias & tormina augentur, quibus omnibus increscentibus in ileosum morbum ægri incidunt. Neque enim aliud est Ileos, quam Colici affectus intensio ac incrementum. Quapropter purgatio inflammatione tentatis danda non est, venæ autem sectio adhibenda, & paulatim ex toto corpore evacuatio tentanda. *Purgantia vitentur.*

Porro si propter inflammationis magnitudinem etiam urinas supprimi contingat, venam & in talo, & in superiori pedis parte secare non est alienum: sæpe enim cum hoc nos fecissemus, & alvi, & urinæ excretio sequuta est. Alimento in his utendum est, cremore ptisanæ, aut avena mediocriter, item injectione per alvum ex cremore ptisanæ, chamæmel. succo li- *Quo casu vena pedis secanda.*

ni seminis, & hydrelæo, præsertim si etiam febris vehemens urgeat. Rarum namque est Colo inflammationem sustinente, febrim non oboriri.

Externa quæ? *Art.* 654. Quæ extrinsecus imponentur, temperata sint, nihil acre habentia, e quorum numero est, etiam chamæmelinum oleum, & ex farina hordeacea, linique semine epithema, nec non cerata similiter, quæ componuntur ex chamæmelino, cera, rosaceo, & luteis ovorum. Ponderis æqualitas fiat ejusmodi. ℞. Ceræ unc. v. chamæmelini unc. ij. sem. farinæ fabaceæ. ol. rosac. ana unc. ij. sem. lutea ovor. v. aut vj. succi lini seminis q. s. Hoc & renibus & vescicæ inflammatæ pulchre auxiliari potest.

Balnea an juvent? *Art.* 655. Balnea continua priusquam totum corpus recrementis vacuatum fuerit adhibenda non sunt. Post sanguinis autem evacuationem, & si dolor urgeat, balneo uti absurdum non est. Si vero vires refragentur, in alveum ægri descendent, corpus oleo chamæmelino illinentes.

Vinum quando propinandum. *Art.* 656. Vino si inflammatio adhuc fervet, & febres præpollent, abstineant, ubi concoctionis notæ apparuerint, ut si vires imbecilles videantur, non alienum est, ipsis vinum tenue, & aquosum propinare.

Jonstoni sententia.

Definitio & Diagnosis Inflammationis intestinorū. *Art.* 657. Inflammatio intestinorum est eorumdem tumor a sanguine extra vasa in illa elapso, & putrescente exortus. Hujus signa sunt: dolor fixus, & distendens, tumoris perceptio, ut intestina chordæ instar convoluta deprehendantur, alvi suppressio, urinæ interceptio, febris præsentia.

Ejus causa. Causa in definitione exposita est. Autumno

ob

ob tenuitatem sanguinis in primis affluit, quia æstate geniti humores tenues, & mobiles autumni frigore inæquali in profundum corporis pelluntur.

Curatio est ad aliarum inflammationum normam instituenda, & quidem cito, quia malum est acutum: & sæpe in gangrænam, & sphacelum abit. In ea refrigerantia, quæ exhibentur, absque adstrictione esse debent, a purgantibus plane abstinendum, ne locus affectus exasperetur. *Et Curatio.*

Art. 658. Dividitur secundum locum & causas. *Divisio bifariam.*

I. Alia est per se, de qua jam egimus. Alia ab *Exomphalo* de qua suo loco. Alia ab *Enterocele* in qua intestina statim reponi debent. Alia a *Contusione* in qua reliquis, quæ inflammationis causa adhibentur, aliquid lenientium & concoquentium addatur.

II. Alia est in tenuibus intestinis, quæ est frequentior, & in qua stomachi distentio, spiritus angustia, vomitus assidui, ut nec potus contineri queat, urget dolor, & tormina magis ad superiora vergunt. Alia in Crassis, in qua dolor ad hypochondria magis pertingit, lumborum adest gravitas, vomitus non ita continuo durat.

Ettmulleri sententia.

Art. 259. Accidit in herniis, ileo, & ab aliis causis. In loco inflammato tumor rotundus tactui (quandoque) percipi solet; adest vehemens dolor pulsatorius, fixus, distendens, &c. alvus occlusa, febris, vomitus, languor, &c. frequentius in *ileum lethalem* terminatur. Commendatur *omentum vervecinum.* Vide *Ileum* *Inflammatio intestinorum.*

Boe-

Boerhaavii sententia.

Inflammationis intestinorum causa. *Art.* 660. Inteſtina maxime tenuia, & frequentiſſime, in ſuis membranis acuta inflammatione, ut ventriculus, ſæpe infeſtantur, a cauſis communibus inflammationis huc delatis; vel a materia acri potus, cibi, condimenti, medicamenti, veneni, aſſumpta huc delata, in plicis valvuloſis detenta hærente; tum etiam ab acri, putrida, fœtida materie purulenta, ichoroſa, gangrænoſa, biliofa, atrabilaria, ex oeſophago, ſtomacho, hepate, liene, pancreate, omento huc appellente, hærente, rodente; denique a convulſione ingente prægreſſa, flatus creante, motum ſiſtente, ſicque inflammationem creante.

Ejus ſigna & effectus. *Art.* 661. Nata his locis, contrahit inteſtina; cavitatem claudit; tranſitum appulſi impedit; dolorem acutiſſimum, ardentem, fixum creat; convulſiones violentas, ubi appulſis irrigatur, producit; alvum claudit; vomitum excitat ingeſtorum, & appulſorum, citius, tardiuſve poſt aſſumptionem, prout ſuperius, vel profundius hæſit; flatus dolentes, tormina cum borborygmis acutiſſima; ileum; volvulum; abſceſſum, gangrænam, ſcirrhum; cancrum; febrim acutiſſimam; debilitatem ex dolore acerbiſſimo ſummam; mortem citiſſimam producit.

Prognoſis. *Art.* 662. Quamdiu in gradu inflammatorio ſubſiſtit, doloris Iliaci nomine imponit incautis, frigori, flatui, vento, periculoſo ſucceſſu adſcribitur, calidis tractatur, & carminantibus, eventu funeſtiſſimo.

Cognoſcitur autem facile pro vera inflammatione ex febre acuta continua, ſiti ingente, calore magno, pulſu duro, dolore igneo, urina flammea, debilitate ſumma.

Si

Si flexum Coli occupat facit *Colicum* dictum *dolorem*; si recti intestini ultima infestat, tum pro hæmorrhoidibus coecis haberi solet: solvitur dysenteria blanda subcruenta biliosa.

Art. 663. Simul ac noscitur præsens per sua signa tunc, statim maximo molimine tentanda sanatio; quæ aquiritur primo missione larga, & repetita sanguinis, secundo assiduo injectu clysmatum laxantium, diluentium, antiphlogisticorum, sæpe repetitorum ad tertiam, quartam, & ultra vicem uno die; tertio potu assiduo calido eorumdem, additis prudenter opiatis, & iis, quæ causæ singulari compertæ adversa sunt; quarto fomentis ex similibus toti abdomini applicatis, maxime ex junioribus, vivis, calidis, sanis, animalibus impositis; quinto interim caute cavendo ab omni acri, impetum augente, calefaciente, potu, cibo, medicamento, motu, animi affectu; sexto tandiu persistendo in horum usu, donec omne malum sedatum sit, nec tribus diebus redierit. *Cura inflammationis.*

Art. 664. Si malo hoc prægresso nec debitis remediis curato; & ultra triduum semper cum vehementia persistente, loco doloris, ardoris, distractionis, successerit horror vagus, per totum corpus sine causa, obtusus cum gravitate dolor in loco, signum erit ibidem formari abscessum; unde intra 14. dies eo rupto effluet pus; quod si in cava abdominis effluit facit mala multa ex viscerum putrefactione inde sequente ut: Asciten, & Tympanitem, unde post lentam terribilemque Tabem, & ejus symptomata mors. Si autem in cava intestinorum pus effluit facit dysenteriam purulentam magnam, parvam, longam, brevem, prout ulceris ibi facti natura dabit, inde sæpe integræ intestinorum membranæ exeunt, & sæpe tabes sequitur. *Suppuratio.*

Art.

Cura suppurationis. *Art.* 665. Simul ac suppurationem adesse noscitur statim inhibendus omnis victus, unde stercus multum, durum, crassum, acre nascitur; æger pascendus solis jusculis cum leniter detersivis radicibus incoctis, cujusmodi sequens est.

℞. *Rad. scorzon. tragapog. sisari petroselin. cichor. ana unc.* ij. *cum jure carnis f. a decoct. ad unc.* xxx. *& huic jusculo admisce vitelli ovor. num.* ij. *salis q. s.*

Decocta balsamica detergentia multum bibenda, & instar clysmatum injicienda ut sequitur.

℞. *Rad. valerian. hortens. unc.* ij. *fol. levistici man.* ij. *flor. hyper. man.* j. *agrimon. unc.* ij. *aq. font.* ℔ ij. *f. decoct. de quo bibat æger unc.* ij. *omni horâ, & ex eodem etiam fiat clysma.*

Aut aquæ fontanæ medicatæ larga copia bibendæ, in his pergendum usque ad perfectam sanationem.

Gangræna. *Art.* 666. Futuram gangrænam loco suppurationis prævidemus, si morbus habuerit causas violentissimas, & gravissima produxerit symptomata, atque si simul nulla benignæ resolutionis, vel medelæ signa apparuerint. His prægressis eam fieri docent subita, & sine causa, acerrimi doloris remissio, manente pulsu debili, intermittente sudore frigido, dysenteria fœtida, cinericea, ichorosa, livida, nigra, fœcum sine sensu demissione; unde brevi placida mors. Malum hoc, eousque provectum raro medelam capit; curandum prius; ceterum methodus adhibita in suppuratione prodest.

Scirrhus. *Art.* 667. Futurum scirrhum prænoscitur: si intestinorum inflammatio diu durans, nec in summam sævitiem ascendens, nec resolutione, nec medicamentis, nec suppuratione soluta, reliquerit in loco affecto stuporem, gravitatem,

distra-

distractionemque constantem. Tunc enim gravia & pertinacia mala simul producit, qualia inprimis: stupor, pondus, ventrisque incrementum assiduo aucta; hinc cavitates intestinalis angustiatio: fœcum ibi, & chyli stagnatio, a qua materiei inclusæ putrefactio unde intestini occlusio, intorsio, & ingestorum remora, atque adeo Ileus, volvulus, vel ab acri irritante dysenteria siccior, convulsio, singultus, vomitus, dolor assiduus, febris, macies, atrophia, mors.

Art. 668. Medicamenta parum valent, quæcumque demum sint: victus sit ut dictum est, in cura suppurationis, sic fertur diu sine magno malo. Sed si per acria imprudenter applicata, maxime per valida purgantia scirrhus ad suppurationem, & corruptionem vergat, tunc cancer illic oritur, sævitque: quo casu potus ex solo lactis recentis sero convenit; victus ex jusculis avenaceis, farinosis, carnosisve solis cum vitellis ovorum; clysmata blandissima ex solo decocto seminum lini, foliorum solani officinarum, vel capitum pap. alb. injicienda; medicamenta summopere demulcientia, anodyna, leniter opiata, non facile in acre transeuntia, danda. *Cura scirrhi.*

Reliqua vero videnda sunt in Cl. Van Schvvieten eruditissimo Commentario, tum etiam in hac nostra Synopsi sub titulis de Ileo, & Colica.

Farrago sententiarum.

Art. 669. Intestina tam tenuia, quam crassa, quæ membranosa fere tota, ex tunica prima a peritonæo, altera musculari, cum fibris longitudinalibus, & circularibus, nervosa, & villosa contexta, innumeris nervorum, & vasorum surculis perfusa, & exquisito sensu ac motu instructa, *Intestinorum inflammationes frequentes.*

ſtructa, & multis & gravibus morbis patent, e quibus haud poſtremus inflammatorius, qui ipſis ex variis cauſis accidit. Nam atrocia illa & lethalia quandoque pathemata; quæ aſſumpta venena, emetica validiora, & draſtica purgantia excipiunt, ab inflammatione in ſphacelum tranſeunte ortum ducunt. Vulnera ac læſiones inteſtinorum, non aliter quam inflammatione necant. Febres ſynochas, & ardentes, maxime cholericas, dyſentericas, item plurimas malignas, neque minus exanthematicas, in primis variolas lethalem ſæpe inteſtinorum inflammationem inducere uberius teſtatur diſſectio cadaverum his morbis defunctorum. Convulſivam etiam Colicam, maximeque eam, quæ a podagra retrocedente ac ſubſiſtente ex cohibito, aut ſufflaminato hæmorrhoidali fluxu, ſanguine inducitur, iliacam quoque, ex hernia incarcerata, aut inteſtinorum convolutione, paſſionem, non alia ratione quam inteſtinorum inflammatione lethum inferre, eſt in comperto. Nihil quippe vitalibus motibus adeo eſt infenſum, quam putredo, quæ excipit inflammationem, ac in nervoſis exquiſito motu ac ſenſu pollentibus partibus, conſiſtit. *Frider. Hoffmannus.*

Medici obſervent hypochondria in acutis.

Art. 670. Si Medici noſtri temporis omnium ægrorum hypochondria ſtatim tractarent in morbis potiſſimum acutis, pauciores certe committerent errores, quam non faciunt ſpreta hypochondriorum obſervatione. Qui bene noverit hypochondriorum ſtatum, in morbis quam bene curare noverit! quam bene præſagire! Etenim diu durans meteoriſmus ſeu tumor præcordiorum doloroſus in acutis ab hectica inteſtinorum intemperie, ſive nimium intento fibrarum inteſtinalium elatere, pendet. Quantum hic nocet remediorum farrago! Quantum ſaccharatorum uſus!

sus. Quantum purgantia intempestiva! Hypochondria dolorifica cum alvo profusa pessima. Numquam sunt in tuto, qui meteorismum, & tensionem hypocondriorum diu gerunt in acutis. A labefactato viscerum naturalium tono, a labefactatis eorumdem functionibus, prostratisque facultatibus talia dependent. *Baglivius*.

Art. 671. In inflammatione intestinorum venæ sectio proderit in principio morbi largiter celebrata, interne simul adhibito nitro in substantia, & aliis nitratis v. g. arcan. duplic. in quibus præter vim resolventem, refrigerantem, & laxativam conjunctam habes, item Martialia, præprimis ubi in gragrænam abit inflammatio. *Jo. Langius*. *Venæ sectio laudatur.*

Art. 672. Si ex inflammatione intestini dolorem fieri contigerit, caveat Medicus, ne ullo quantumvis levi medicamento subducente utatur, ne attractis ad partem inflammatam ab illæsis partibus, calidis aut pravis humoribus, aut inflammatio augeatur, aut impedito transitu in volvulum desinat. Cassiæ tamen solius usum aliquando non respuerem in tali casu, quod miti illo blando, & humido calore sæpe inflammationem sedet, dolorem leniat, & suppurationem tumoris adjuvet. *Septalius*. *Ex inflammatis intestinis purgatio lethalis.*

Pleraque ad intestinorum inflammationis, & gangrænæ curationem necessaria peti poterunt ex generali utriusque affectus tractatione suo loco tradenda; licet gangrænam intestinorum existimem incurabilem, *Deleboë Sylvius*. *Gangræna lethalis.*

INFLAMMATIO MESENTERII.

Riverii sententia.

Quæ mala ab affecto mæsenterio oriantur.

Art. 673. In explicandis mesenterii, pancreatis, & omenti affectibus, auctores admodum steriles sunt; & major pars illorum, penitus eos omi-

omiserunt, quod cognitu difficillimi sint, & majori parte non nisi ex dissectis cadaveribus innotescant; ut ex historiis constat a Schenchio, Sennerto aliisque collectis. Frequentissimi tamen esse consueverunt, unde Fernelius asserit, sæpe in mesenterio latere plurimorum morborum causas, ut choleræ, melancholiæ, diarrhϾ, dysenteriæ, cachexiæ, atrophiæ, languoris, lentarum, errantiumque febrium, vomitionum, dolorum colicorum, tumorum & abscessuum.

Ejus causa. *Art.* 674. At inflammatio specialiter in hoc viscere concitatur, quando sanguis in venis meseraicis cumulatus, per alicujus rami apertionem in mesenterii substantiam effunditur. Ad hanc inflammationem afficiendam plurimum confert humorum congestorum acrimonia, & erosio; lapsus aut percussio regionis hypogastricæ, hepatis debilitas, corporis calefactio nimia, vel refrigerantium usus intempestivus; motus criticus naturæ in febribus malignis, aut variolis, diarrhœa vel dysenteria intempestive suppressa.

Diagnosis. *Art.* 675. Signa diagnostica sunt, febris languida, occulta, lenta, absque siti, & gravioribus symptomatis: anorexia, tensionis, & gravitatis sensus subter ventriculum citra magnam duritiem, & quæ nonnisi pressu dignoscitur, citra dolorem etiam saltem effatu dignum, quia pars obtuso sensu donata est: egestiones chylosæ, quas plerumque ichor tenuis consequitur: sine ullo doloris sensu, modo seorsim ac sincerus, modo fœcibus permixtus.

Differentia a similibus affectionibus. *Art.* 676. Mitiora sunt omnia modo dicta symptomata si mesenterium solum inflammatione afficiatur: si vero una cum eo etiam hepar, lien, aut intestina tententur vehementiora sunt omnia symptomata. Speciatim vero intestina

simul

simul cum mesenterio inflammari, ostendit febris hemitritæus, quam observavit Spigelius plerumque ob harum partium inflammatione oriri. A musculorum abdominis inflammatione distinguitur, quod tumor, & dolor partes externas magis occupat, & levi attactu statim percipitur, & insignem dolorem ac febrem inferre solet. Distinguitur a tumoribus diaphragmatis qui paucissimis hactenus Medicis innotuerunt, quia insignis perpetuo adest hic respirandi difficultas, hypocondria revulsa sunt, pulsus durus ac parvus citra omnem tumoris in hypochondriis sensum, aut apparentiam.

Art. 677. Quod ad prognosin attinet periculosissimus est hic affectus, qui plerumque in abscessum degenerat. Sæpe etiam materia morbifica alio a natura transmittitur, non tamen plane tollitur, unde malum recrudescit, & sæpe per multos annos, imo totum vitæ tempus perseverat, nunc febre redeunte, nunc eadem in colicos dolores mutata. *Prognosis.*

Art. 678. Curatio eadem ac hepatis lienisque inflammationis; illa igitur a suis capitibus huc erit transferenda. „ Nisi resolvatur, in abscessum, gangrænam aut scirrhum desinit. „ *Curatio.*

Art. 679. Diagnosis abscessus Mesenterii interdum facilis est, interdum vero difficillima. Si enim ab inflammatione ejusdem partis fiat „ ex signis ut in abscessu intestinorum facile „ dignoscitur, secus vero vix discerni potest. „

Calmettei sententia.

Art. 680. Abscessus & ulcus mesenterii difficilis admodum sunt diagnoseos, nisi illa dictæ partis inflammatio præcesserit, quæ ultra tempus sine ægrotantis morte perseveret, quod ta- *Abscessus mesenterii diagnosis.*

men non valde ordinarium est, & inditium dat tumorem inflammatorium discuti, & resolvi non potuisse, sed fuisse suppuratum atque in pus conversum. Si quæ tamen reconditorum affectuum, & qui nonnisi per dissectionem cadaverum plerisque innotuerunt Medicis, signa seu potius conjecturæ afferri possint; illæ ex dolore, tensione, gravitate affectæ partis, cibi fastidio sine ullo calore, & febre præcedentibus, ex magna facietate post paucum assumtum cibum, stomachi pondus mesenterio incumbens; ex febre lenta, & languida subsequente, ex vomitu, atrophia corporis, dejectionibus fœtidis chylosis, sanguineis, & rupto in intestina abscessu purulentis, petendæ sunt, atque etiam ex absentia signorum alias vicinas partes affectas in specie designantium.

Jonstoni sententia.

Definitio. *Art.* 681. Mesenterii inflammatio est ejusdem tumor, ab humoribus cum sanguine nutriente in spatia ipsius effusis, vel glandulis altius impactis, & calore externo accedente putrescentibus exortus.

Diagnosis. *Art.* 682. Signa sunt: febris lenta, plerumque semitertiana, dolor lumborum, nunc in utraque parte, tunc in dextera, qui se ad anteriorem regionem ventris, supra & circa umbilicum extendit, alvus suppressa, egestiones chylosæ, quas ut plurimum ichor tenuis, modo sincerus, & citrinus, modo fœcibus permixtus insequitur. Differt a doloribus ventriculi, uterinis, Colicis, & Nephriticis, signis in ipsis expositis. A pinguedine ventris differt, quia hic manu totus comprehenditur, quod summæ cuti inhærescat, secernique a musculis abdomi-

nis potest. A musculorum abdominis tumore differt, quia is circa pressus dolore afficit, nec alvum ita remoratur.

Art. 683. Curatio non est negligenda; periculosa nempe tum propter febrem, qua æger contabescit; tum propter putredinem, qua mesenterium corrumpitur. Extenditur vero interdum ad quadragesimum, interdum octogesimum diem; interdum per vitæ tempus durat; febre, & colicis doloribus mox redeuntibus, mox cessantibus. Purgantia vel nulla, vel lenia, nec in principio, ne plus attrahatur; sed inflammatione ad concoctionem tendente. Sed nec Cassia in curationis auspicio satis tuta. *Curatio.*

Art. 684. Abscessus mesenterium infestantes sunt varii. Nam 1°. si locum spectes vel sunt supra umbilicum, vel infra, vel circa; 2°. si constitutionem, interdum mesenterium ex multis magnis scirrhis conflatum invenitur. Interdum lapilli in eo reperiuntur. Interdum infinitos habet abscessus, sine sensu, ac dolore, folliculo proprio inclusos, ac gypseam, glutinosam, aut liquidam materiam continentes. Cognoscuntur autem difficulter, & interdum non nisi post mortem, si tamen venter intumuit, & symptomata adsunt, nec hydropis, vel alterius alicujus affinis morbi signa præsto sunt, suspicari de illis debemus. Excluduntur autem prodigiose. Aliquando sponte ad alvum hæc saburra erumpit, & non raro facto circuitu revertitur. Aliquando inter peritonæum, & abdominis musculos copiose profusa, vel in cavitatem ventris rupto peritonæo defluit, aut per abscessum exterius erumpit &c. Aliquando ægro bene ferente id accidit. Aliquando eidem mortem accelerat. *Mesenterii abscessus diagnosis.*

Art. 685. De eorum curatione hæc in genere *Morbi Curatio.*

notanda. 1. Alvum semper debere esse fluidam. 2°. Resolventibus materiis, sed levibus, vim aromaticam habentibus, blande stringentibus festinandum. 3°. Inter detergentia Syrupus Mercati ex calybe palmam obtinere. 4°. Ad consolidandum Terebinthinam Cypriam quovis modo præparatam, in primis si materia peccans in lumbis ac circa renes delitescit, omnibus præferendam. 5°. Ad citiorem abscessus maturationem balneum aquæ dulcis frequentandum. 6. Vires etiam egregie essentia Persicariæ cum oleo calchantino roborari. 7. Acidulas, quia facultate penetrandi, & extersoria ulcera erodant, & temperiem pessum dent, vitari debere.

Ettmulleri sententia.

Inflammatio Mesenterii. *Art.* 686. Inflammationes, & tumores Mesenterii sæpius sunt fons, & origo chronicorum, & admodum latentium morborum, & fomites mirabilium turbarum ægros, & medicos vexantium. Dolores adsunt nunc circa dorsum & lumbos, nunc in abdomine & circa umbilicum, tormina inferentes, lenti tamen omnes & diuturni, subinde cum febricula erratica; dolores subinde per intervalla recurrunt.

Abscessus. *Art.* 687. Quando apostema suppuratum rumpitur, horror insignis, interdum rigor quatit ægrum, cum superveniente æstu non raro insigni, quem puris præsertim per alvum excretio successive comitatur.

Diagnosis. *Art.* 688. Corpus sensim emaciatur; respiratio evadit difficilior; & subinde aliquid molesti, quod ipsi ægri satis explicare nequeunt; in profundo

fundo abdominis circa, & infra umbilicum perſentire affirmant; flatulentiæ ægros vexare ſolent. Sæpe multis annis affligunt hujuſmodi tumores, in *ſcirrhoſos* & *ſtrumoſos* abeuntes.

Art. 689. Curantur hæc pathemata Meſenterii, cum diuturniores fiunt, ut alii chronici affectus *cachectici* & *hypochondriaci*; tractandi ſunt tamen caute, & ſine violentia. Convenit externe *empl. de cicuta cum ammoniaco*, *de ranis cum mercurio*, &c. Interne *deobſtruentia*; *millepedes*, *remedia ad ſtrumas*, &c. Apertio venarum hæmorrhoidalium per *hirudines*; *purgantia* ſunt nociva, *enemata* utiliſſima. *Curatio.*

Farrago ſententiarum.

Art. 690. Gignitur in Meſenterie phlegmone abſceſſus a ſanguine in eam partem a venis effuſo, ibique putrefacto; illa autem tactu percipitur, dolorem infert gravem, & febrem multis gravibus ſymptomatis ſtipatam; tamen ideo æger non cogitur decumbere, & negotia ſua relinquere. *Qui morbi ex phlegmone meſenterii oriantur.*

Abſceſſu rupto pus copioſum, & album defluit ab alvo, interdum mixtum fœcibus, interdum ſeorſim cum abſceſſus vergit in colon, aut rectum inteſtinum. Præterea in meſenterio choleræ, melancholiæ, diarrh. dyſſenter. cachex., & intermittentium febrium, aliorumque latentium morborum cauſæ continentur; quod a Fernelio annotatum, a veteribus medicis prætermiſſum miror.

Art. 691. Ipſæ tamen febres, quæ ex meſenterio veniunt, & nobis cum Baglivo audiunt meſentericæ in duo merito genera ſunt dividendæ acutas ſcilicet, & lentas, ſive chronicas. Quare ſi in infimo ventre ardor, dolor, *Eorum ſigna.*

cum præternaturali totius corporis æstu, pulsu celeri, virium prostratione, anxietate & inquietudine se se prodit, in intestinis hæc consistere judicandum. Febres etiam quæ cum dolore, ardore, nec non tumore imi ventris junctæ, & tandem per alvi fluxus putridos, & copiosos, vel etiam purulentos solvuntur, cum magna intestinorum difficultate ex Mesenterio provenire nil dubii est.

Ex mesenterio quoque, ibique stagnantibus corruptis humoribus prodeunt hemitritæi sic dictæ sive semitertianæ febres, quæ ex continua inflammatoria, & intermittente tertiana sunt compositæ, periculi non expertes. Notæ hæ jam fuerunt *Hippocrati*, & *Galeno*, easdemque nitide, & accurate descripsit *Spigelius* peculiari libro. Discrepant tamen a nostris in eo, quod quotidie circa vesperam, & alternis quoque diebus, levi accedente horrore ingravescendo, junctum habeant abdominis dolorem, ventrisque tumorem, & quandoque ad aliquot hebdomadas protrahantur, & nonnumquam in febrem lentam, & hecticam concedant. *Frideric. Hoffmann.*

Utiles Animadversiones. *Art.* 692. Dolores palpitantes circa umbilicum, intestini tenuis, aut mesenterii inflammationem indicant, sæpe delirium movent, & in tympanitidem pessimum desinunt. Qui colicns dolor fixus est in ventre cum calore lancinate, pulsu duro, & siti intensa ab Inflammatione vel Erysipelate intestinorum oriri timor est, & a nonnullis tamen vocatur *Collica convulsiva. De Gorter.*

Curandi ratio. *Art.* 693. In inflammationibus hujusmodi statim mittendus est sanguis e brachio quacunque hora, dum necessitas urget. Præter sanguinis missionem, omnia ex nitro hic, uti & in aliis

inter-

internis inflammationibus juvant. Aliquando utor nitro perlato, interdum vero antimoniato cum hordei decoctione, vel potius decoctione rad. vel fol. scabiosæ, cujus potentes sunt vires in internis viscerum inflammationibus ad præcavendum gangrænismum. Fuge nimiam remediorum copiam. Si tamen ingens fuerit pravorum humorum in primis viis apparatus fomentis, & clysteribus minuendus. Et si hæc non fuerint satis, potio aliqua tamarindata leniens danda, dummodo tamen gravis ardor, & extrema inflammationis rabies contrarium non requirant. Maxima opus est in hisce casibus prudentia, & cautione. Nam ut sæpe vidi liquidorum cursus in mesenterio, veluti strangulatur a nimium congestis ibidem humoribus, & veluti de repente pereunt ægri. Pulsus tunc est parvus, & infelix, ac lethalis, licet reliqua salutem promittant. Nonnulli in hisce casibus more solito chinam chinam præscribunt sed infelici successu, nam hoc remedium impuro corpori dare, sæpe in ægroti perniciem vertitur præcipue in maximo apparatu humorum in Mesenterio. *Baglivus.*

INFLAMMATIO PANCREATIS.

Ettmulleri sententia.

Art. 694. Inflammatio Pancreatis est affectus perquam occultus; vigilias, lipothymias, aliaque gravia symptomata inferens, in *abscessu* plerumque terminans. Interdum superveniente salutari *fluxu cruento* curantur hi morbi. *Inflammatio Pancreatis.*

Tozzi sententia.

Morbos Pancreatis ab iis Mesenterii distinguere difficile est.

Art. 695. Pari modo ac Mesenterium ipsum Pancreas quoque affici multoties compertum est: nam & obstrui, & inflammari, & obdurescere, & abscessus pati observatum est.

Horum viscerum affectiones propriis signis internoscere difficillimum. Suspicari autem aliquando licebit de inflammatione, aut abscessu in Mesenterio, & Pancreate, postquam ad maturitatem pervenerint, & purulentæ egestiones comparere cœperint, neque jecore, neque liene in humorem elato. Affecti autem Pancreatis longe difficilior conjectura erit, etiamsi a positu subter ventriculum, quis non se fallere arbitretur? Cum a diaphragmate id ipsum prodire possit; itemque a musculis lumborum, & spinæ adjacentibus.

Eorum curatio pariter difficilis.

Art. 696. Sicut autem ista cognitu perardua sunt, ita & curatu difficillima; nam etiamsi maturuerint, non tamen facile aut per alvum, aut per vias urinæ ibidem congesta repurgantur; quamobrem retentum pus vel corruptionem afferet, vel si alio deferatur, novum, & quidem graviorem morbum pariet, ut Colicam affectionem, Paralysin, Ischiadem, Dysenteriam. Quin & postquam abscessus fuerit mundatus, etiam inductum ulcus vitæ periculum minatur, cum nequeat convenienter abstergi, & consolidari, licet opportuna remedia adhibeantur.

Remedia tamen quæ juvare possunt.

Art. 697. Verumtamen naturæ opera in hoc plurimum valet, illamque proinde Medicus promovere debet, exhibendo primum, quæ inflammationem, si fortasse prænoscatur, impediant, qualia sunt omnis generis Bezoardica, stibium dia-

diaphoreticum, ſal volat. C. C. Viperar. ſuccin. ſp. ſal. armoniac. dulcis redditus, Elix. P.P. tinct. martis, & antimon. item ſperm. cœt. ſang. hirci, mumia, coagulum leporis aut hædi, extractum hyperici, & baccar. juniperi. Potiones vulnerariæ optimæ quoque ſunt, præcipue diſrupto jam apoſtemate. Terebinthina pariter fructuoſa eſt, ut & balſamum Peruvianum, Tolutanum, & ligni Guajacii.

Art. 698. Quodſi neceſſarium ſit, inchoatum naturæ motum per vias urinæ promovere, conducent diuretica, aquæ thermales, ocul. cancr. ſal cardui benedicti, & centaurii minoris, verum ſalis balſamum colore aureum, ſapore dulce, & contactu linguæ volatile; pulvis, & eſſentia macis, extractum glycyrrh. Trochiſci Gordoni *Diuretica quando adhibenda.*

Art. 699. Si demum remaneat ulcus, ſuffitus ex cinnabari cum balſamis miram opem afferre conſueverunt, atque horum uſu quoſdam brevi ſaluti reſtitutos vidi: etenim ab inducto ſenſim ptyaliſmo e ductibus ſalivariis educitur humor ille, qui in pancreate, & meſenterio reſtagnat ob communionem glandularum inter ſe, & præcipue illarum, quæ in meſenterio ſunt, cum colli glandulis. Neque verendum de interno mercurii uſu, modo rite præparatus ſit, & diaphoreticus evaſerit. *Mercurii uſus efficaciſſimus.*

INFLAMMATIO HEPATIS.

Celſi ſententia.

Art. 700. Morbus jecoris modo longus modo acutus eſſe conſuevit. Acuti morbi ſigna ſunt: ſub præcordiis dextra parte dolor vehemens, idemque ad latus dextrum, & ad jugulum, hu- *Hepatitidis deſcriptio.*

me-

merumque partis ejusdem pervenit, *eoque magis, si in gibba ejusdem parte inflammatio consistat; tunc enim usque adeo dolor vehemens est, ut æger convelli videatur, cujus* nonnumquam manus quoque dextra torquetur; horror validus est. *Contra si in sima seu concava jecinoris parte sit inflammatio plus fastidii, & nausea oboritur*, unde bilis evomitur, interdum singultus prope strangulat.

Longioris vero morbi ubi suppuratio in jocinore est, signa sunt: dolor modo remittens, modo intendens, cum dextri præcordii duritie, & tumore, & post cibum major difficultas est, accedit maxillarum quædam resolutio ubi inveteravit malum, venter & crura pedesque intumescunt, pectus, atque humeri, circaque jugulum utrumque extenuantur.

Curationis ratio. *Art.* 701. Initio sanguinem mittere optimum est; tum venter solvendus est: si non potest aliter per nigrum veratrum, & imponenda extrinsecus cataplasmata, primum quæ reprimant, deinde calida, quæ deducant, quibus recte iris vel absinthium adjicitur, post hæc malagma. Cibi potusque dandi fere qui pulmonis quoque dolori conveniunt, præterque eos, qui urinam movent, potionesque ad id efficaces. Utilia in hoc morbo sunt thymum, satureja, hyssopum, nepeta, amylum, sisamum, lauri baccæ, pini flos, herba sanguinalis, mentha, ex malo cotoneo medium, columbæ jecur recens, & crudum, sed parce assumpta. Neque alienum est, absinthium contritum ex melle, & pipere, ejusque catapotium quotidie devorare: abstinendum utique est, ab omnibus frigidis: neque enim res ulla magis jecur lædit. Profusio corporis multa prodest ex aqua: si hyems est, calida si æstas tepida; item liberalis unctio, & in balneo sudor.

Art.

Art. 702. Si vero jecur vomica laboret, eadem facienda sunt, quæ in ceteris interioribus suppurationibus. Quidam etiam ultra id scalpello aperiunt, ipsam vomicam adurunt. Vide Hipp. Aph. sect. VII. aph. 44. 45.

Ettmulleri sententia.

Art. 703. Inflammatio Hepatis & ejusdem abscessus vocatur alias Hepatitis. In genere percipitur in omni Hepatis inflammatione dolor obscurus & tensivus ac gravitativus in dextro hypochondrio & ejus profundo, qui sub suppuratione punctorius plus minus evadere solet; adest febris lenta plus minus vero acuta pro ratione gradus inflammationis; ægri fere supini jacent, præsertim si diaphragma afficiatur, & tussis arida affligit. In genere in *pleuritide vera* omnia symptomata sunt acerbiora, in *hepatitide remissiora*. Periculosum est malum, & quod sæpius ad mortem deducit ægros; aut discutitur, aut successive suppuratur, aut in *scirrhum* degenerat; *abscessus* nunc per alvum, nunc per urinam, interdum per tussim expurgatur; *singultus* est pessimum signum. *Hepatitis.*

Art. 704. Convenit *venæsectio* in pede, prosunt *sudorifera*, & *antipleuritica*, *antihecticum Poterii*, *sperma ceti*, *nitrata*, *saturnina*, *camphorata* & circa finem *diuretica*: externe *epithemata penetrantia & discutientia*, postremo *suppurantia*, rupto abscessu *vulneraria* & *balsamica* interne. *Curatio.*

Art. 705. Omnibus inflammationibus internis suppuratis & male curatis supervenire solet *phthisis*. De *hepatitide* præ omnibus consulatur *Boerhaave*. *Phthisis sequi solet.*

Inter

Inter legendum, & observandum.

Signa hujus inflammationis. *Art.* 706. Jocinoris inflammatio ex tumore duro, & tensione dextri hypochondrii, quæ ad umbilicum usque non raro extenditur; Æger febricitat nec in dextrum latus decumbere potest, alvi segnitie laborat, urinas reddit rubentes, &c.

Curandi ratio. *Art.* 707. Hic morbus eadem omnino ratione qua pleuritis curandus est, in primis ab initio usque vena brachii, & pedis tundi debet; atque in potum porrigenda ptisana ægro dulcificans, refrigerans, & diuretica.

De abscessu jecuris. *Art.* 708. Aliquando inflammatio hæc suppuratione desinit, unde hepatis abscessus oritur: Hujus generationem cognoscimus ex incremento doloris, tensionis, & duritiei partis affectæ; tum etiam a febre, quæ crebris horroribus stipatur, quos ardentes sequuntur calores. Absoluto perfectoque pure jam hæc omnia symptomata iminuuntur.

Remedia ad abscessum. *Art.* 709. Generalibus adhibitis remediis phlebotomia videlicet, & purgatione: jecuris apostema cataplasmatibus emollientibus tractandus est ut sequitur.

Cataplasma. ℞. *Medulla panis albi & recent. unc.* x. *lactis libr.* ij. *coq. ad consist. emplast. tum add. vitell. ovorum.* j. *crot. pulv.* ℈ij. *ol. ros. unc.* j. *m.*

Hoc vero cataplasma ad maturandum tumorem admovetur; & ubi fluctuationem exoriri digitis explorantibus percipitur, in loco abscessus perforetur abdomen atque ut pus contentum facilius dimanet jubendus est ægro situs corporis ad hoc obtinendum aptior. Deinde vulnus plurima diligentia, & cautione tractetur; cavendo quo minus fieri potest, ne detectum re-

ma-

maneat, quia aër semper noxius est iis partibus, quæ ab eo naturaliter non tanguntur.

Si pus ad intestina usque pervenerit, quod ex alvi egestionibus cognoscitur, clysteres lenes, & detersivi jubendi ex decoct. fol. malvæ, alth. verben. fœm. &c. compositi quorum ana m. j. in aqua coq. & colat. add. mellis unc. iij.

Si vero pus ad stomachum vergat vomitum procurato, propinando ol. amyg. dulc. cum jure tepido vel aqua.

In quotidianum potum dabitur ægro ptisana diuretica, vel aqua pura nitro medicata, qua affatim bibendo plurimum levaminis lucrabitur.

INFLAMMATIO LIENIS.

Tralliani sententia.

Art. 710. Inflammato liene dolor cum tumore, & tensione, multaque gravitate vehementer urget, interim obstructio membri excitatur unde scirrhum ex inflammatione plerumque contrahit, interdum etiam sine dolore augescit, durusque efficitur, quod tactu subinde cognoscere possumus. (Sed hoc ubi contingat absque prævia inflammatione ad morbos frigidos spectat). *Inflammatio lienis. Diagnosis.*

Signa inflammationis ex humore bilioso sunt, quod totum corpus calidum est, & sine febre videtur, quæ tamen quovis tertio die exacerbatur, oculi tincti sunt, urinæ coloratiores, acresque, aut flavæ, aut rubræ existunt, ægri sitibundi frigidam bibere appetunt, animo sunt abjecto, cito furiunt, os habent amarum, cibum fastidiunt, vigiliis torquentur, & ventris turbatione, linguam habent flavam, atque alia id genus similia, quæ bilem testantur, sustinent; *Ejus signa ex humore bilioso.*

Ex humore melancholico. Signa ex humore melancholico sunt; cutis & urina nigrior, gingivæque similes, sitis etiam, & si ægri frigidam potionem assumpserint, magis cibum appetunt.

Ex pituitoso. Signa ex humore pituitoso sunt: color pallidus in cute, oculis, & lingua, ægri non sitiunt sed cibos appetunt.

Hoc item scire licet, quod ex bile omni tertio die ægri febricitant, ex melancholia omni quarto, & ex pituita quotidie.

Remedia. *Art.* 711. Si venæ sectio omnibus visceribus inflammatis præsentissimum est remedium, maxime certe in lienis inflammatione adhibenda est; quare venam brachii sinistri interiorem secabis, & cum sanguis fluit attendendum est, ne rubens valde sit, & purus, an lividus. Nam si lividus est, aut æquo rubentior, copiosius auferri debet, si purus, ac sincerus, paucior; verum sic extrahendus est, ne vitalis facultas deficiat.

Post sanguinis missionem levibus medicamentis alvus ducenda est, ut herba mercuriali, polypodio, cnico, atque similibus, vel eorum loco clysteres juvant, & si in ventriculum humores influunt etiam vomitoria. Dein fomenta adhibere convenit ex vino austero si lævis affectio est, cui additur ol. omphacinum, & rosaceum, si calor urget. His adjicies: rosas, lentiscum, rubum, & simile quid adstringens, si affectio valida sit, absque calore. Quodsi frigidus sit in liene humor adjunge pulegium, & si hoc satis non proficiat: thymum, origanum, & nardinum oleum impone.

Ettmulleri sententia.

Art. 712. In inflammatione *Lienis* eadem fere sunt symptomata in sinistro hypochondrio, ac

in inflammatione *hepatis* in dextro; ideoque diagnosis, prognosis, & cura fere eadem sunt.

Jonstonii sententia.

Art. 713. Signa inflammationis lienis sunt: tumor in sinistro hypochondrio versus anteriora quasi protuberans, & hominem quasi medium cingens, sic a renis sinistri qui dextro elatior dolore, & inflammatione distinguitur: pulsatio & palpitatio illius lateris ob arterias, quibus abundat. Febris continua quartanæ periodum servans. Respiratio ob diaphragmatis compressionem difficilis. *Spleniti-dis signa.*

Art. 714. Cl. Van Schvvietten in comment. ad Boerhaav. aph. 958. postquam descripsit historiam cujusdam ex lienis inflammatione suppurati adjungit, Videtur autem, & Hippocrates „ observasse lienis suppurationem: jussit enim „ splenem, maximum jam, & sublatum, inuri, „ ut in hepatis vomica consuluerat, ad pus „ educendum. Et in alio loco antea ad §. 488. „ citato de lienosis agens monet, morbum quan„ doque in hydropem degenerare, & contabe„ scere ægros; quibusdam vero lienem suppu„ rari, qui usti sani fiunt; quibusdam etiam „ durum, & magnum lienem consenescere. „ Aretæus etiam hoc pulchre monuit dicens: *Incrementi autem notæ sunt, febres dolores, & horrores: multoties enim remittunt, post brevem autem calorem rigore, & dolore vacant; hac de causa interdum in splene abscessus latuit: rarum enim, & sensu carens etiam in sanitate viscus.* Exitus autem talis morbi notavit *Hippocrates*: dicens: *Qui lienosi dysenteria corripiuntur, iis oborta longa dysenteria hydrops, aut lienteria succedit ac intereunt.* Paulo post tamen dicit: *Lie-* *Ejus suppuratio.*

nosis

nosis dysenteria succedens, bonum; Verum materia lienem occupans per venam splenicam facili via in hepar tendit.

Farrago sententiarum.

Antiquorum feracitas in morbis lienis. *Art.* 715. Satis frequenter mentio morborum lienis apud veteres fit, ita tamen ut merito suspicari liceat, quod quandoque, & morbos vicinarum partium sub titulo lienis male affecti, descripserint. Verum minus frequenter quam alia viscera lienem inflammari notavit Trallianus lib. VIII. cap. 12.

Signa. *Art.* 716. Præcipua signa inflammati lienis sunt, febris acuta continua, dolor in loco lienis, quandoque ad humerum, mammam, & claviculam sinistri lateris protensus, quare non videtur improbabile, quandoque sub pleuritidis nomine tractari lienis inflammationem, cujusmodi historiam ab *Antonio de Haen* apud Batavos Hagæ comitum Medico acceptam, refert Van Schvvietten.

Cognoscitur item hic morbus ex calore, & gravitate lateris sinistri, tum etiam ex pulsationis sensu ibidem loci, difficultate respirationis cum febre acuta continua.

Remedia. *Art.* 717. Eadem omnino ratione huic morbo ac hepatis inflammationi medetur. Externe prominenti tumori applicari debet cicutæ emplast. & si inflammatio in abscessum, abeat oportet eumdem aperire, ulcusque subsequens juxta Chirurgicæ Artis præcepta curare, cum omnes interni abscessus magni momenti semper haberi debeant. *Boudon.*

INFLAMMATIO VESICÆ;

Aretæi sententia.

Art. 718. Inflammatione urinariam vesicam tenente, urina retinetur, abdomen intumescit, dolor acutus totum ventrem occupat, vesica turget, decimo die luteus sudor exit; pituita vomitur primo, deinde bilis: universum corpus friget, sed pedes vehementius. Si malum vires majores acquirat, tum febres cum singultu hominem corripiunt: micant arteriæ inordinatis, frequentibus, ac pusillis motibus: rubida facies est, sitiunt, animo ancipites sunt, mens non constat, nervi contrahuntur. *Inflammationis vesicæ urinariæ signa.*

Art. 719. Hæc omnia faciunt, non tam vesicæ inflammatio, quam grummi sanguinis, calculus in cervicem delapsus, & ea quæ vesicam deurunt: ut venenosa quædam, & cantharides, aut bupreste; unde tota alvus majorem vim patitur, neque longa mortis mora interponitur. *Causa.*

Art. 720. Acuti vesicæ morbi intra quatuordecim dies, aut paulo citius seriusve hominem perimunt; refrigeratio enim, & extinctio caloris ingeniti sequitur, quæ necrosis græci dicitur seu gangræna. *Prognosis.*

Art. 721. Curatio ex Ægineta elegantior est: *Curatio.*
» Sanguinis detractione quam primum occurrendum est, mitigatoriaque facultate præditis
» aspersginibus, & cataplasmatibus utendum ex
» ruta, anetho, fœnugræco, altheæque radice.
» Clysteriis item mollibus ex oleo, & papavere, & adipe anserina. Opii quoque obolus
» semis, cum mirrha crocoque, ac oleo sedi
» immitendus. Mulsa propinanda. Abstinen-
» dum a valde lotium cientibus, multaque po-

„ tione, nisi acris, & biliosus humor excedat,
„ tunc quippe copiosiori potui indulgendum.
„ Sumatur item cucumeris, & peponis semen.
„ Victus ratio quæ febricitantibus expedit.

Inter observandum, & legendum.

Signa. *Art.* 722. In vesicæ inflammatione dolor atque ardor in pube percipitur, atque urine suppressio, tenesmusque tenet, æque ac febris, delirium, & vigilia.

Remedia. *Art.* 723. Hujus inflammationis curatio a phlebotomia inchoanda est; quæ sæpius etiam repeti debet, prout symptomata requirere videntur. Clysteres ex lacte injiciendi sunt, & potus jubendus ex hordei decocto, cum vel sine nitro.

Balnea quoque, vel semicupia adhiberi possunt.

Perinæum vero decocto rad. & fol. malvæ, alth. parietar. capit. Papav. & fol. salicis, vel ol. aneth. chamæmell. ros. vel nymph. sæpe fovere præstat. Si urinæ suppressio diutius protrahat mictus adjuvandus est syringa in vesicam immissa, quam non raro necesse est aliquandiu introductam relinquere.

CA-

CAPUT III.

Sive Fasciculus Morborum tertius.

DE AFFECTIBUS CAPITIS & Nervorum in genere.

Art. 724. CLarissimus noster Sydenhamus a quodam interrogatus, quam ob rem non de morbis Capitis, æque ac de aliis, scripserat? summa modestia ac candore respondisse dicitur, *quoniam illos nondum intellexi*. Et equidem agnoscendum est scientiam nostram in hac regione valde mancam ac imperfectam esse; utcunque tamen in hunc oceanum propemodum ignotum descendendum est, & a juvantium, & lædentium contemplatione, quoquomodo possumus, cursus natura & experientia ducibus dirigendus est. *Proœmium.*

Cheynei de natura fibræ epitome.

Art. 725. Diuturnorum morborum origines in genere sunt tres. 1°. *Humorum lentor sive tenacitas*. 2°. *Eorundem acor & acrimonia*. 3°. *Deperdita aut saltem imminuta fibrarum tensio sive elasticitas*. Omnes nervorum morbi ab infimo oscitatione nempe, & pandiculatione ad usque summum, nempe apoplecticam dispositionem, varii tantum videntur gradus unius ejusdemque morbi, *debilitatis scilicet, aut relaxationis defectusque elasticæ facultatis partium solidarum*, quorum causæ sunt, ea quæ comitantur *lentorem & acrimoniam humorum*. *Origo morborum chronicorum.*

Art. 726. Morborum Nervinorum tria sunt genera. Primum est eorum, quorum symptoma *Natura morborũ*

Nervi norum. præcipuum est *facultatis sentiendi debilitas temporaria aut perpetua, vel totalis ejusdem cessatio*, quam sequitur motus voluntarii suspensio; hujusmodi morbi ab humorum lentorum, & viscosorum copia nimia tanquam causa principali oriri videntur. Multi sunt hujus generis morbi ab usque gravi apoplexia, qua omnium simul nervorum origo comprimitur, omniumque vibratio, ne ad animæ sentientis sedem propagetur, intercipitur, ad sensuum ingeniique hebetudinem, & stuporem. Huc etiam aliquatenus referenda sunt *hypochondriacorum & hystericarum deliquia & paroxysmi*. Secundum est eorum, quorum præcipuum symptoma est *motus voluntarius aut impeditus aut abolitus*; tales sunt morbi generis paralytici, a paralysi universali usque ad segnitiem, & inexpeditum inhabilemque artuum motum, membrorumque frigiditatem; atque hi fibrarum & nervorum & præcipue muscularium debilitati, imbecillitati, aut tono amisso deberi videntur. Tertium denique eorum est, quorum præcipua symptomata sunt *spasmi, contractiones, & convulsiones musculorum*: tales sunt morbi convulsivi dicti ab epilepsia, & convulsione, hypochondriacis & hystericis paroxysmis, usque ad oscitatum, & pandiculationem: & hi in universum acriori stimulo debentur, quorum origo est salsa quædam & erodens acrimonia fluidorum, acida præterea & stimulans aura, vapor, aut obstructa perspiratio. Hæc Nervinorum morborum per genera sua distributio maxime naturalis, & latissime patens videtur. Fibrarum infirmitati indivulsus comes adhæret, & pro ejus gradu minor majorve est omnium functionum animalium *languor & debilitas*.

Indicationes Curativæ. *Art.* 727. Ex prædictis patet tres indicationes sive intentiones curativas oriri; scilicet, prima

est

est *diluere, attenuare, eorumque lentorem tollere, & canales obstructos aperire & meabiles efficere.* Secunda est *humorum acrimoniam tollere, molecularum nexus dissolvere & spicula frangere.* Ultima denique & præcipua intentio est *solidis partibus tonum suum & vim elasticam reddere.* Huic enim ultimæ intentioni assequendæ minime allaborandum est; antequam duabus prioribus felicem operam tamdiu dederimus quamdiu id postulare videtur morbi indoles. Quamdiu enim humorum lentor aut acrimonia manet, frustra, aut si succedat, magno ægri damno fibræ corrugantur, & intenduntur; & profecto hoc monitum est maximi momenti. Præmissis universalibus, primæ intentioni satisfaciunt quæcunque particularium pondere, agilitate, aut quavis proprietate, succis crassis, viscidis, lentis, incidendis, attenuandis & fluidis reddendis idonea inveniuntur: Talia sunt *calomelas, æthiops mineralis, cinab. antimonii & nativ. antimonium diaphoreticum bezoardicum minerale & Joviale, sal Jovis, succi antiscorbutici, vina & cerevisiæ medicat. decoct. e lign. &c.* Inter ea primum locum tribuo *cinnab. antimonii*, quæ scilicet ex omnibus una ventriculo minime molesta est, nec ita facile torminibus intestina excrutiat, aut catharsin ciet, præcipue recens & artificiose elaborata. Ipse ego maximas ejus vires sæpe miratus sum, cum, nullo alio medicamento simul adhibito, laudum ejus vel minima pars communis esse posset.

Art. 728. Ad finem secunda intentione propositum assequendum, mirabiles profecto sunt vires medicamentorum *sulphureorum*; eidem etiam proposito conducunt medicamenta *absorbentia & Alcalina dicta, gummosa & volatilia:* diligenter interim cavendum est, ne *volatilia* intempestive nimiave copia ingerantur: tunc enim humo-

 ribus

ribus haud satis dilutis, eos nimia vi agitabunt & ardorem febrilem excitabunt. In *gummosis* insignis est incidendi, & attenuandi vis, *saponi* æmula; medicamentorum autem smegmaticorum vires in obstructionibus reserandis, & ictero speciatim domando satis notæ sunt. Sed cum eximia calefaciendi vi polleant, nunquam adhibenda sunt antequam humores satis diluti fuerint. Ultimæ denique intentioni, quæ est fibras laxatas constringere, remissas intendere & corrugare, sequentia accommodata sunt; *cortex Peruv. cortex Eleutherii, viscus arboreus, cinnam. calam. arom. cort. aurant. amara quæcunque, catecheu. rhabarbarum torrefactum, styptica, e ferro parata, aquæ chalybeatæ*; reliquis vero omnibus præstat *cortex Peruvianus*; ut a multiplici experientia per multos annos didici in omnibus laxæ fibræ morbis. *Tincturam Burgundicam* præscribere soleo.

CEPHALALGIA.

Celsi sententia.

Descriptio morbi. *Art.* 729. In Capite interdum acutus, & pestifer morbus est, quem κεφαλαίαν, *Græci* vocant, cujus notæ sunt horror validus, nervorum resolutio, oculorum caligo, mentis alienatio, vomitus, sicut vox supprimatur; vel sanguinis ex naribus cursus, sic ut corpus frigescat, anima deficiat. Præter hæc dolor intolerabilis, maxime circa tempora, vel occipitium. Interdum autem in capite longa imbecillitas; sed neque gravis, neque periculosa, per hominis ætatem est.

Curatio. *Art.* 730. In dolore, qui acutus est, & qui supra consuetudinem intenditur, convenit *venæsectio*, sed nisi intolerabilis sit, supervacuum erit

erit venam secare; satiusque est abstinere *a cibo*, si fieri potest, etiam a *potione*; si non potest, *aquam* bibere; si postero die dolor remanet, *alvum* ducere, *sternutamenta* evocare, nihil assumere, nisi *aquam*; sæpe enim dies unus aut alter totum dolorem hac ratione discutit.

Vuillisii sententia.

Art. 731. Si dolor capitis inveteratus, & fere continuus fuerit, ut jure suspicemur eum a tumore *phlegmonode*, *erysipelate*, *scirrho*, *abscessu*, aut *vermibus* oriri; curationis spes exigua aut nulla superest. Si dolor capitis sit immanis, atque vertiginem, vomitionem, aliosque affectus aut convulsivos aut soporosos adjunctos habuerit, frequenter in *apoplexiam* lethalem, aut *epilepsiam*, *paralysin*, *cœcitatem*, *surditatem*, &c. *Prognosis.*
„ Quum caput parte aliqua (*inquit* Lommius)
„ aut circumcirca dolet, si pus, vel aqua vel
„ sanguis naribus, ore, aut auribus exit, scire
„ licet malum solvi.

Art. 732. Ad curationem hujus morbi detractio sanguinis e venis sedalibus *hirudinum* suctu locum habet, item *aquæ minerales catharticæ*, *cremor tartari* in sero lactis solutus, *vesicatoria*, *opiata*, *infusum Coffee*, *fol. salviæ*, *rorismarini*, &c. instar *Theæ* epotum. *Millepedes* quoque curandis Cephalalgiis pertinacibus opem sæpe egregiam præstant. Dolor capitis post *morbillos* aut *variolas* totidem horis a pastu accedens, præmissis universalibus, *antiscorbuticis* & *chalybeatis* curatur. *Curatio.* *Post morbillosa ut variolas.*

Ettmülleri sententia.

Cephalalgia calida. Frigida. *Art.* 733. Cephalalgia est vel calida, prout sanguis magis fervet, tunc sensus caloris præsertim circa frontem percipitur; vel frigida, cum nihil tale occurrit, sed potius frigus sentitur, aut saltem adest gravedo capitis. *Per consensum.* Ex omni Cephalalgia per consensum frequentissima est illa, quæ fit ex *stomacho*. *Habitualis.* Cephalalgia *habitualis* inveterata est difficilis curatu, terminare solet in *vertiginem*, *apoplexiam*, *epilepsiam*, *paralysin*, *cæcitatem*, *surditatem*, &c. Ex omnibus dolor capitis *scorbaticus* est contumacissimus.

Biliosa & Pituitosa. *Art.* 734. „ Cephalalgia (*juxta* Dolæum) recte
„ dividitur in *biliosam* & *pituitosam*; in prio-
„ ri casu dolor est valde acutus cum insigni ar-
Curatio. „ dore; particulæ biliosæ acres vel salino-sul-
„ phureæ in sanguine abundant; ideoque adhi-
„ benda est *venæsectio*, leniter *purgantia*, alia-
„ que ad temperiem sanguinis alterandam, tem-
„ perandamque facientia. In cephalalgia *pitui-*
„ *tosa* materia peccans est crassa ac tenax, in-
„ deque dolor gravativus, adest stupor mentis,
„ segnities; hæc species *cathartica* fortiora po-
„ stulat; proficua sunt decocta *lignorum*, *salia*
„ *volatilia*, *cinnabarina*, *cephalica*, potus her-
„ bæ *Theæ*; si malum a stomacho debilitato tra-
„ hat suum ortum, tunc conveniunt *corroboran-*
„ *tia*, *stomachica*, *acidulæ spadenses*, &c. Ad
„ Curam Cephalalgiæ in genere apprime con-
„ ducit dosis *pil. cathartic. cum mercur. dulc.* ℈ß.
„ & *laudan.* gr. j. hor. somni & aliquoties repe-
„ tita, item decoctum *e lignis cum roremarin.*
„ *salia volatilia*, *cinnabarina nativ. succinata*,
„ *camphorata*, potio *Theæ* (*Coffee.*) In contu-
maci

maci capitis dolore empl. de *ranis cum mercurio* capiti raso apponi potest.

Art. 735. Hemicrania (cum dolet dimidium caput) est gravissima species Cephalalgiæ; præmissis universalibus experimentum est singulare cataplasma factum ex *rad. cucumeris asinini* vel *brion. cum verben.*, & *absynth.* &c. Hemicraniis deploratissimis (inquit *Turner*) laborantes *Arteriotomia* temporum aliis omnibus incassum tentatis, feliciter liberavit, iddemque ab aliis præstitum novi. Si dolor capitis sit in modum hemicraniæ (inquit *Chesneau*) & parvum locum occupet; etiamsi adsit febris continua; nihil applicatione *ranunculi* præstantius inveni; universalibus præmissis, dolorem ad miraculum tollit; ad hunc modum utor; derasis capillis, si sit locus pilosus, parti dolenti imponatur quodvis emplastr. adhæsivum cum foramine in medio ad amplitudinem denarii, ut in applicatione *Pyrotici* solet fieri; deinde supra foramen applicentur *folia ranunculi contusa, multo succo madentia*; in tenero loco, & depilato duarum horarum spatio cutem aperit, in capite vero, ubi pili nascuntur, non facile aperit, sed parte in tumorem elevata dolorem sedat. Hoc unum advertendum, ut circa oculos ponatur parva quantitate propter palpebrarum, & partium circumjacentium inflationes, quas gignit, stupendas; nullius tamen periculi. *Hemicrania.*

Baglivi sententia.

Art. 736. Sunt qui ob nimium sensum, sive fibrarum ariditatem, capitis dolore laborant; in quo casu, quoniam dolor solidi vitio potius quam fluidi oritur, ad *narcotica* libenter veniendum; nam tuto applicari possunt, quoniam *Dolor capitis ob nimium fibrarum sensum.*

non

non aliud debent efficere, quam obtundere nimium fibrarum sensum: ter aut quater observavi dolores capitis pertinacissimos, & fere ad maniam accedentes, irritis aliis, solo *pulv. de Guttet.* ad ʒj. dato, feliciter cessisse.

Farrago sententiarum.

Euporist. *Art.* 737. „ Acerrimi dolores capitis *euporisto*,
„ sanari possunt nempe *strophiolo aqua frigida*
„ *madido* collum circumdante, & cum a nativo
„ calore incalescit linteum pro novo permutan-
„ dum, unde dolor quasi excantatus desinit, &
„ rediens eodem stratagemate elusus fugatur;
„ (*sed temerarium est experimentum.*)

Arteriotomia. *Art.* 738. In hoc malo *Parisiis* nihil frequentius, quam *sectio arteriæ temporalis*; aliquando chirurgus transversim secat; idque felicius quam ubi punctum incidit, sic enim magis coeunt divisæ arteriæ partes *Trophimus Serrier.* M. *Homberg* memorat exemplum *Cephalalgiæ pertinacis* ac inveteratæ per combustionem accidentalem curatæ.

Remedia. *Art.* 739. Camphora in spiritu quolibet cephalico, & naribus attracta Cephalalgiam sedat, *Greenfield.*

Varia. *Art.* 740. Succus *hederæ terrestris* naribus attractus, cephalalgiam penitus aufert, *Raii* hist. plant. videatur locus, *pag.* 567.

In Cephalalgia habituali. *Art.* 741. In cephalalgia habituali, & pertinaci pulvis *mari syriaci* est fere specificum; dos. ʒß. ut ab amico medico accepi.

Art. 742. Refert *Ruyschius* (*Obs. Anotom. & Chirurg. obs.* 40.) casum pertinacis Cephalalgiæ, quæ omnibus remediis incassum tentatis Setaceo Nucæ admoto demum conquievit. Quousque applicatum hoc remedium persistebat nullus

lus dolor ægrum vexabat, sed eodem remoto mox revertebatur, quæ sane alternatio diu perseverans, evenit demum ut omnino cessaret, ægerque in valetudinis gratiam rediret.

Art. 743. Capitis dolor diversa sibi nomina sumit habita ratione partium capitis quas exercet. Quando totum caput tenet dicitur *Cephalalgia*, quando hujusmodi dolor totum caput tenens diuturnus, & pertinax est *Cephalea* vocatur, si nisi dimidium capitis exercet sutura sagittali limites ponente *Hemicrania*, si nisi pars quædam capitis inter sagittalem, & temporalem suturam posita afficiatur *Ovum*, si demum nisi particula quædam ubivis in capite excrutietur *Clavus* nuncupatur. *Nomina quæ capitis dolori tribuuntur.*

Art. 744. Si dolor a sanguinis densitate, exoriri videatur, qui cum per vasa meningum libere circulare nequeat, nec per ea Pericranii, distentis horum vasorum fibrillis sensum doloris faciat, tunc evidens est, quod remedia præcipi debent, quæ densitatem sanguinis attenuare, ejusque retardatum motum concitare valeant. Hinc Lexici Medicinalis Auctor sæpe laudatus tamquam efficacissimum auxilium commendat ut. *Remedia.*

℞. *Salv. majoran. chamædrios ana* ℥j. *betonit. vel ejus flor. tum flor. rorismarin. stechad. ana* ℥ *sem. exsiccat. f. pulv. cujus quolibet mane* ʒj. *in cyatho vini albi propinetur.* *Pulvis.*

Dum per dies x. vel xij. hoc remedio utitur æger, pro potu ordinario sequentem adhibeat Ptisanam.

℞. *Rad. chin. unc.* j. *sassafr.* ʒiij. *coq. in aq. font.* ℔ iv. *usque ad tertiæ partis consumpt. & colat. servetur usui.* *Ptisana.*

Si dolor a sanguinis effervescentia, & rarefactione producatur, ob quam meningum fibræ,

dedu-

deducuntur remedia sunt; quæ crasso sulphure abundant, ut inde volatilioribus sanguinis particulis firmatis nimia agitatio impediatur. Huc mirabiliter facit ptisana.

Altera. ℞. *Rad. nymph. unc.* ij. *aq. font. lib.* iv. *bull. per horæ quadrantem, & in fine ebullit. adde fol. lactuc. man.* j. *sem. anis. pug.* j. *opii gr.* ij. *in nodulo suspens. sal. tartar.* ʒj. *tum continuata ebull. per alterum horæ quadrant. Colet. liquor. & servetur usui.*

De hoc bibat, æger ter in die cyathum mane scilicet, post prandium, & vespere cubitum iturus; & continuare poterit, per quinque vel sex dies.

Narcotica. *Art.* 745. Quoad opii, & narcoticorum usum observandum est, generalia prius præmittenda fore, puta phlebotomiam, & purgationem, quibus frustra adhitis narcotica parva admodum dosi primo porrigentur, deinde vero sensim generosius. Quodsi ex opio somnus nimis diuturnus forte consequatur, tali casu acetum naribus admoveri debet, atque etiam injici.

Observationes & monita. *Art.* 746. Dantur etiam capitis dolores a lymphæ inter pericranium difusæ acredine producti, qui nulla meliori ratione abigi possunt, quam admoto vesicante.

Tum etiam quidam alii dantur continui sæpe etiam intolerabiles ab exotico quodam corpore intra cranium genito, aut fluctuante producti, quibus nisi instituta cranii terebratione nullatenus subveniri potest.

Observandum est diligenter, an qui capite dolore laborant, intestina, stomachumque impuritatibus conferta gerant; nam in iis cuncta remedia irrite præscribuntur, ni vomitorio, & purgante primæ viæ evacuentur.

Qui dolores a causa scorbutica, aut aphrodisiaca generantur, impetendi sunt remediis speci-

cifi-

cificis, & causæ corrigendæ ac subigendæ idoneis, secus enim quælibet alia remedia inutiliter cederent.

Sæpenumero tamen pertinax inveteratusque, capitis dolor iminuitur porrectis ad odorandum salibus volatilibus oleosis, elix. propriet. aq. Reginæ Ungariæ, sp. volat. sal. armoniac. aliaque spirituosa; sed effectus diuturnus quidem non est, nec obtinetur, nisi ubi ex densitate sanguinis dolor proficiscatur; nam si ab ejus tenuitate veniat, tunc aucta agitatione effectus contrarius obtinetur.

Verbena inter specifica ad capitis dolorem celebratur, tam si decoctionis forma intus assumatur, quam si externe applicetur.

Art. 747. Inter Topica sequens Epithema laudatur. *Topica.*

℞. *Sem. jusquiam. unc.* j. *acet. rosat. unc.* v. *diger. in phyala vitr. sup. ciner. calid. dein instilletur vel spongia applicetur fronti.*

Aliis arridet magis, locum doloris vin. spir. camphorato sæpe humectare, alii vero fronti aplicare hederæ terrestris cum aceto contusa folia. Nonnulli item testantur ipsius hederæ succum naribus attractum pertinacissimas hemicranias sanare.

Turnerus affirmat felicissime hemicraniam curasse secta arteria temporali, postquam incassum omnia alia remedia adhibuerit, atque adjicit ab aliis Chirurgis fide dignis accepisse, eosdem arteriotomiam pro tali morbo optimo cum successu celebrasse.

Si capitis dolor similis est hemicraniæ, ait *Chesneau*, nec nisi parvam capitis partem occupet, tunc utut febris urgeat, præstantius non inveniri remedium, quam præmissis generalibus ranunculi folia sequenti ratione admovere. Loci

affe-

affecti cutis novacula depilatur, si pilosus locus est, tum adhærens emplastrum extenditur, in cujus medio foramen satis latum adsit, quemadmodum in causticorum applicatione usuvevit, quod foramen foliis contusis, & proprio succo imbibitis repletur. Bihorii tempore in loco non piloso, & satis molli cutis dehiscit, in capileoso vero cutis integra manet, sed tumor elevatur, quo mediante dolor simul conquiescit. Cavendum ne remedium hoc nisi parva admodum dosi locis prope oculos admoveatur; Extraordinarias intumescentias in palpebris locisque propinquioribus excitat, si paulo majori dosi applicatur.

VIGILIÆ NIMIÆ, Seu Pervigilium.

Inter legendum & ex Observatione.

Vigiliæ nimiæ. *Art.* 748. Interdum est morbus solitarius sine alia evidente ægritudine; ita tamen ut nonnulli istud sine molestia singulari ferant: alii vero mox languorem & appetitum prostratum inde percipiunt; ab alio morbo fere semper pendet.

Prognosis. *Art.* 749. Quod caret alterna requie durabile non est.

Quibus potissimum accidunt. *Art.* 750. Melancholici, maniaci, & similes præ aliis molestissima patiuntur pervigilia, ita ut quidam melancholicus per quatuordecim menses fuerit vigil & insomnis; & tales, utut per longum tempus in continuis sint vigiliis, hoc malum tamen sine insigni virium debilitate perferunt.

Senum vigiliæ. *Art.* 751. In senum Vigiliis non *anodyna* sed *confortantia* & *aromatica*, *analeptica* ex *vino dulci*, &c. sunt optima.

Art.

Art. 752. Somnus naturalis est status corporis, in quo imminutus est spirituum influxus in organa externa, nempe respectu motus eorum in vigiliis, non tamen penitus abolitus est. In somno omnes secretiones, excepto sudore vel insensibili perspiratione, minuuntur. Somnus moderatus ad sanitatem plurimum confert, coctiones perficiendo, & vires redintegrando. *Somnus quid & ejus commoda.*

Art. 753. *Si vigiliæ in bona valetudine, aut in morbis chronicis, ab animi angore, a labore, a studiis, vel a crapula exoriantur, omnes hujusmodi causæ removendæ sunt, tunc somnus conciliabitur. Quodsi ab interna quadam dispositione producantur emulsionum ope somnus invitandus est, qui si nondum accedat, adhibebuntur pilulæ Styracis, quarum dosis a gr. vj. usque ad xviii. vel dictæ de Cynoglossa, quarum dosis a granis viij. ad gr. xx. vel etiam Laudanum liquidum Sydenhami cujus dosis a gutt. x. usque ad xxx. vel aliud Laudanum liquidum cujus compositio hujusmodi est. *Curatio pervigilii.*

℞. *Caryophyll. cinamom. macis ana* ℥ *sem. sal. tartar.* ʒij. *extr. opii frustulatim incisi unc.* vj. *vin. hispan.* ℔vj. *infund. per sex dies in vase probe clauso, & filtrato liquore relinquitur ad subsidendum. Eodem demum decantato servetur usui. Dosis est gutt.* xx. *vel* xxx. *cum vino, aqua, aut alio liquore propinandus.* *Laudanum liquidum.*

Hujusmodi Laudanum ex facilioribus paratu est, ejusque compositio probe comparata atque concinnata videtur, ideo hic tradere non dubitavimus. Pluribus quidem in Xenodochiis Angliæ magni usus est. Qui vero tantam ejus copiam sibi comparare non amant proportionaliter imminutis componentibus parcius manum operi admovere possunt.

Art.

Epithema. *Art.* 754. Ad conciliandum somnum hoc habet remedium Rulandus.

℞. *Aq. rosar. unc.* viij. *opii gr.* j. *croci gr.* xl. *m. quo imbibito strophiolo temporibus applicabitur.*

Art. 755. Inter Soporifera clysteres quoque recenseri debent, ex decoctione fol. nenuphar. lactucæ C. C. &c. in qua opium a gr. iij. usque ad gr. vj. dissolvitur.

De narcoticorũ usu. Cavendum tamen ne opium aliaque narcotica senibus temere præscribantur, ut eosdem in somnum disponamus, nec hisce remediis utendum est, ubi morborum Crises iminent.

Lavacrum. *Art.* 756. Quibusdam ad conciliandum somnum arrident lotiones quædam cujusmodi est quæ sequitur.

℞. *Fol. vitis, salicis, nenuphar, chamæmel: ana man.* j. *capita pap. alb. num.* iv. *cum toto, aq. font. q. s. f. decoctio, qua, facies, tempora, manus, pedesque abluentur atque lineis eadem madefactis ac imbibitis obvolventur.*

Ptisana. *Art.* 757. Ad somnum incitandum sequentis ptisanæ usum laudat *Van der Linden.*

℞. *Capit. papav. alb. num.* ij. *hord. integr. man.* j. *glycyrrhiz. unc. sem. aq. commun. lib.* ij. *ebull. ad consumpt. quartæ partis, & colat. sit pro potu ordinario.*

Clysteres. *Art.* 758. Quidam eadem de causa clysteribus utebatur ex cortic. rad. mandragoræ capit. pap. alb. & semin. aneth. lacte coctis. Hujusmodi decoctio congrua equidem videtur ad usum enematis, sed prudenter eadem adhibenda est, quod dictum etiam de narcoticis omnibus generaliter intelligimus.

MOR-

MORBI SOPOROSI.

Inter legendum & ex Observatione.

Art. 759. Coma seu cataphora, lethargus, & carus sunt affectus soporosi secundum magis & minus, potius quam essentialiter a se invicem discrepantes; in hoc conveniunt, quod *saporem morbificum* inducant; fiunt ut plurimum ab una eademque causa, nimirum pituita in cerebro collecta. *Morbi soporosi.*

Art. 760. Coma est somnus profundus, a quo tamen æger excitatur, & oculos aperit, & respondet, iterumque mox profunde obdormit. *Coma.*

Art. 761. Lethargus comati similis est, sed cum febre & delirio conjunctus; lethargici (inquit *Aurelianus*) leviter sunt excitandi suis nominibus exclamati; etenim jugiter titillatu, vel impressione forti ac punctionibus hoc facere, nihil aliud erit, quam stricturam asperare ob inquietudinem vexationis; blando articulorum fricamento utendum est; linguæ asperitatem vel ariditatem *spongia infusa aqua calida* humectemus, *&c.* *Lethargus.*

Art. 762. Carus est somnus adhuc profundior sine febre, ex quo æger excitatus oculos vix aperit, & non respondet; attamen vellicatus sentit integra manente respiratione; est proximus ad *apoplexiam* gradus. *Carus.*

Art. 763. Ex his affectibus, eorum cura, qui a febre pendent, & sunt ejusdem symptomata, in capite de febribus recensetur; & reliqui, qui febre carent, tanquam leves *apoplexiæ* gradus spectari possunt. Ubi morbi soporosi aliis morbis, febribus, &c. superveniunt, non temere secanda est *vena*, sed *purgatio* instituenda, & quidem in his casibus medicus magni nominis D. *Rad-* *Curatio horum affectuum.*

eliff. resin. Jalap. ℈j. ausus est exhibere successu mirabili. In caro, lethargo, aliisque soporosis morbis *acetum naribus insufflatum* plus excitat quam spiritus quilibet volatilissimus Alkalinus.

Coma vigil. *Art.* 764. Coma vigil est, quando adest quoad externa sensuum organa somnolentia summa; quoad interna perpetuæ vigiliæ; æger clausis oculis permanet, & somnum capere videtur, attamen dormire nequit, variis imaginibus & deliramentis impeditur; raro est morbus *solitarius*, sed potius *symptoma* febricitantium; signum esse solet imminentis *Phrenitidis*.

VERTIGO.

Æginetæ sententia.

Vertiginis causa. *Art.* 765. Accidit affectio vertiginosa, primigenia, seu essentialis, quando gelidus glutinosusque humor cerebrum occupat: unde ea correpti, etiam levi de causa facile concidunt, ut si quando extrinsecus circumagi aliqua, v. gr. rotas, vortices, turbines, conspexerint, vel si ipsi quoque in ægrum vertantur: interdum vero quando capite incalescunt, ex copia sanguinis in eo delati, commotisque in eo humoribus, atque etiam spiritu. Nonnumquam vero coarctatis in angustum cerebri cavernis; perforatu cranii rupti, ex quibus sane vehementissimi cruciatus oriuntur.

Præcedit autem primigeniam affectionem capitis dolor violentus, carus, sopores, & sibila aurium. Læduntur nonnulli quidem odoratu, aliqui vero gustu.

Quibus vero per consensum oris ventriculi vertigo accidit, cardiogmus hos, & nausea consequun-

sequuntur „ Hæc autem vertigo ex stomacho „ *sympatica* dicitur.

Art. 766. „ Modum quo fit vertigo ceteris „ veteribus, & recentioribus quibuscumque pri„ mus omnium explicavit *Pitcarnius*. Cujus verba hæc sunt: „ Dixi in descriptione morbi hu„ jus, cum esse apparentem rerum prorsus im„ motarum motum circularem; unde patet, „ res visas eumdem semper locum servare. Igi„ tur cum motus iste circularis verus non sit, „ atque visus sit, nec in rebus ipsis, vel obje„ ctis, nec in spiritibus animalibus; quærendus „ erit in nervo optico, aut oculo, aut in alio „ quopiam intra oculum condito, sive canali, „ sive liquore. *Ejus explicatio.*

„ Et patet, objectum videri debere circula„ riter motum, si imagines, quæ ab eo ve„ niunt, incidant in diversas retinæ partes suc„ cessive, v. g. sinistrorsum progrediendo, dum „ objectum revera est immotum, & imagines „ ab eo emanantes eamdem semper repræsen„ tant distantiam, illud, inquam, videbitur per „ dextram a sinistra in gyrum moveri. Hoc „ autem fieri potest, objecto immoto, oculoque „ solo moto.

Art. 767. Vertiginosi in accessione quidam concinnis odoramentis, frictionibus, ac aliis consimilibus excitandi sunt. In relaxatione vero discutiendæ affectionis gratia, sanguis ante omnia detrahendus, deinde hiera purgandum. Interposito temporis spatio clystere acriori utendum, ex centaurii, aut colocynthidos decocto. *Curatio.*

Post hujusmodi inanitiones caput cucurbitulis occipitio adglutinatis incisa cute scalpello laniabitur; post hæc apophlegmatismis, & sternutamentis utendum.

Quos vero calor capitis, & aurium tinnitus

molestat; veluti quando vapores calidi per arterias ascendunt, etiam arteriarum post aures incisio adhibenda est „ En quousque veterum „ præcepta monitaque nos cum nostris Theoriis „ despeximus!

Vuillisii sententia.

Vertigo. *Art.* 768. Vertigo est affectio, in qua objecta visibilia, circumrotari videntur, sentiuntque affecti perturbationem seu confusionem spirituum animalium in cerebro, ut nervos non rite influant; quare facultates visivæ & locomotivæ sæpe aliquatenus vacillant, ut laborantes corruant, & non raro a tenebris obfuscentur.

Prognosis. *Art.* 301. Quoad morbi hujus sedem notabile discrimen occurrit; frequenter enim *anterius* consita est, & vix omnino *caduca* est, & therapiam admittit; quandoque autem *posterius* orta longe periculosior existit, & non raro in *apoplexiam* vel *paralysin*, aut in morbum *convulsivum* transit.

Curatio singularis. *Art.* 770. Pro Vertiginoso post alia incassum tentata hunc in modum præscripsi; ♃. *pulv. rad. pæon. mar.* ℥ij. *flor. ejusd.* ℥j. *sterc. pavonis albiss.* ℔ß. *sacchar. albisc.* ℥ij. dos. circiter coch. j. bis in die superbibendo haust. decoct. *salviæ* aut *rorismarini*, *Coffee tinctura* imprægnati; vix credibile est quantum ab hoc remedio juvamen recepit, post mensem sanus evasit.

Ettmulleri sententia.

Tres gradus hujus morbi. *Art.* 771. Vertigo a vertendo; omnia enim in hoc affectu circumrotari videntur; attamen non semper adest talis circumgyratio; sufficit enim motus *tremulus & undulatorius*. Tres sunt gradus, 1°. *vertigo simplex*, quando fit saltim cir-

circumgyratio subito evanescens. 2o. *Vertigo tenebricosa* seu *scotomia*, quando oculi caligine obscurantur, aut apparent coram oculis varii colores. 3o. *Vertigo caduca*, quando æger protinus concidit, atque hæc ad *epilepsiam* quam proxime accedit.

Art. 772. Dum res externæ gyrari videntur, hoc fit in oculo non in cerebro, non enim in cerebro videmus. (de *Ætiologia* hujus morbi ex tunicæ retinæ dimotione videatur *Bellini*) Vertigo gravior & diuturnior ut plurimum in senibus *apoplexiam*, in junioribus *epilepsiam* prænuntiat; modo *anteriorem*, modo *posteriorem* capitis partem affligit; illa est curabilior, hæc periculosior. *Eventus.*

Art. 773. Vertigo frequenter fit per *consensum* a vitio stomachi, vel primarum viarum; in hoc casu convenit *vomitorium*; remedia *stomachica specifica*, *antepileptica*, &c. Pro cathartico *extractum hellebori nigri* & *mercurius dulcis*; convenit *venæsectio* in plethoricis; *sternutatoria* sunt præcipue vitanda. Præmissis ergo præmittendis, ad *stomachica* & *specifica* deveniendum est, *semen sinap.* omni mane comestum est egregium, item *aromatica*, *confectio alkerm. cinnab: antimon. radix paeon. flores lilior. conval. salvia*, *rosmarinus*, *stercus pavonis* est specificum nobile; *cinnab. nativ. spiritus* & *salia volat. succinat.* &c. laudantur. *Curatio.*

Mayernii sententia.

Art. 774. Methodus medendi in vertigine hoc modo se habet; si adsit plethora, sanguis mittendus est; post *venæsectionem*, (si necessaria sit) præsentibus nausea vel appetitu prostrato, vel aliis affecti ventriculi indiciis *emeticum* propinandum est; deinde *purgatio* per sedem instituenda, *Methodus medendi.*

da, & postea *specifica* exhibenda. *Calamus aromaticus* quocunque modo sumptus ad vertiginem valet, imo pro secreto habetur. Medicus quidam *Germanus* multos curavit pil. sequent. per plures dies exhibitis, (si recte conjecturam faciam *vide locum*) ℞. *Sacchar. saturn. q. v. tereb. Cypr. q. s. f. pil.* dosis una gr. iv. vel v. pendens. *D. Glisson* Cantabrigiensis medicinæ professor, gravi vertigine per tres septimanas conflictatus, irritis aliis remediis, vertici raso apposuit empl. ex *flor. sulph. & alb. ovorum*, a quo sanatus est, ut ipse retulit D. *Bate*. *Pyroticum* vel *setaceum* applicetur posteriori collo; *cauterium* bregmati post omnia. *Electuarium epileptic. Batean. elect. Peruv. epileptic. Fulleri*.

Farrago sententiarum.

Monita quædam practica. *Art.* 775. Periculosior est vertigo idiopatica ex vitio cerebri, quam sympathica, quæ ex alterius corporis partis infra caput positæ læsione oritur.

Magna est hujus affectionis cum Epilepsia cognatio, facilisque in eam transitus; non obscure tamen ab ea differt cum materia, tum symptomatis; in hac vero convulsio est, in illa neutiquam.

Vomitoria in Vertigine sæpius prodesse constat; cumque Vertiginosi non raro sponte vomant, hinc opinio inolevit Morbi causam fere semper in ventriculo latere, quod secus est: Emetica autem juvant, quia maxima humorum a cerebro fit revulsio, & spiritus in eo tumultuantes quamprimum coercentur.

In incremento mali membra hominis resolvuntur, isque humi reptat; nausea fit, & vomitus aut pituitæ, aut flavæ atræve bilis; Flavæ,

væ bili ſuccedit *inſania*; atræ Melancholia; pituitæ Epilepſia.

Art. 776. Vertigo non raro futuram Apoplexiam antevertit, quare nec negligenda eſt nec uſus remediorum, quæ tantum malum præcavere poſſunt, poſthabendus. *Vide quæ dicuntur in Titulo Apoplexiæ*. Aliquando cum hypochondriacis conjungitur paſſionibus, quo caſu ad congrua remedia confugiendum eſt. Vide Tit. affect. Hypochond. *Curationis ratio in Vertigine.*

Quodſi nulli harum cauſarum vertiginis origo tribui poſſit, inter Cephalica remedia, ea quærenda ſunt, quæ eidem obſiſtere valeant. Priuſquam vero eis manus admoveatur quando Vertigo inſignis eſt, & ægri habitus plethoricus prætereunda non eſt ſectio venæ in brachio, & pede, vel etiam venæ jugularis, dein Emeticum præſcribitur, & poſt aliquot dies purgans aliquod pharmacum, His præmiſſis ad tollendas obſtructiones ſequentia uſurpari poſſunt remedia.

℞. Calyb. limat. ſubtiliſ. pulv. omnique cupro expertes unc. ſem. Caſſ. lign. pulv. unc. j. *& ſem ſacchar. fin. pulv. unc.* iij. *miſc. de quo ter in die aſſumantur gr.* xxx. *cum apto vehiculo, & per quinque vel ſex hebdomadas in ejus uſu continuetur.* *Pulvis.*

Jejuno ſtomacho prima doſis mane arripitur, poſt quam jubetur inceſſus, vel ad conſueta munera obeunda æger ablegatur, altera doſis tertia hora poſt prandium ſumitur, ultima vero doſis trihorio poſt cœnam. Deinde curatio hoc altero remedio perſolvitur.

℞. Anagallid. flor. rubr. Hyperic. ana man. j. *aq. comun. lib.* ij. *ſem. ebul. per horæ quadrantem, & colatur. quotidie mane hauriatur per dies* x. *vel* xij. *Hoc vero remedium in Convulſionibus quoque præſtat*. *Decoctio.*

Præservativum ad Apoplexiam. *Art.* 777. Si Vertigo Apoplexiam minatur D. Schmitz femina Carvi vino macerata deinde exiccata tamquam optimum præservativum plurimum commendat, cujus dimidium cochleare ægro cubitum ituro quotidie exhibetur, ut eadem femina aliquamdiu masticata deglutiat.

APOPLEXIA.

Definitio. *Art.* 778. „ Apoplexia est repentina suspen„ sio omnis sensationis, & privatio motus to„ tius corporis, excepto cordis & pectoris, „ quæ frequentius motu solito fortiori ac vio„ lentiori aguntur. "

Cœlii Aureliani sententia.

Apoplexiæ signa eam præsagientia. *Art.* 779. Apoplexia ita dicitur, quod tanquam ex lethali percussu repentinum faciat casum. Signa præsagientia aliquando nulla; interdum vero gravedo, vel dolor capitis, aut vertigo, aut aurium tinnitus, in solitos usus difficilis motus, vultus mœstitudo, saltus membrorum, præcipue labrorum, tremula locutio, oblivio mox dictorum, vultus plenitudo; sed hæc symptomata sunt etiam communia in *epilepsiam* vel *maniam* venturis. „ Torpores & stu„ pores (inquit *Hippocrates coac.*) præter con„ suetudinem advenientes, futuram *apoplexiam* „ vel *paralysim* denuntiant. „

Paroxysmus. *Art.* 780. In paroxysmo ægri voce privantur, mente capti repente cadunt, immoti, respiratione & pulsu tantum superstitibus, color plumbeus, atque involuntaria illacrymatio; crescente morbo, vultus adductio, ita ut longior nota videatur imago, præcordiorum prominentia, & to-

& totius corporis frigidus torpor, pectoris stridor, & superiorum partium sudores frigidi.

Boerhaavii sententia.

Art. 781. Causæ Apoplexiæ frequentiores sunt; 1o. Polyposæ sanguinis concretiones. 2. Spissitudo inflammatoria cruoris. 3o. Crassa, glutinosa, pituitosa, iners totius sanguinis natura. 4. Simplex plethora vasorum a quacunque causa. 5o. Tumores intra cranium nati (quibus addi possunt sanguinis vel seri *extravasationes ex contusionibus* vel *concussionibus* vi externa impressis, & innumeræ aliæ *causæ latentes*.) *Causæ frequentiores.*

Art. 782. Divisio apoplexiæ in *sanguineam*, & *pituitosam* est utilis, sed non perfecta divisio, quum & *serosa*, & *atrabilaria*, & *polypsa* sit, & *alia*. *Divisio Apoplexiæ.*

Art. 783. Lenis Apoplexia solvitur superveniente sudore multo, calido, æquabili; urina multa, crassa; hæmorrhoidum, mensium vel alvi fluxu, vel febre magna. Paulo gravior solet mutari in *paralysin* alicujus partis musculosæ; totius lateris unius, unde *hemiplegia*; vel omnium partium infra caput; unde *paraplegia*, quæ raro curatur, semperqne memoriæ, judicii, motuumque læsiones relinquit. Exquisita apoplexia in mortem cito finitur, raro septimum diem excurrens. *Prognosis.*

Art. 784. Curatio varianda est pro ratione causarum; si a causa frigida, pituitosa oriatur, conandum est statim, ut pressio lentoris glutinosi a capite avertatur per derivationes in alia & opposita loca, & per *evacuationes universales*; in usum veniunt *vesicantia*, *caustica*, *frictiones*, *ligaturæ*, *apophlegmatismi*, *sternutatoria*, *purgantia valida*, *clysmata acria*; ut sequens *Curatio varia.*

℞. Pul.

℞. *Pul. colocynth.* ℥ß. *fol. tabach.* ℥ß. *coq. in aq. font. q. s. ad* ℥x. *admisce sal. gem.* ℈ij. *f. enema*. In usu tamen horum omnium augetur sæpe malum, materie magis mota & impacta, viribus tamen mox projiciundis per evacuantia: hinc in concilianda dissolutione semper *evacuationi* & *avulsioni* studendum, quantum res pati queat; inde regula (*Hippocratis*). *Venæsectio*, ni juvet, occidit (& *Cels.* occidit vel liberat.) Si vero a causa calida oritur, & morbus inflammatorius videtur, tum illico mittatur sanguis magna copia ex *venis jugularibus*, & repetatur pro re nata, unde, si morbus sit sanabilis, levamen accipiet; diarrhœa omni arte obtineatur; *diluentia*, *attenuantia*, & *diuretica* ingerantur; detineatur æger, quantum fieri potest, e lecto, saltem a decubitu declivi. De reliquis lector ipse consulat auctorem.

Ettmulleri sententia.

Hujus affectus prodromi. *Art.* 785. Signa Apoplexiæ aliquando probabiliter futuræ sunt: dolor capitis, vertigo, tumor carotidum, memoriæ debilitas, spontaneæ oculorum illacrymationes, scotomiæ, incubus, vocis tarditas & hæsitantia, oris distortiones, dentium stridores in somno, stupor frequens brachii aut pedis, aut etiam refrigeratio extremarum partium.

Paroxismus. *Art.* 786. In hoc affectu omnes functiones animales subito cessant, homo quasi fulmine percussus, & attonitus in terram jacet, sine motu, (hinc dicitur morbus *att. nitus* & *sideratus*) respiratione ipsa plus minus imminuta, cum vel sine stertore, pulsu adhuc nonnihil vegeto, & perquam duro, nisi in casu admodum periculoso, ubi deficit; color faciei & oculorum ut pluri-

plurimum rubet, facies tumida; æger profunde dormit, & nequit suscitari; interdum resolvitur vesicæ, & ani sphincter: supervenit tandem spuma circa os.

Art. 787. Hemiplegia seu hemiplexia est quando solummodo dimidium capitis, & reliqui corporis afficitur (*more Apoplexiæ.*) *Hemiplegia.*

Art. 788. Apoplexiæ causæ proximæ sunt, vel impeditus spirituum animalium motus in cerebro, vel impeditus sanguinis circulus per cerebrum; venus nimia potissimum in senibus ad Apoplexiam multum disponit, ut & animi affectus graviores, ira, &c. Contusiones & concussiones capitis, scabies retropulsa, vapores mercuriales, gas seu halitus carbonum. *Apoplexiæ causa.*

Art. 789. Apoplexia est morbus admodum hæreditarius; omnes, qui Apoplexia moriuntur, suffocati intereunt, unde quo *liberior est respiratio*, eo major est spes salutis, & contra; spuma circa os est fere semper signum lethale. *Est morbus hæreditarius.*

Art. 790. *Barbette* in curanda Apoplexia *inunctionem mercurialem* commendat; metus est de *vomitu* excitando, ne suffocatio acceleretur, quod non paucos medicos deterret. In Apoplexia *sanguinea* venæsectio est necessaria; in *pituitosa* omittenda, quoniam nociva est, sed potius exhibendum est *vomitorium antimoniale*; æger non debet in lecto decumbere, sed erectus sedere; *enemata acriora* sunt injicienda parata ex *lavend. rut. majoran. nicotian. rad. pyreth. irid. nostr. vin. benedict. sal. gem. pulp. colocynth. in petia ligat.* &c. In ipso paroxysmo non neglectis universalibus conducunt *salia volatilia*, *sudorifera*, speciatim *aurum diaphoret. Poterii*, *cinnabarina*, *species diambr. confect. alkerm. sudorifera ex lignis* declinante paroxysmo aliquandiu continuata sunt maxime proficua. *Curatio.*

Art.

Prophylaxis. *Art.* 791. Pro præservatione, præmissis rite universalibus præ reliquis multum laudatur frequens *salviæ* usus quocunque modo; in *cubebis*, *cardamomo*, *sem. sinap.* & *erucæ* singulares latent vires, maxime pro senibus in forma pulv. vel aliter in vehiculo appropriato assumptis. „ Item „ *fonticuli interscapulares* hodierno usu com„ probantur. "

Colei sententia.

Causa Apoplexiæ singularis. *Art.* 792. Auctor putat acerbum frigus, & gelu diutinum anno 1683. numerum *apoplecticorum* annis succedentibus adauxisse.

Art. 793. Potio infusionis *rorismarini*, *salviæ*, *beton. lilior. conval.* &c. instar *theæ*, item *Coffee*, & fumisuctio *nicotianæ* ad præcavendam Apoplexiam laudantur; *balsama odorifera*, Apoplectica dicta, & usus *ptarmicorum* inordinatus damnantur. *De larga sanguinis missione.* Sanguinem detrahit manu maxime liberali ad unicas scilicet, 30. 40. 50. imo 60. hancque praxin non modo ex propria experientia stabilire satagit, sed etiam auctoritate celeberrimi D. *Gibbons*, neque in junioribus tantum, verum etiam in ætate provectioribus injungit; & instantiam profert cujusdam annum 77[um] agentis, a quo sanguinis inter 20. & 30. uncias detraxit, & tantundem alia vice intra ejusdem septimanæ spatium ob *vertiginem* aliqualem superstitem.

Cathervvoodii sententia.

Arteriotomia. *Art.* 794. Auctor pro virili conatur, & nullum non movet lapidem *arteriotomiam* introducere tanquam *phlebotomia* longe præstantiorem in hoc morbo curando; locum designat in ar-

teria

teria temporali, operationemque neque difficilem esse, neque periculosam asserit; accurate digitis detinenda est arteria, ne subvolutet, & vulnus infligendum est non punctura, sed per incisionem cum dextra mucronis lanceolæ elevatione; detracta sufficiente sanguinis quatitate, premendum est vulneris orificium in os temporale cum digito maximo, quo *thrombus*, si accidat, cito dissipabitur, & fere momento temporis fluxus sistetur.

Art. 795. „ Verum enimvero mihi videtur „ author noster meras umbras consectari, ut „ *Hecrules* stramineus apparet, novam crepat me- „ rhodum; sed quomodo stabilitur hæc praxis? „ Inter paucas, quas adducit hoc affectu labo- „ rantium, historias; unicam tantum per *arte-* „ *riotomiam* curati affert, sed de his non libet „ morari. Utcumque vero res se habeat, mini- „ me futurum videtur (ut recte admonet D. *Fre-* „ *ind*) ut nostri unquam homines huic medi- „ cinæ generi assuescant. "

Cui commodo adhibentur ista praxis, dubitatur.

Farrago sententiarum.

Inter legendum & ex observatione.

Art. 796. In paroxismo Apoplectico intumescunt venæ jugulares, necnon pulmonum, quæ non raro rumpuntur in Apoplexia demortuis. In defunctorum cadaveribus sæpissime repertum est *serum viscidum* in cerebri ventriculis, aliquando *sanguinis* ingens copia in sinibus, aliquando *tumores* ad pugni magnitudinem juxta conarium inter cerebrum, & cerebellum; talis (observante *Drelincurtio*) semestri spatio primo *cœcitatem*, dein *surditatem*, subinde sensuum omnium *abolitionem*, & postremo *necem* intulit.

Varias mortis causas detexit Anatomia defunctorum.

lit. In cerebro Apoplexia mortui (*inquit Cheselden*) observavi universa vasa sanguifera plurimum distenta, ventriculos ipsamque cerebri substantiam lympha supra modum abundantes, & duram meningem magnopere incrassatam, &c. *Vomitoria* (inquit *Dolæus*) experientia teste, quicquid reclamet *Sylvius*, divinam afferunt opem. „ Nullum est potentius remedium „ *vino emetico* in omni soporoso affectu, dos. „ ℨii. vel ℨij. per os, ℨiij. vel iv. in enemate. „ Si injecta enemata præter rationem moram „ faciunt, sollicitanda est dejectio acribus sup„ positoriis, speciatim incidatur frustulum *sa„ ponis Venet.* in formam Glandis. " *Venæsectionem* in omni *Apoplexia*, & in omni ætate, & in summa quidem senectute admittimus; timidis, loco hujus, *hirudines* vel *cucurbitulas* concedimus.

Pulsus fortis sæpe decipit inexpertes. *Art.* 797. *Rhodius* observavit, quod in omnibus affectibus *comatosis*, præcipue *lethargo*, & *Apoplexia*, pulsus dum ex parvo fiebat magnus, & sensim in magnitudinem crescebat, ægrotantes brevi moriebantur; pulsus etenim in hoc affectu est ut plurimum fortis & plenus, quod multos decipit.

Nota bene. *Art.* 798. Apoplexia demortui ante triduum non sunt sepeliendi, quia omnes humores intra illud spatium moventur, & nonnulli ante illud tempus revixisse observati sunt. *Barbette.* Linimentum sequens ut specificum in *lethargo & Apoplexia* habetur; ℞. *ol. succin. spic. castor. anna* ℈ij. *flor. hiperic. succ. rut. expres. ana* ℨiij. *m.* illinatur cervix, &c. Item summum & fere unicum remedium in Apoplexia sunt *cucurbitæ* capiti impositæ. *Riverius*, *Zacutus Lusitanus*, &c. Cum morbi vis maxima est, admoveatur *cauterium actuale* inter primam, & secundam nuchæ vertebram.

Art.

Art. 799. Remedia sequentia interdum pro re nata in usum adduci possunt; *antimonium diaphor. antihecticum Poterii, aurum fulminans, aurum Mosaicum, cataplasma suppedale, cataplasma de halecibus, elaterium, elect. antiapoplecticum, emplastr. cephalicum, elixir. paeon. Mynsicht. enema acre, enema apoplecticum, ens veneris, flores salis armoniac. martiati, gargarisma ad pituitam, infusum cephalicum, pil. volat. sternutatoria omnia* (*flores Bezoin.* aliis ptarmicis adjecti illa multo efficaciora reddunt) *pulv. ad guttetam, tinctura epileptica, vinum benedictum*, &c. *Remed. varia.*

Art. 800. Genericae Apoplexiae causae sunt: 1°. Plethora, seu nimia sanguinis copia; 2°. Ejusdem sanguinis, & lymphae seu serositatis rarefactio: 3. Hujusmodi liquorum visciditas ac densitas. 4°. Spirituum animalium progressio interrupta. Alias itidem peculiares hic morbus causas recipere potest: ut capitis ictus vel contusiones a casu, unde sanguis ruptis in cerebro vasis per cranii cavitatem extravasatur; cerebri ipsius morbosi tumores, polyposae concretiones in ipso cerebro genitae &c. *Apoplexia causa.*

Art. 801. Ex hisce causis ea hujus morbi divisio oritur, propter quam plurimae Apoplexiae species a quibusdam numerantur; sed communior divisio atque simplicior, duas tantum Apoplexias ponit, *Sanguineam* videlicet, & *lymphaticam*, quae etiam *Pituitosa* vocatur. *Communis hujus morbi divisio.*

Art. 802. Peculiaria sanguineae Apoplexiae signa, quibus a Pituitosa distinguitur, sunt: vultus color rubentior, & quasi inflammatus, vasa magis solito plena ac tensa, atque hinc pulsus durior, & fortior. *Signa Apoplexia sanguinea.*

Art. 803. Apoplexia vero lymphatica sensus quidem, & vocem ut sanguinea adimit; sed in hac *Signa Lymphatica.*

hac, nec rubor ille cernitur, nec vasa adeo inflata reperiuntur, unde pulsus æque ac respiratio, tametsi debiliores, in statu naturali ferme persistunt.

Curatio sanguinea. *Art.* 804. Si vasa cerebri turgescentia non dehiscunt, nec contentum humorem effundunt, sperandum est, ut citis largisque phlebotomiis vel in brachio vel in pede vel in jugulo institutis circulatio in pristinum libere restituatur; quodsi ex nimia distentione rumpantur, tunc nullus sanationis locus remanet, nisi forte humorum extravasatio a quadam externa causa producta fuerit; quo casu mediante Terebellæ operatione: ut in fracturis Cranii usuvenit, exitus humori perforatione ejusdem Cranii conceditur.

Phlebotomia. *Art.* 805. In Sanguinea Apoplexia nonnulli ex recentioribus Medicis phlebotomiam in pede institutam ceteris omnibus potiorem habent, quia validiorem revulsionem præstat; sed oculatissimi Practici jugularium sectionem quoque commendant. Utilissimum credimus, quod ab initio usque, tempore quinque vel sex horarum, ad tres vices usque vena brachii tundatur, atque inde sanguinis emissiones vel a pede vel a jugulo juxta magnitudinem morbi pluries etiam reiterentur.

Curatio Lymphatica. *Art.* 806. In lymphatica Apoplexia conservandæ sunt ægro vires ut morbi vehementiæ resistere possit, quare necessaria non videtur phlebotomia, quæ nisi caute admodum ac prudenter juberi debet. Præcipua autem indicatio est, quod æger motus suos temperet, idcirco spirituosa, & irritantia, quæ ejus sanguinem excitare valent, nisi proficua, & utilia valde reputanda sunt. Methodus in hoc casu, quam plurimi commendant, hujusmodi est.

Art. 708. Frictiones oportet ad caput, ad dorsi spinam, & ad collum cum calidis siccisque lineis mappis instituantur, atque etiam adhibitis liquoribus spirituosis acribusque: ut Aq. meliss., spir. lavend., spir. vin. &c. Convenit etiam Tempora atque nares confricare sequenti Balsamo Apoplectico. *Frictiones.*

℞. *Mosch.* ℈j. *ambr. gris.* ℈ij. *sem. sacchar. cand. parum. misc. super porphyrit. dein add. ol. nuc. moscat. per express. extract. unc.* j. *& sem., tum add. ol. destill. majoran. flor. Aurant. ana* ℈ij. *ol. succin rectif.* ℈. *sem. ol. destill. basilicon. lign. rhod. ana* ℈j. *sem. ol. cinamom.* ℈j. *atque demum add. balsam. peruvian. nigr. unc.* j. *flor. benzoes* ʒij. *Zibeth. gr.* viij. *f. balsam. s. a.* *Balsamum Apoplecticum.*

Servandum est hoc Balsamum in vase vitreato, & probe clauso, ejusque quantitas si minor desideretur, eadem proportione singula ejus ingredientia imminui debent, quemadmodum præscripta formula sistit. Aliud quoque Balsamum ex *Pharmacopea Bateana* habetur, quod vices præcedentis exerere potest, & hujusmodi est.

℞. *Ol. destill. cinamom., caryophyll. lavendul. citr. majoran. menth. rut. rorismar. salv. absynth. lign. Rhod. ana gutt.* xij. *ol. rectif. succin gutt.* vj. *bitumin. judaic. pulv.* ʒij. *ol. nuc. mosc. expr. unc.* j. *balsam. peruvian. q. s. m. & f. balsam. s. a.* *Aliud Balsamum.*

Si de hoc aliquid per nares immittitur vel alio quovis modo externe applicatur, caput inde roboratur, frigidi humores excutiuntur, spiritusque animales revivescunt; quod in Apoplexia, in Syncope, & in Paralysi æque convenit. Interne etiam usurpari potest a gr. iv. usque ad gr. x. una cum Electuario quovis Cephalico. Sternutatoria quoque plurimum auxiliantur, ubi de lymphatica Apoplexia agitur; Summatim igi-

tur, ut paucis dicam, omnia ea hoc in casu juberi possunt, quæ nervosum sistema excitare, movere, ac irritare valent.

Vomitoria. *Art.* 808. Eodem tempore Emeticum porrigendum est ægro, quare Vinum Emeticum hoc in casu ceteris antecellit, cujus unc. ij. propinantur, & si intra duarum horarum spatium nullum effectum edit dosis reiteratur, quæ si iterum nihil præstat, conclamatum est. Loco hujus vini Tartarus Emeticus cum aliquo liquore exhiberi potest, cujus dosis ad normam temperamenti ægri, ex Medici prudentia concinnanda est, necesse est autem ut dupla saltem ea, quæ ut plurimum adhiberi solet, porrigatur, quare a gr. viij. usque ad gr. xij. jubendus, secus vel nullum, vel levem quidem effectum ederet. Alterum quod laudatur Emeticum est.

℞. *Rad. Asari pulv.* ℨj. *Piper. pug.* j. *detur in Vini calidi cyatho ad vomendum.*

Nota bene. *Art.* 809. Ceterum notandum est quod si Apoplexia a stomachi repletione, & a crapula veniat, vomitoria tunc specificam virtutem obtinent nulli secundam. Ast in sanguineæ Apoplexiæ principio numquam danda, secus inflata vasa, & turgentia rumpendo noxia plurimum consectaria afferrent. Caute igitur, & prudenter jubebuntur, atque tunc maxime tutus eorum usus erit, quando jam alvus ob Ptisanam laxativam ingestam copiose deponere incœperit.

Cordialia. *Art.* 810. Statim post sumptum vomitorium, cordiale aliquod spirituosum ingerendum, cum apto quovis vehiculo dabitur ægro, præ ceteris *Lilium Paracelsi* laudibus celebratur amplissimis, cujus dosis tunc ad L. vel LX. gutt. usque augebitur, cum liquore aliquo pingui propinabitur, & maxime cum jure carnium; alias œsophagum stomachumque accenderet, & excoriaret.

ret. Hac adhibita cautione ad centum guttas usque porrigi potest, dilutum nempe in jure carnium, & cochleatim ingestum.

Art. 811. In apoplexia vero sanguinea omnigena etiam cordialia adhibere, neutiquam licet, sed mitiora tantum, & temperatiora, ut confect. hyacint. aquæ cordiales simplices, meliss. scorzoner. &c. & ubi cordialia valentiora usurpentur, ut aq. magist. meliss. Reg. Hung. Imperial. &c. necesse erit easdem aqua communi temperare; siquidem cordialia nimium spirituosa nullo modo conveniunt, utpote quæ motum sanguinis concitando, vasa turgescentia rupturæ proxima distrumperent. *Nota bene.*

Art. 812. In apoplexia lymphatica curandum est, ut æger agitetur, & motum edeat, incessumque experiatur, quamobrem famulorum opera sustentus pedibus progredi adigetur, ejusque manus identidem percutientur, aliisque modis vexabitur, & discrutietur, ne obdormiat.

Eidem quoque acres clysteres injicientur ex. gr. juxta formulam seq. *Clysteres.*

℞. *Rad. cyclamin. man.* j. *salv. origan. centaur. min. rad. pyrrhetr. ana man. sem. pulp. colocintid. num.* j. *coq. per horæ quadrant. in s. aq. quantit. colat. add. sal. commun.* ʒij. *aceti par. f. clyst.*

Si hujusmodi enema aut aliud simile, nihil præstet ad Nicotianam confugiendum erit, cujus clysma efficacissimum quidem est, quodque sic componitur.

℞. *Funis nicot. unc.* j. *vel pro debilioribus unc. sem. quo frustulatim resecto coq. cum aq. commun. lib.* j. *sem. usque ad tertium. Filtrato liquori adde hieræ picræ unc.* j. *f. Clyster.*

Art. 813. Scapulis cucurbitulæ scarificatæ applicentur, ubi etiam emplastrum vescicatorium extendetur, quod retro aures itidem admoveri *Cucurbitulæ scarificatæ.*

poterit; vel etiam spiritu vitrioli hoc emplastrum, ut magis irritet, inspergetur.

Herrina. *Art.* 814. Si horum auxiliorum ope æger nondum expergiscatur, sternutatorii pulveres mediante fistula in ejus nares perflabuntur, qui rad. pyrrhetr. helleb. alb. irid. florent. fol. betonic. & flor. lil. convall. componi poterunt; vel aq. magist. mellifs. aut Reg. Hung. &c. per nares subinde injicietur.

Clyster præservativus. *Art.* 815. Cæterum cavendum ne multitudine remediorum æger obruatur, & ubi expergefactus fuerit, ac mentem recuperaverit, quotidie injicietur ei per tres successivos dies sequens enema.

℞. *Senn. unc.* j. *aq. commun. lib.* j. *sem. coq. ad consumpt. tertiæ partis, & colat. add. hier. picr. unc.* j. *fiat enema.*

Hujus ope non solum ægri intestina evacuantur, sed is quoque paralysi facile apoplexiam sequente præservabitur.

Circa emeticum notandū. *Art.* 816. Si vero commoditas nulla adsit, emeticum apoplectico propinandi, licebit saltem pugillum salis in ejus os immittere, posteaque cyathum urinæ hauriendum porrigere, cujus ope facile ad vomitum incitabitur.

Specificum apoplecticū. *Art.* 817. Laudabile item est, secum habere sequens remedium, quod per se lymphaticam apoplexiam sæpissime sanat, vel a quo saltem tempus comparatur, ut alia fortiora remedia celebrentur, medicique auxilium obtineatur.

℞. *Sp. vin. sulphur. sal. commun. ana* ʒj. *misc. & in vase vitreo probe clauso hæc mixtura agitetur.*

Mixtura. De qua mox gutt. vij. cum vini albi cyatho apoplectico exhibebuntur, cui itidem imperabitur, ut se se moveat, & incessum experiatur, vel saltem absque violentia, eumdem concutiemus.

Præservativū. *Art.* 818. Ut lymphatica apoplexia avertatur

fumus

fumus nicotianæ per fistulam mane, & sero usurpare juvat; expedit etiam, ut semel in mense alvus hyeme solvatur; & æstate bina emetica adhibeantur.

Si sanguinea ingruit apoplexia, vel quempiam eadem minatur, quater in anno instituenda phlebotomia est; & singula vice die sequenti opus est alvum laxare; ut inde causa effervescentiam sanguinis producendi apta; atque adeo vasis turgefactis eorum dehiscentiam, & liquidi contenti effusionem in cerebro efformandi, evacuetur.

Art. 819. Si demum quis se se stupidus, gravis, & in somnum immodice proclivis nanciscatur, quæ indicia pituitosam apoplexiam minantur danda opera erit; ut excitato vomitu, vel ingesto purgante corpus evacuetur, deinde sequenti spiritu internæ vires erigentur, qui non solum utiliter in hujusmodi apoplexia adhibetur; verum etiam in lethargo in catarrhis suffocativis &c.

Spiritus compositus. ℞. *Castor. cinamom. succin. ana* ʒj. *sal. volat. viper.* ʒß *sem. aq. theriacal. meliss. spirituos. sp vin. ana unc.* j. *diger. super ciner. calid. in vase probe clauso per horas* xij. *deinde destill. per alembic.*

Hujus dosis est cochlearis dimidii ter in die pro iis, qui ab apoplexia tenentur; & singulo biduo semel, pro iis, quos idem morbus minatur.

Observanda circa somnum. *Art.* 820. Observandum est, quod finitis omnibus lymphaticæ Apoplexiæ symptomatibus concedendus est, somnus ægro in trihorium usque protractus, & identidem expergefactus finitur, ut eumdem iterum capiat; etenim operæ pretium est, vires labefactatas, & a morbo non minus, ac a remediis imminutas tali pacto confirmare ac restituere. Diligenter tamen invigilabitur attendendo: an ejus somnus naturalis est, atque mitis: an contra durus, & opprimens, quo casu mox expergefactus agitabi-

tur diu, atque ad incessum ineundum adigetur.

Quoad recidivam. *Art.* 821. In eadem serosa apoplexia morbi recrudescentiæ spatio 24. horarum sæpe redire solent, atque per priorem hebdomadam sunt timendæ, siquidem ut plurimum funestæ. Quare ut eædem avertantur, exactum valde regimen ægro præscribetur, atque eidem dabuntur subinde purgantia, atque demum aptiori anni tempore adventante ad thermas ablegabitur, ut ad *Borbonianas*, ad eas *Aquæ sextiæ*, & *Vichy* &c.

Potus ordinarius. *Art.* 822. Quousque morbus persistit, adhibeat æger pro potu communi ptisanam ex rad. scorzon. glycyrrh. fol. betonic. meliss. vel similium.

Prognosis. *Art.* 823. Quando omnia quæ pro apoplectico erigendo usurpantur, nullam evacuationem præstant, sed stertor accedit, & viget, tunc pronunciabis jam rem habendam in desperato.

L E T H A R G U S.

Inter legendum & observandum.

Definitio & signa lethargi. *Art.* 824. De lethargo alibi meminimus h. e. num. 761. sed ibi eumdem tanquam symptoma ceteris morbis accedens, & sudorem inducens consideravimus, nunc vero eumdem, ut morbum per se & idiopaticum, habemus.

Art. 825. Lethargus igitur somnus est, profundus cum febre lenta, in quo, si ægri excitantur, mox in eumdem somnum relabuntur. Qui hoc tenentur stupidi sunt, & obliviosi, vix mente valent, atque omnium actionum sunt incapaces. Hinc verissimillimum est, hunc nisi minorem Apoplexiæ gradum fore.

Curatio. *Art.* 826. Ejus curatio eadem omnino ratione perficitur, ut in apoplexia, sectis videlicet brachii, & pedis, nec non jugularibus venis, si indicia adsint a sanguinis copia produci; quod si

a pi-

a pituita veniat, purgantia adhibenda ſunt, vomitoria, ſudorifera, ſternutamenta &c. Ut verbo dicam, torpentes ſpiritus excitari debent remediis acidis, volatilibus, acribuſque, ſomnum interrumpentibus, inducentibuſque vigiliam. Neque diu hærendum, quin fortioribus purgativis ægri alvus cito laxetur, quæ ſi per os ingeri nequeunt, clyſterum ope ſaltem immitti poterunt.

Exiſtimarunt nonnulli ſanguinis emiſſionem a jugulari proficuam futuram, etiam quando morbus a ſero cerebrum inundante proficiſcitur.

Ad excitandos ſpiritus commendant, ut ſubinde aliquæ aceti guttulæ in ægri os inſtillentur, vel ejus naribus, vel ſp. ſal. ammoniaci, vel balſ. apoplect. ſubjiciatur &c.

Veluti ſpecificum ad lethargicos excitandos celebratur ſuccus fœniculi, vel rutæ cum aceto temporibus naribuſque admotus.

Art. 827. Obſervavit *Rhodius*: quod in omnibus affectionibus comatoſis, præcipue lethargo, & apoplexia, pulſus, dum ex parvo fiebat magnus, & ſenſim in magnitudinem creſcebat, ægrotantes brevi moriebantur. *Prognoſis.*

HEMIPLEGIA, PARAPLEGIA, ſeu Paraplexia.

Aretæi ſententia.

Art. 828. Apoplexia, paraplegia, pareſis, paralyſis omnia genere eadem ſunt: aut enim motionis, aut tactus, aut utriuſque defectus eſt: inter- *Paralyſis ſpecies ſeu denominationes variæ.*

interdum & mentis, interdum & reliquorum sensuum. Apoplexia enim totius quidem corporis, & sensus, & motus, & mentis resolutio est. Paraplagia est tactus motusque remissio; sed in membro uno, puta manu cruréve. Paralysis autem motus tantum fere est, actionisque defectio. Quodsi nonnunquam solus tactus deficiat (raro enim id evenit) potius anæsthesia, idest, sensus abolitio, quam paresis, idest defectio, nominatur. At si Hippocratis apoplecton, idest, attonitum crus secundum rectum, dicat illud tanquam mortuo simile, inutile, & insanabile vult significare. Quod enim in toto corpore est vehemens apoplexia, illud in crure paraplegiam vocat; patet ergo, ait Cl. Van Schvvietten, „quod antiqui vocaverint paraplegiam „idem illud, quod hodie dicitur paralysin; „nam & in illa quandoque una cum motu sensus integre perit, ut & postea dicetur, & partis singularis, non vero totius corporis vitium „est„. Id ipsum innotescit etiam a descriptione quam *Trallianus* dat de vitio resolutionis, quod Græci paresin, & paralysin nominare consueverunt; nam subjungit differt ab apoplexia, quod ipsa quidem totius corporis sensus, & motus abolitio est; resolutio autem, quod dimidia pars corporis, vel una tantum emoritur.

Paraplegia ab apoplexia differentia. *Art.* 829. Ex istis ergo intelligimus Paresin, & Paralysin unius ejusdemque morbi sinonima esse, paralysin, & paraplegiam pro uno eademque morbo veteres habuisse ab apoplexia levitate tantum diverso, quin imo comperimus Galenum paraplegiam non solum, sed etiam hemiplegiam generali paralysis nomine comprehendisse.

Art. 830. Hujusmodi vero græcarum vocum signi-

significatio juxta neotericos ita se habet. Quando omnes universi corporis partes afficiuntur, ita ut sensum, & motum amittant, morbus est *apoplexia*; quando omnes sub capite, ita afficiuntur, dicitur *paraplegia*, quando omnes in alterutro tantum latere *Hemiplegia*; quando partes quædam ubicumque corporis *Paralysis* nuncupatur. Distinctionem ergo, quam habet *Ettmullerus* de hemiplegia, & paraplegia a paralysi, quamque Auctor noster prosequutus est, nos cum Boerhaavio ejusque Commentatore eximio D. Van Schvvietten irritam reputamus. Nam una eademque paralysis, si totum unum latus occupet *hemiplegia* est, si omnes cervici suppositas partes *paraplegia*. Vide Boerhaav. aph. 1018. eadem enim ubique affectio est, pro numero partium corporis, quas detinet, tantum versa. *Paraplegia hemiplegia & Paralysis eadem sunt.*

Art. 831. Observat itidem Aretæus, quodsi caput primo in dextra parte patiatur, sinistra vultus, & trunci corporis resolvitur, si autem læva, dextra nervorum laborat. Hoc ideo evenit, quod nervorum initia permutata sunt. Neque enim, inquit, dextri nervi in dextras partes secundum rectum usque ad extremum progrediuntur: sed ab initio enati protinus ad oppositos transeunt, se invicem in figuram hujus litteræ X. quam græci chiastrum vocant, permutantes. Utque semel dicam, sive omne simul corpus resolutionem nervorum patiatur, sive aliqua membra, sive ab alterutra, sive ab utraque parte, nervi de capite fluentes alia ratione patiuntur. *Permutata nervorum a capite resolutio.*

Ett-

Ettmulleri sententia.

Ratio nominum. *Art.* 832. Paraplegia seu paraplexia, & apoplexia particularis, in altero tantum latere hemiplegia nominantur. Interdum afficitur totum corpus, excepto capite, ex obstructione spinalis medullæ; frequentius est morbus *secundarius*, interdum vero *primarius*: sensus, vel motus, vel alteruterque totaliter abolentur, vel multum imminuuntur.

Paraplegia ab apoplexia differt. *Art.* 833. Paraplegiæ, quæ *apoplexiam*, *epilepsiam*, aliosque morbos immediate sequuntur, vulgo *paralyses* vocantur, seu *paralysis* est longe alius affectus, ut infra manifestum erit.

Curatio. *Art.* 834. *Vomitus* in omni paraplexia convenit, & *purgatio* ad primarum viarum emundationem, *venæsectio* convenit in plethoricis; proximo loco *sudorifera* valde conducunt, cum specificis interspersis, decoctum *sassafr.* cum *roremarino* & *bacc. juniperi*; aliquando datur *aurum fulminans* ad gr. iij. vel iv. de reliquis internis medicamentis vide *apoplexiam* & *paralysin*; balnea ex *formicis* revera singulare quid obtinent in *paraplegiis* curandis.

PARALYSIS, & PARESIS.

Ettmulleri sententia.

Paralysis & Paresis. *Art.* 835. Paralysis est gravior, & paresis levior affectus; paralysis proprie est resolutio, & relaxatio ligamentorum & membranarum motui inservientium, non ab obstructis nervis proveniens,

niens, sed a mera membranacearum & nervearum partium resolutione, & sic a *paraplegia* distinguitur, quæ ab obstructione nervorum exoritur; hæc sequitur *apoplexiam*, *epilepsiam*, *convulsiones*, *vertigines*, &c. qui affectus in se mutuo sunt permutabiles, & plerumque desinunt in *paraplegiam*; Illa vero sequitur alios morbos longe diversos; viz. *scorbutum*, *malum hypochondriacum*, *colicam*, & frequentior est in regionibus, ubi vino & spiritibus indulgent; aut oritur etiam subinde a causis externis, ex fumis metallicis, &c.

Art. 836. Paralysis cæteris paribus facilius curatur quam *paraplegia*, quæ plerumque omnem medici operam eludit; motus saltem amissus, superstite sensu restituitur; *tremor* superveniens est bonum signum recuperandi motum. „Atro„phia vero aut frigiditas pessime ominatur.„ *Curatu difficilis.*

Art. 837. *Purgatio* lenis tantum institui debet cum *mercurio dulci & extracto hellebori*, *specie diaturb. cum rhabarbaro*, *pil. fœtid.* &c. & postea *sudorifera*, remedia *apoplectica*, & *epileptica*, *viperina*, *succinata*, *lumbricalia*, ex *milleped.* & *formicis* parata, *antimonialia*, *martialia*, *bezoardica*, *aurum diaphoreticum*, *antiscorbutica*, & *specifica* in sero lactis cocta, quando a *dolore colico* ortum ducit; & externe pro abdomine illinendo *galbanetum Paracelsi*. Galbanetum Sennerti est præstantius medicamentum. Vid. *Pharm. Batean.* In genere *urticatio* morbi resoluti est maximi usus, expertus loquor. *Thermæ naturales*, balnea ex *formicis* parata, *unguentum martiatum*, *nervinum*, *paralyticum*, &c. *Curatio.*

Vvil-

Vvillisii sententia.

Definitio paralyseos. *Art.* 838. Paralysis est partium nervosarum a debita distentione resolutio, sive relaxatio; cujus ratione motus & sensus, nempe: aut alter tantum, aut simul uterque in toto corpore, vel in quibusdam partibus, debito more exerceri nequit.

Unde provenit. *Art.* 839. Mentis hebetudo, oblivio, & stupiditas, frequenter in paralysin mutantur. Paralysis aliis affectibus frequentius supervenit, quales præcipui sunt *carus*, *apoplexia*, *scorbutus*, *convulsio*, *colica*, *arthritis*, &c.

Difficile curatur. *Art.* 840. Paralysis ab apoplexia, caro, convulsione, colica, aliisque cerebri, aut systematis nervosi affectibus superveniens, si non brevi tempore in melius alteretur, aut medicamentis cedat, plerumque insanabilis perstat; hominibus provectæ ætatis, cacochymicis, valde scorbuticis, aut intemperatis accidens, etsi affectus haud immanis fuerit, difficile tamen curatur.

Curatio. *Art.* 841. *Phlebotomia* passim non omnibus convenit; & si hanc vetamus, non tamen ob eamdem cum veteribus rationem, supponendo paralysin esse morbum frigidum; præmissis universalibus, viz. *vomitorio* & *catharsi*, cerevisia medicata parari potest ex *salvia beton. stæchad. lign. sassafr. cortic. Vvinter.* &c. Quidam paralytici sunt frigidi, alii calidiores ex constitutione, ideoque remedia debent esse diversi generis, ut in ipso *scorbuto* evenire solet. Remedia in hoc affectu insigniora sunt *viperina*, *pulv. rad. serpent. virgin. gum. guaiac. tinct. succin. sp. C. C. succinat. pulv. ari comp. chalybeata*, *antiscorbutica* omnia, præcipue *succi antiscorbutici cum aqua raphan. aurantii*, &c. Externe *fotus*, *linimenta*, *cucurbitulæ*, *vesicatoria*,

ria, *urticationes*, item immissio membri resoluti in *grana hordei* post cerevisiam subductam, vel intra *ventrem* vel *thoracem bestiæ recens mactatæ*, aut denique *balneum artificiale vel naturale*. His non succurrentibus proveniendum erit ad remedia magna, viz. *diaphoretica*, *salivantia*, *vomitoria fortiora*, &c. *sudorifica* usitatoria sunt: decoctum *guaiac. spiritus & oleum ejusdem*, *mistura simplex*, *flores & spiritus salis armoniac. aurum diaphoreticum*, *sal. viper. bezoar. min. tinct. antimon.* &c. Nullum datur præstantius remedium quam *thermæ nostræ Bathonienses*; quosdam tamen deterius reddunt. „ Pro pauperibus & nimis procul a *Bathonia* degentibus *Thermæ artificiales* ad imitationem naturalium ad hunc „ modum fieri possunt: ℞. *calc. viv.* ℔iv. *coq. paulisper. in aq. commun. cong.* xx. *vel* xxx. *pro* „ *semicupio*.

Inter legendum & ex observatione.

Art. 842. A spirituum inopia fit paralysis, ut in senectute valetudinaria, post immodica sanguinis, liquoris genitalis, &c. dispendia, e sanguine enim effœto pauci spiritus in cerebro procreantur. *Causa paralyseos.*

Art. 843. Credibile est papillas cutaneas esse tactus organum, ideoque hic ratio reddi potest, cur superstite motu sensus possit aboleri, viz. quia motus per nervos fit, sensus per papillas hasce. *Papillæ cutaneæ tactus organũ.*

Art. 844. Ad membra paralytica plurimum valent fomentationes quotidianæ ex *formicis* & earum *cubilibus* in aq. font. coct. interdum præsentaneam opem & firmum constansque robur partibus affectis afferunt; eodem tempore usurpetur oleum sequens, ℞. *sem. sinap. parum contus. q. v.* *Remedium ex formicis & ex sem. sinap.*

sp. la-

sp. lavend. q. s. ut madefiat; infunde frigide per horas 24. deinde oleum prælo exprimatur; cum quo inunge cervicis vertebras, & spinam dorsi, & etiam partes affectas. Nihil potentius est in affectibus paralyticis (inquit *Chesneau* experientia teste) ad discutiendum humorem aliquem in vertebris lumborum, vel in musculis concretum, quam *oleum philosophorum, & oleum terebinthinæ*, quod secundo exit post spiritum, aureique est coloris. Si membrum paralyticum extenuetur, vix aut ne vix quidem restituitur.

Vires terebinthinæ e Chio. *Art.* 845. D. *Harris* in observationibus de morbis gravioribus asserit *therebinthinam e Chio* in hoc affectu vires plane admirandas obtinere; atque hunc in modum præscribit. ℞. *tereb. e Chio* ʒiij. solve in vitel. ov. immiscendo *syr. de stæchad.* ℥j. *aq. lact. alex.* ℥iv. m. f. haust. singulis auroris capiend. ad quartam vicem. Addit præterea se dedisse *tereb. venet.* ʒvj. vel ℥j. in haust. similiter dissolut. non modo in *paralysi*, verum & in *arthritide*, & in *rheumatism.* cum optimo successu.

Paralysis Laryngis. *Art.* 846. Larynx, pharynx, & gula quandoque Paralysin patiuntur. Paralysis *laryngis* prohibet deglutitionem liquidorum, non vero solidorum, quoniam epiglottis non perfecte claudit rimulam laryngis. Paralysis *pharingis* prohibet deglutitionem solidorum, non vero liquidorum. Paralysis *gulæ* omnimodam deglutitionem tollit. Interdum deglutitio læditur ex contractura spasmodica gulæ, quod hypochondriacis, & scorbuticis est familiare.

Pharingis & gulæ.

Curatio. *Art.* 847. Epispastica sunt applicanda; antispasmodica & antiparalytica externe & interne usurpanda sunt, gargarismata & linctus in loquela amissa convenientia hic locum habent; speciatim *succus salviæ cum nuc. moscat.* castoreo frequenter & diu in ore detentus. „ Cataplasmate

sequent.

„ sequent. in praxi nostra quandoque usus sum;
„ ℞. *pulp. raparum coct.* ℥iv. *herb. rut. contus. m.* ij.
„ *sem. sinap.* ℥j. *pulp. alb. graec. euphorb. an.* ʒij. *sulph.*
„ *viv.* ʒiij. *ol. succin.* gr. 100. *ung. nervin. q. s. m. f.*
„ cataplasma gulæ applicandum.

Art. 848. In paralysi linguæ solus succus *salviæ* obmutescentiam solvit; sequente gargarismate fœlici cum successu in praxi aliquando usus sum; *Paralysis linguæ.*

℞. *Fol. salviæ rorismarin. ana m.* j. *hyssop. puleg. ana m.* ß. *sem. staphid. agr. sinap. ana* ℥ß. coq. in q. s. aq. font. ab ℔j. Colaturæ add. *succ. salviæ depurat.* ʒij. *oxymel. scillit. aq. regin. Hungar. ana* ℥j. *syr. stæchad.* ℥iij. m. teneat coch. ij. in ore aliquandiu & deinde expuat, idque fiat frequenter in die.

Art. 849. Arbitramur (ait *Lancisius*) potissimam causam facilioris solutionis Paralysis in cruribus esse directionem vasorum, tum sanguinis, tum spiritus animalis, proxime ad perpendiculum positorum; contra vero causam curationis difficilioris in brachiis esse positionem vasorum transversalem, per quam eadem constituuntur ad rectos vel rectis proximos angulos cum arteria magna, vena Cava, & spinali Medulla. Liquida enim, quæ per directionem, perpendiculari proximam fluunt, expeditius moventur, & impedimenta quæ ipsis objiciuntur, promptius amovent, quam eadem liquida si flexuoso, aut angulari itinere devolvantur. Compertum est venæ sectionem sæpius repetitam malum plerumque exacerbare, illiusque frequentioribus accessionibus viam sternere: in ejus vero locum scarificationes sex vel octo cucurbitulis administrandas commendamus. *Cur quædam partes ægrius quædam facilius recuperentur.*

Art.

Celsi observatio. *Art* 850. Solent, qui per omnia membra resoluti sunt, celeriter rapi; at si correpti non sunt, diutius quidem vivunt, sed raro tamen ad sanitatem perveniunt, & plerumque miserum spiritum trahunt, memoria quoque amissa. *Celsus*.

Curanda est ut lues venerea. *Art.* 851. Cura hujus mali a curatione *luis venereæ* non abludit multum, adeoque *mercurialia, sudorifera, decoct. e lign.* &c. prosunt. Externe *inunctiones*, *spirituosa* & *penetrantia* non in parte affecta, sed in spina dorsi; ut *unguentum nervinum, martiatum, ol. tereb. sal. volat.* &c. Item maximo cum emolumento sequens emplastrum spinæ dorsi admovetur; ℞. *Empl. de ranis cum quadruplo mercurio* ℥j. *camphor.* ʒß. malaxetur cum *ol. succin.* & fiat emplast. *Waldschmid.*

Tinctura Pitcarnii. *Art.* 852. Tinctura antiepileptica *Pitcarnii*, in cap. de *epilepsia* tradita purgantibus orba ab authore laudatur.

Remedia alia varia. *Art.* 853. Virtutes & usus remediorum sequentium lector ipse expendat: *Cataplasma de rapis, cinnabaris antimonii, emplastrum de pyrethro, enema apoplectic. enema terebinth. fotus spirituosus, galbanetum Sennerti, guttæ Goddardianæ, infusum cephalicum, linimentum paralyticum, oleum lumbricorum* (per distillationem mira præstat) *pluvis ad guttetam, spiritus sanguinis, succi scorbutici, tinctura cantharidum, tinctura epileptica, unguentum ad atrophiam, unguentum salino volatile.*

Altera curationis methodus. *Art.* 854. In simplici Paralysi seu in ea, quæ ab Apoplexia non dependet sanguinis eductio necessaria omnino non videtur, sed exordiendum ab Emeticis, quorum uno alterove propi-

nato acris Clyster jubebitur, quemadmodum sequens est.

℞. Senn. unc. j. aq. commun. ℔ j. sem. ebull. ad consumpt. tertiæ part. colat. add. Vini Emet. turbid. unc. j. Hieræ coloquintid. unc. j. sem. f. clyst. loco vini Emetic. & Hieræ prædictæ addi potest ipsius coloquintid. unc. sem. si viridis est vel ℨij. si sicca. *Clyster*

Præterea pulveres sternutatorii quoque conveniunt; ut qui ex Betonica, Salvia, Lauro, Nigell. Roman. & Hellebor. alb. parantur, atque externe Lumbricorum oleum vel Petroleum &c. fricando artus inungitur, a nucha vero usque ad lumbos frictiones habeantur cum spir. Vini Camphor. Lavendul. circa dorsi spinum frictionibus insistendo. *Sternutatoria.*

Art. 855. Hujusmodi externa remedia, cum plurimum opitulentur, nullo modo præteriri debent. Quare alterum hic sistimus plurimi habendum, cujus usus diu continuandus. *Pomata.*

℞. Visc. pomor. man. iij. contundant. in mortario, dein coq. cum axungiæ dulcis suis lib. j. sem. per horæ quadrant. expressæ; decoctioni add. Ceræ unc. j. thuris ℨij. m. super ignem tempore iij. vel iv. minutor. semper agitando, & conservetur pomata.

Pro ejus usu primo coram igni fricatur æger, & abluitur vino albo, calente; exsiccatoque vini madore partes paralyticæ maxime vero juncturæ hac Pomata inunguntur, cujus quantitas fabæ magnitudinem exæquans manibus arrepta inter fricandum linquitur ut liquescat; dein mappis calidis confricati artus obvolvuntur. Hujusmodi linctus ter in die repetitur, iisdem mappis semper adhibitis, quæ cum priorem adipem ferant, minus absumunt de eo, qui noviter apponitur.

Art. 856. Loco hujus pomatæ sequens etiam usur- *Pomata altera.*

usurpari post ab eodem descripta, qui Auctor est Diction. Medicinal. Bruxell. evulgati.

℞. Butyr. recent. non saliti, Vini ana lib. j. salv. rorismarin. hyssop. minut. concis. ana man. j. coq. per hor. dimid. colat. fortiter express. add. Vin. spir. cyath. j.

Linimentum. *Art.* 857. Miras habet virtutes ad huc morbum sequens quoque linimentum.

℞. Ol. laurin. Terebinth. ana unc. iij. Ol. Nard. Petrolei ana unc. ij. Vini Canarini vel Hispanic. unc. iij. Sp. Vini unc. ij. coq. usque ad Vini consumption., & versus finem add. Piper. pulv. unc. sem. Rad. Pyretr. pulv. ʒij. Castor. pulv. ʒvj.

Art. 858. Quo linimento collum, dorsi spina, & lumbi coram igni perfricantur, inde vero mappis calidis loca fricata obteguntur. Id vero non expeditur, nisi æger antea purgetur. Purgatur enim mediante gunum. Gutt. gr. iv. Merur. dulc. gr. x. & Extract. Helleb. nigr. gr. iv. Hujus autem extracti præparatio ita se habet.

Extractum Hellebori. ℞. Hellebor. nigr. pulverat. unc. j. infund. in cyath. sp. vin. & diger. super cineres calidos sæpe miscendo ut vin. sp. tinctur. extrahat. Ubi videris tincturam eductam, eamdem decanta, & super remanentiam tantumdem sp. vin. noviter affunde simul identidem miscendo, donec rursus aliquantisper tingatur, atque liquore hoc etiam decantato cum priore in vase vitreato ad cinerum calorem inditur, ut ad extracti consistentiam evaporet. Hujus extracti dosis est ad gr. x.

Si spatio duodecim dierum tres hujus extracti doses debitis intervallis assumantur, qui alvi segnitie laborant, id commoditatis sibi vindicant, quod ut cetera purgantia post effectum alvum segniorem relinquant, hoc contra eamdem lubricam deinceps facit.

Art. 859. *Stocherus* sequens Topicum ad Paralysin magnopere commendat. *Topicum aliud.*

℞. *Urtic. maj. man.* iij. *Chamæmel. man.* j. *sal. commun. unc.* iij. *cumini unc.* j. *contud. in mortario & cum aq. commun. lib.* v. *coq. ad consumpt. quartæ partis.*

Hac vero decoctione membra paralytica abluuntur mane, & vespere quotidie, quæ inde mappa eodem liquore inebriata obvolvuntur, & quatriduo prætergresso ol. vulpini usque ad perfectam sanationem inunctio continuatur.

Art. 860. Artificialia Balnea ad hunc morbum quoque laudantur. Eadem vero sequenti ratione parari possunt. *Balnea artificialia.*

℞. *Bacc. Laur. sulph. viv. ana lib. sem. Rad. gentian. man.* iij. *enul. campan. aristoloch. long. ana man.* ij. *concis. radicibus eædem cum reliquis coq. in aq. commun. s. q. pro Balneo.*

Art. 861. Purgantia fortiora in hujus morbi principio angue pejus sunt vitanda cum non raro mortem intulerint; eadem in primis admodum officiunt, quando paralysis vel Scorbuto vel Colicæ succedit. Eadem quoque cautio adhibenda est pro Clysmatum usu, quæ principio nisi emollientia juberi debent, progressu vero etiam acria, ut ea sunt, quorum supra meminimus, (§. 854.) vel ut sequens se habet. *Nota bene.*

℞. *Salv. origan. centur. min. ana man.* j. *pulp. pomi coloquint. f. decoct. pro Clystere.*

Art. 862. Plurimum item ad hunc morbum dococtio celebratur Baccar. Juniper., & Laurι, cujus aliquot propinatis cyathis, æger ad sudandum disponitur. *Sudorifera.*

Art. 863. Pro potu communi in Paralysi Ptisana quædam jubenda est ad normam sequentis. *Potus communis.*

℞. Aq. commun. lib. ij. in qua per hor. quadr. ebull. *Curatio.*

ebull. Rad. Irid. flor. unc. j. mell. unc. ij. Durante coctione Mel despumetur, & colat. fit pro usu.

Paralysis ab Apoplexia. *Art.* 864. Si morbus Apoplexiam consequatur, remedia supra titulo Apoplexiæ commendata diutius continuanda, quarum dosis tantum & tempus eadem sumendi, habito respectu circumstantiarum, temperari debebunt. Nam minus equidem frequenter porrigi possunt, sed simul danda opera, ut frictionibus membra affecta in pristinum restituantur.

Nota bene. *Art.* 865. Monendum est: quod si pars affecta extenuari, & contabescere incipiat; aut temperamentum ægri ad biliosum vergat, inter habendas frictiones penetrantia, & subtilia nimis remedia caveantur.

Aquarum mineralium usus. *Art.* 866. Utilius quod dari potest consilium iis qui Paralysi correpti fuere est: ut quovis anno ad Aquas Minerales sulphureas se conferant, ut sunt eæ ad aquas Sextias, ad *Burbon-Lancy* ad Vichy &c. in Gallia, & Bathonianæ apud Anglos. Si vero incassum harum aquarum usus cedat, quidam Practicus consulit, ut æger tanquam ad ancoram sacram ad Balnea Montis Auri Alverniæ confugiat, maxime vero ad Balnea Neryniana, quæ sæpe optimos præstitisse effectus testatur, modo per plures annos adeantur.

CATALEPSIS.

Catalepsis. *Art.* 867. Catalepsis seu Catoche, Latinis & Arabibus congelatio dicta, est affectus in quo ægri manent rigidi in eodem statu, quo prehensi fuerunt: interdum tamen nonnihil audiunt, vident, recordantur, & post narrant; si quid ori ingeratur deglutiunt, impulsi incedunt. Milites in obsidione Metensi hastam in manibus tenuerunt,

runt, equites turmam sequebantur, non minus quam congelati. Est morbus raro occurrens at satis acutus, intra 3. aut 4. ad summum dies jugulans; quandoque fit metastasis in *epilepsiam*, *apoplexiam*, vel *melancholiam*: in genere paucissimi restituuntur; nemo liberatur, cui secundo catochus supervenit. *Raro occurrit, & rarissime curatur.*

Ettmulleri sententia.

Art. 868. Catalepsis seu catoche, est affectus rarissimus, & summe mirabilis; in quo cessat omnis sensus internus, & externus, & motus, ita ut ægrorum membra rigida sint, & instar statuarum in sua positura; impulsa tamen moventur, sed tamen denuo in ista, per motum acquisita figura, fixa permanent. Vulgo pro *ecstaticis* habentur. „ In hoc affectu (inquit *Do-„ læus*) alvi ac urinæ fit suppressio; respiratio „ tamen integra, & illæsa manet, & sanguinis „ circulatio, ægris vero immoti manent, instar „ *Marpesiæ cautis*. *Morbi descriptio.*

Art. 869. „ Quoad curam, in genere ab o- „ mnibus practicis tam veteribus quam neoteri- „ cis hunc morbum ejusdem farinæ medicamen- „ tis, quibus *apoplexiam* curari lectori patebit; „ unde jure merito *apoplexia inversa* nuncupa- „ tur. Remedia omnia prosunt, quæ viscidum „ quodcunque incidere vel attenuare, & pro ra- „ tione occasionis evacuare valent; excellunt *sa-„ lia volatilia*; conveniunt *vomitoria antimo-„ nialia*, *epispastica*, *antispasmodica*, *antipara-„ lytica*, *&c.* *Curatio.*

Boerhaavii sententia.

Causa proxima. *Art.* 870. Hujus morbi causa proxima est immobilitas sensorii communis, prout primo momento insultus se habebat. Ergo sanguinis cerebrosi, glandularum cerebri, emissariorum ejus absoluta est quies, ut in initio. Omnes quidem in eo morbo functiones cerebri læduntur, & illæ, quæ inde pendent; soli musculi sic manent tensi, ut in initio erant; cæterum respiratio & pulsus supersunt, at plerumque leves. Dissecta cadavera demonstraverunt arterias venasque cerebri valde turgentes, fortiter impacto denso cruore; in morte plerumque finitur.

Curatio. *Art.* 871. Solvitur interdum *larga narium hæmorrhagia*; ideoque curatio tentatur hæmorrhagiæ ex naribus prolectu, hæmorrhoidalis, menstruive fluxus prolectu; sternutatoriis, vomitivis; vesicatoriis; fonticulis (interscapularibus); setaceis; victu humectante.

Inter legendum, & observandum.

Definitio & signa. *Art.* 872. Catalepsis universum corpus repente in tali situ, quo illud prehendit, firmissime rigidum detinet, ut gestus oris, oculorum, ac membrorum plane eosdem servet: rarissimus est affectus.

Curatio in paroxysmo. *Art.* 873. Curatio hujus morbi duplex est, vel tempore paroxysmi, vel extra eumdem. In paroxysmo a calidioribus stimulantibus abstinendum est, si morbus ab humorum nimio orgasmo, expansione, ac stagnatione oriatur; ut maxime in hystericis.

Extra paroxysmum. *Art.* 874. Extra paroxysmum curatio varia esse debet pro diversitate causæ morbi, si oriatur

tur a copia sanguinis vel a consuetis suppressis hæmorrhagiis per idoneas phlebotomias occurritur, aliisque congruis remediis opitulatur. Si a melancholia, evacuationes sanguinis nocerent; sed victus humectans, blanda solventia, & spirituosa remedia prosunt: ut serum lactis, fructus horæi, mel, vini spiritus, & similia. Similiter hæc omnia juvant si catalepsis per diuturnas febres exhaustum corpus prehenderit. Si ex validis animi affectibus optimum remedium imo unicum peregrinationes, & suscepta itinera exhibent.

Art. 875. Sternutatoria absque successu in paroxysmo adhibita sunt, vomitoria quidem utilius, ubi mali fomes circa ventriculum sit. *Nota bene.*

STUPOR SEU TORPOR, & obdormitio membrorum.

Art. 876. „ Stupor vel torpor in genere est „ sensus tactus vel motus, vel utriusque imbe„ cillitas, quæ quidem plerumque est aliqualis „ paralysis scorbutica inchoata; saltem istius „ morbi plerumque est prodromus. Si plura si„ mul occupet membra *hemiplegiam* aut *apople*„ *xiam* minatur. Stupor in facie *torturam oris* „ portendit. *Stupor seu Torpor.*

Art. 877. „ Huc quoque pertinet affectus a „ a quibusdam *obdormitio* membri unius vel plu„ rium vocatus. Hæc obdormitio videtur esse „ affectus ex torpore, & dolore aliquali simul „ mixtis, qualis a causa externa plerumque „ excitatur, compressione scilicet membri vel „ nervorum in eo, unde influxus spirituum ani„ malium inhibetur, qui postea laxatis nervis „ copiose, & subito in illud recurrunt, & subi- *Obdormitio.*

„ tam alterationem faciunt, quam dolor ille vel „ molestia sequitur.

Historia singularis. *Art.* 878. „ Novi quemdam fere sexagenarium, *colica nervosa diuturna* laborantem, nimirum triginta plus minus annos per „ menses aliquot illum quotannis affligente, „ in hunc affectum tandem incidisse silente fere colica aut saltem leviter ac impotenter „ dolente, nempe *in stuporem, & torporem, & obdormitionem brachiorum & crurum, præcipueque manuum, & tarsorum, & musculorum ocularium*. Huic imperavi *rhabarb.* ℈j. *vel* ʒß. „ alternis vel tertiis diebus hora aliqua antemeridiana masticare; opobalsami purissim. „ gr. xx. *vel* xxx. *in sacchar. cryʃtall. inʃtillat.* semel vel bis in die deglutire, cerevisiam, & „ spiritus ardentes omnimodis prorsus interdixi. Porro bis tantum in die victum capere „ consului; jentaculum scilicet, & cœnam, idque ad intervallum *novem ad minimum horarum* „ omisso prandio; Aquam Spadensem inter cœnandum ad sitim potare loco cerevisiæ tenuis, vel aq. commun. atque ex hac methodo, dum hæc scribo, melius se habere videtur. Vires *Pisselæi Indici* nondum expertum est.

T R E M O R.

Ettmulleri sententia.

Tremor. *Art.* 879. Tremor est malum morbis *convulsivis* affine, in quo cum motu naturali, & voluntario simul aliquid *convulsivi* concurrit; est affectus seipsum oculis prodens. Tremor supervenit animi passionibus gravioribus, speciatim iracundiæ, & crapulæ, sed hic est *accidentalis*

& *tran-*

& *transitorius*; metalli fossores, & metalli fabri subinde tremunt; nimia Venus ad tremorem disponit; senio confecti fere semper tremore plus minus afficiuntur.

Art. 880. Tremor interdum periculosus est, quoniam facile degenerat in alios graviores affectus nervinos, in *paralysin*, *apoplexiam*, *lethargum*, *spasmum*, &c. in senibus est incurabilis. Tremor qui supervenit mulieribus post partum ex retentis quibuscunque in utero est periculosus affectus; subinde enim *epilepsias* lethales infert. *Prognosis.*

Art. 881. Tremori succurrunt omnia ea, quæ in *paralyticis*, *apopleticis* & *convulsivis* morbis conveniunt, & quæ *nervina* dicuntur: privatim cerevisia *salviata*, proximo loco *stæchas Arabica*, & *rosmarin. melissa*, *majorana*, *radix*, & *semen pæon. bacc. juniperi*, *rob. ejusdem*, decoctum *e lignis*, *aromata*, *castoreum*, *stercus pavonis*, *cinnabarini*, &c. Quoad externa eadem sunt ac in *convulsione tonica*, quibus addi potest usus *thermarum* (*psychrolusia*.)

Farrago sententiarum.

Art. 882. Tremoris curatio inquit Auctor diction. Medicinal. exordienda semper est a remediis, quæ obstructiones tollunt, quemadmodum Pulvis est aperitivus, & correct. universalis Helvetii, cujus præparationem in Tractatu suo de frequentioribus morbis prostat Tom. I. pag. 201. Similis huic est quem mox subnectimus. *Alia quædam remedia.*

℞. *Croc. mart. aperitiv. rore pp. unc.* ij. *Stib. diaph. solar.* ℨiij. *cinnab. nat. succin. flor. Benz. ana* ℨij. *sal. sabin.* ℨiij. *Cinamom. macis ana* ℨj. *sem. fœcul. bryon. Ari ana unc. sem. f. pulv. subtil.*

cui

cui add. essent. caryophyll. fœnicul. ana gutt. xxx. *& in phyala probe clausa servetur.*

Hujus pulv. gr. xx. mane stomacho jejuno, cum azymo ingeruntur vini cyathum aqua mixti superbibendo, inde ad incedendum æger pergat, ut facilius medicamentum è stomacho egredi possit. Eadem dosis itidem tribus vel quatuor horis a prandio ingeritur, similisque iterum vespere vel dum cubitum itur. Sic usque in triduum continuatur; quarto vero die purgans sumitur, vel si stomachum gravatum sit vomitorium. Tum pulveris usus die sequenti renovatur, & sic persistitur usque in quartum, quinto vero purgans sumitur, & eadem methodo reiteratur pulvis per quinque dies, & purgans sumitur sexto. Si opus est finita hac Methodo iterum iterumque a principio renovatur, quia credibile non videtur in morbis inveteratis, nec cito, nec facile posse salutem recuperari.

Hujus item pulveris vires non solum in hac affectione juvant; sed etiam Melancholiam Hypochondriacam, Scorbutum, Hæmorrhoides, & pallidos Virginum colores egregie sanant, modo continuetur usus quousque diuturnitas affectionis reposcere videtur.

Ad manus tremorem. *Art.* 883. Si manus tremunt, oportet easdem ter in die, præcipue mane, sequenti decoctione abluere.

℞. *Urinæ hom. sani lib.* iv. *aquæ in qua fabri ferrarii candefactum metallum extinguunt tantumdem fol. Artemis. man.* vj. *coq. usque ad tertiæ partis absumption.* Nulla colatura hujus decoctionis instituitur, sed arrepta herba incocta, eadem manus confricantur, carpique abluuntur.

Tremor a fumo metallico. *Art.* 884. Si ab Hydrarg. tremor veniat, vel a quovis alio metallo *Hochsterus* pro specifico sequentis potus usum celebrat. ℞.

℞. *Rad. cannæ unc.* ij. *fœnicul. unc.* j. *cerevis. vel Vini lib.* ij. *sem. coq. ad tertiæ partis absumptionem, & colat. fit pro usu.* Hujus subinde cyathus propinatur cum regimine calido, & sudor elicitur.

Ar. 885. Quoad huc facientia Topica *Forestus* laudat frictiones cum ipsa ægri urina. Similiter membra trementia ablui possunt Aq. urtic. Mens. Maii colectæ; item olea Nard. Lumbric. Salv. Majoranæ, Lauri plurimum præstant ut, etiam Unguent. Martiatum &c. *Alia Topica.*

Art. 886. His similibusque auxiliis, qui ætate valde non invalescunt, facile roborantur, firmanturque, senes contra ab habituali inveteratoque tremore numquam liberari possunt. *Prognosis.*

C O N V U L S I O.

Art. 887. Convulsio sive contractura est nervorum musculorumque versus suam originem, involuntaria, & perpetua retractio, & ita distinguitur a *motibus convulsivis*, qui suas habent interpolationes: Estque vel *universalis*, *tetanus* dicta, qui dividitur in *emprostthotonum*, & *opistotonum*; vel *particularis*, quæ membrum quoddam vel articulum privatim respicit, hujus speciei est *spasmus cynicus*. *Convulsio ejusque divisio.*

Hippocratis sententia.

Art. 888. Convulsio dicitur de illis partibus nostri corporis, quæ contrahi possunt, atque in illa contractione persistere, & propterea non contrahuntur humores, quod fluxiles sunt, nec contra ossa, quia omnino stabilia. Contrahuntur igitur illæ partes, quæ medium teneat locum, veluti *Quænam partes corporis convulsionibus subjiciantur.*

luti quæcunque vel nervi sunt, vel de nervis participant.

Convulsionis causa. *Art.* 889. Causæ convulsionis sunt, vel nimia caliditas cum superflua humiditate, vel nimia frigiditas cum adjuncta siccitate quare convulsio fit a repletione, vel ab inanitione; attamen eadem quandoque fit ab aliquo conjuncto absque ulla qualitate, vel materia in re attracta, quemadmodum si dum ventriculus attrahitur, viscus insequens attrahatur. Hinc eædem causæ, vel sunt intrinsecæ, quemadmodum hæ, quas diximus, vel extrinsecæ veluti ex hellebori potione, ex vulnere, ex sanguine multo fluente, ex immodica purgatione, ex ebrietate, ex aeris constitutione frigida, & humida, ex vigilia, ex labore, & violentia atque ex æstu vehementi.

Convulsionum species. *Art.* 890. Tres sunt convulsionis species, quarum prima appellatur *Tetanus*, & est quando cervix una cum reliquo corpore immobilis manet, & in neutram partem inflecti potest. Hanc latini vocant *distensionem*, & Celsus *rigorem*. Secunda nuncupatur *Emprosthotonus*: & hæc fit quando caput, cervix, reliquumque corpus in pectus contrahitur. Tertia nuncupatur *Opisthotonus*: quæ fit quando caput in scapulas convellitur.

Convulsionibus obnoxii. *Art.* 891. Subjiciuntur convulsioni: caput dolentes, exsudantes, & alvum suppressam habentes. In dentitione ubi alvus parum deponit, & febris acuta non accedit, sed altiore somno pueri utuntur. Qui post acceptos in ulceribus humores ab iisdem præter rationem liberantur.

Prognosis. *Art.* 892. Quartanis capti non convelluntur, si vero convellantur, quartana superveniente immunes fiunt. Si ebrius quisdam repente obmutuerit convulsus moritur, nisi febre corripiatur; nam qui a convulsione, aut distensione ner-

nervorum tenentur, febre superveniente liberantur, contra vero si convulsio in febre appareat febris eadem die, aut postera, aut tertia sedatur. Quare febrem convulsioni supervenire melius est, quam febri convulsionem; atque adeo si puerperis convulsio fiat, febrem excitato: & cerato multo tepido in vesicam immisso ac per clysterem infuso colluito. Convulsio ex helleboro, ex vulnere, ex hæmorrhagia, ex vigilia, ex Ileo, ab angina absque tumore in faucibus, ex febre acuta, ex medicamenti potione mala est, sæpe vero lethalis; maxime si eadem die non desinat, nam qui convulsionibus corripiuntur quatuor diebus pereunt; si vero hos effugerint sani fiunt.

Art. 893. Convulsioni sic mederi oportet. *Curatio.* Ignis ab utraque lecti parte succendatur, & mandragoræ radix in potu præbeatur, minore tamen pondere, quam quod insaniam facit, & ad tendines posteriores sacculi imponantur; nam articulos induratos, vel ab inflammatione prægressa, vel a convulsione operæ pretium est sanare aqua calida in utriculam infusa ac superimposita.

Schmitzii sententia.

Art. 894. Spasmus cynicus, qui est distortio *Spasmus cynicus.* utrumque latus oris obsidens (sin vero alterutrum tantum latus convellatur, *tortura oris* dicitur, *Ettmuller.*) a rictus canum ira percitorum & ad *Tortura oris.* mordendum sese comparantium similitudine appellatur. Ex se turpe est malum & difficile curatu, exitialium morborum, ut *apoplexiæ*, aut *epilepsiæ* non raro est prodromus. *Ligatura*, qua, tanquam capistro, facies ad figuram naturalem reducatur. Medicamenta *antiparalytica* &

an-

Curatio. *antispasmodica* sunt usurpanda. „ Pro homine
„ quodam octogenario sequens linimentum præ-
„ scripsi, non neglectis interim appropriatis in-
„ ternis quorum nunc oblitus sum; & præter
„ spem omnem curatus est. ℞. *sapon. venet.* ℥ij.
„ *camphor.* ℈ij. *ol. mac. per express. aq. regin. Hungar.*
„ *ana* ℥ß. *sp. sal. armoniac.* gr. xxx. *ol. junip.* gr. xl.
„ *ol. castor.* ℥ß. *misce.* „

Cœlii Aureliani sententia.

Aureliani descriptio. *Art.* 895. Interdum buccas adducit in posteriorem partem tanquam ridentibus; nunc palpebras, & nares, collum etiam, atque humeros rapit, & ita patientes facit commoveri tanquam onus humeris bajulantes transferendi ponderis causa (sed hæc species videtur esse *emprosthotonus*.)

Aliunde.

Curatio. *Art.* 896. „ In hujusmodi spasmis particulari-
„ bus post *evacuationes* (si indicentur) factas, ex-
„ hibenda sunt remedia *antiscorbutica*, & *anti-*
„ *spasmodica*: Inter hæc eminent expressiones
„ *millepedum*, *castoreum*, *elixir pæoniæ* & deco-
„ ctum *guaiaci*, & ultimo ad *topica* devenien-
„ dum est; pars affecta, in artuum *contracturis*,
„ si fieri possit, in *intima bovis* aut *vervecis* re-
„ cens cæsi immittatur, & ibi tamdiu detinea-
„ tur, quamdiu animal calet; commendantur
„ balnea præcipue *sulphurea*, & *balsamum galba-*
„ *ni terebinthinat.* a Sennerto.

Ettmulleri sententia.

Convulsio tonica. *Art.* 897. Convulsio *tonica* est convulsio proprie dicta, viz. quando pars convulsa rigida manet,

ac

ac metus est, ne omnino contracta permaneat. In *India orientali* epidemicum malum est varii generis convulsio, de quo eleganter scribit *Bontius*.

Art. 898. Inter universalia *clysmata* sunt valde proficua; remedia interna sunt: *carminativa, cephalica, antiepileptica*, in pertinaciori malo decoctum *e lignis*. Externe *linimenta spirituosa & penetrantia*, speciatim *lumbrici vivi* applicati, *ol. & sp. lumbricorum camphorat. ol. succin. cum petrol. galbanetum Paracelsi cum ol. euphorb. ol. terebinth.* *Curatio.*

Aliunde.

Art. 899. Spasmi sive motus convulsivi sunt contractiones musculorum non constantes, sed cum interjecta aliqua quiete alternatim cessantes & celeriter redeuntes ab involuntario & irregulari spirituum animalium influxu. Tales cernuntur in *epilepsia*, in *passionibus hystericis & hypochondriacis*, aliquando in *scorbuto*, in *febribus malignis* male judicatis, in *capitis vulneribus & contusionibus gravioribus*, &c. sed hi affectus seorsim tractantur. Motus convulsivi sive spasmi ab ataxia spirituum a summitatibus vel originibus nervorum inordinate descendentium oriuntur. *Tensio convulsiva* solidarum partium est una ex primariis caussis, quæ *æquilibrium* destruunt inter solidas & fluidas. Jour. de Scav. *Spasmi sive motus convulsivi.*

Art. 900. Lethalis evadit convulsio ex eo solum, quod suffocationem inducat convulsis musculis respirationi dicatis. *Unde lethales.*

Farrago sententiarum.

Art. 901. In acutis morbis, maxime circa finem, convulsiones sunt lethales: ut in phreniti- *Prognosis.*

de

de &c. Ab iis magis periclitantur pueri quam adulti. Si mulier ex abortu convellatur, raro evadit, nisi vapores sint in causa *Aretæus*. Narcotica convulsiones a doloribus, & vigilia productas sedant; sed si convulsio cum somnolentia, & epilepsia conjungatur periculum augent.

Remedia quædam. *Art.* 902. In curatione convulsionis generalia remedia, primo tum specifica usurpanda sunt. Et si pulsus bonus appareat, nihil magis phlebotomia juvat. In habitu vero corporis pituitoso pulvere cornachino alvum purgato *Baglivus*.

Art. 903. Convulsiones formam sæpe mutantur, & diversorum morborum speciem simulant, nam & tussim, & colicam, & asthma, & vomitum, & Ileon, & tympanitidem, & cardialgiam, & nephritidem faciunt. In iis omnibus morbis ab hac causa productis *Laudano* fœliciter obviam itur.

SINGULTUS.

Tralliani sententia.

Singultus. *Art.* 904. Singultus est motus diaphragmatis convulsivus. *Sternutatio* singultui superveniens illum solvit, quoniam est motus spasmodicus ei contrarius. Interdum est malum diuturnum per plures dies, menses, annos, affligens; aliquando penitus incurabilis, in quo casu occultum quoddam conformationis vitium, os ventriculi aut diaphragma, aut nervos afficiens, fere subesse solet.

Cura. *Art.* 905. Quoad curam (est morbus *primarius* vel *secundarius*, si *posterior* habenda est ratio morbi a quo pendet, in genere *antispasmodica* & *stomachica* sunt adhibenda) *Laudanum* cum *cardiacis*, *zinzib. condit. stomachica*, *carminativa*, præ-

præmisso *vomitorio*, vel *purgatione cum calomel.* &c. Externe cataplasma ad singultum Mynsicht, quod componitur *ex fermento acri cum pulv. ment. & aliis aromat. cum ol. castor.* &c. malaxat. Quidam cum spongia aut pane calido applicant ventriculo fotum humidum factum *ex aceto cum castoreo, pipere & sinapi cocto*. Interne pelliculæ internæ *ventriculi gallinæ* exsiccatæ & pulverisatæ. Ubi pertinacior perdurat (in morbo *primario*) ad septimanas aliquot in corpore robusto semper provocandus est *vomitus*.

Art. 906. Virgo hoc morbo laborans per longum tempus post permulta remedia incassum tentata, solo *spiritu æruginis* ab empirico exhibito curata fuit. *Bonetus*. *Spiritus æruginis.*

Art. 907. Eruditus medicus usum remediorum sequentium probe calleat, *aurum Mosaicum, cataplasm. stomach. fotus spirituosus, fotus stomachicus*. Et præ reliquis *julap. muscatum*, quo nondum hactenus novi præstantius remedium (inquit *Fuller.*) aliquando enim divinitus succurrit, & singultum superat. Hanc veritatem testatur praxis nostra. *Diascordium* larga dosi ad ℥ij. in febribus, *Sydenham*. (imo ad ℥iij. dari potest.) *Remedia varia.*

Art. 908. Si causæ singultus fuerint viscosæ, & crassæ, cum hic affectus sit stomachicus, acetum juvat, præcipue, quod vocatur scilliticum, item oxymel, quod ex eo comparatur; item vomitum ciere. Singultientibus ex hac causa decoctum spicæ nardi, & rutæ auxiliatur, tum etiam mulsa. Usus autem sum, præter hæc etiam extrinsecus in stomacho: castoreo, styrace, & mastiche, oleo ipsa incoquens, & stomachum vehementer ex eo fovens. Porro castoreum, & potum, & olfactum in his probe opitulatur, *Remedia singultus ex visciditate.*

item nardus gallica, asarum, spica nardi, anisum, cuminum, & ligusticum.

Ex acredine. *Art.* 909. Quodsi recrementa rodentia, & corrupta fuerint in causa, temperata aqua utendum est, & pane ea imbuto, ptisanaque copiosa, pisciculo, qui aceti paululum habeat, & pullis columbarum; hujusmodi vero singultientes purgandi non sunt.

Ex inanitione. *Art.* 910. Sin autem ob evacuationem aut febrim singultus accedat, talis merito quidem periculosus est, quare utendum aqua creberrima, unctione, & omnibus, quæ evacuatis adhibentur. At in inflammatione, ea quæ actu frigida sunt vitari debent, sed continue tepida usurpanda, paulatim ea sorbendo.

Nota bene. *Art.* 911. At si multis atque multis tentatis æger nihil levetur, festucam, aut lapillum, aut fimum ex terra sublatum singultientis capiti, ipso ignorante, imponito ac statim singultus desinet. In Cyrene hoc quoque didici. Singultiens contineat manu sinistra calculos suffragiorum 40. & capiti superimponat, ac statim singultire desinet. Castoreum alligatum cito singultum finit. Cuminum quoque panniculo lineo inditum brachiali sinistræ manus alligato, hoc Æthiopes ad austrum habitantes facere dictitant. Nonnulli vero panis fracti micam auri singultientis tacite imponunt, & fragmentum olfaciunt, liberanturque, alii vero rutam ex vino, aut mulsa coctam potui præbent, alii apium, aut castoreum &c. Eximie facit etiam gargarizatio, & aurium, orisque detentio. Non autem oportet pleraque contemnere &c.

Farrago sententiarum.

Prognosis. *Art.* 912. Singultus in dysenteria lethalis; tum etiam in hæmorrhagiis, malus item ex hypercatharsi. In ileo, in hepatis inflammatione,

in

in Colica, tum in omnibus inflammationibus, & gangrænis perniciosus est.

Art. 913. Curatur phlebotomia, & purgantibus sæpe repetitis, maxime vero potu lactis vacini, nec non ol. amygdal. dulc. julapiis, emulsionibus, aliisque hujusmodi. Narcotica quoque conveniunt, & vomitus excitari potest, vino emetico cum infusione fol. sennæ propinato. Hæc autem cuncta remedia habita ratione circumstantiarum, & ex cognitione causæ singultum facientis cum prudentia, & grano salis adhiberi debent. *Curatio.*

Art. 914. Sternutationem singultum tollere docuit Hippocrates, quod etiam occurrit in Platonis dialogis, sed hoc semper verum non est, maxime si a ventriculi repletione aut ab irritante humore affectio hæc producatur. *Nota bene.*

STERNUTATIO.

Art. 915. Sternutatio est motus convulsivus musculorum expirationi inservientium & diaphragmatis; nobis invitis accidit plerumque ex acrimonia humoris e glandulis narium sponte erumpente; vel ptarmicis excitatur; immo aliquando ab aere frigido vel radiis solaribus. *Sternutatio.*

Art. 916. Sternutatio nimia est morbus de genere *convulsivorum*; ideoque in genere eamdem curam postulat; *lenientia* & *mucilaginosa* naribus attrahenda sunt; eamdem fere curam admittit, ac singultus. *Cura.*

Art. 917. Ad inhibendam sternutationem a lymphæ acris defluxu productam commendatur compressio anguli majoris oculorum prope nasum digitis facta, dum altera manu simul nares clauduntur, ut lympha inde effluens non per nasum, sed per oculos egrediatur. Hoc enim

creditur, sternutationem protinus sistere. Juvat etiam si naribus lac calidum, vel ol. amygdal. dulc. attrahatur. Si vero magna insistentia, & importunitate sternutatio perennet corpus hydragogis purgandum est, vel etiam pyrethr. rad. pip. euphorb. aliisque salivatoriis masticando lymphæ copia irritantis alio est divertenda.

EPILEPSIA.

Ettmulleri sententia.

Epilepsia. *Art. 918.* Paroxysmi epileptici sunt motus convulsivi, in quibus universum corpus, aut plura membra diversimode contrahuntur, vibrantur, aut agitantur. Tres sunt gradus hujus affectus; *Tres sunt gradus.* primus parum differt a tertio gradu *vertiginis*. In secundo gradu adsunt agitationes & gesticulationes variæ, sensibus externis ac internis perstantibus, aut in delirium abreptis, saltant, canunt, rident, flent, ridicula narrant, vociferant, pectora percutiunt, post paroxysmum interdum omnium recordantur, interdum nihil sciunt. In tertio gradu omnis tam sensus, quam rationis usus perit, ad humum prosternuntur, dentibus strident, corpus insigniter attollunt, spuma per os ejicitur, labia & linguam mordent, &c. quibus remittentibus ægri tanquam sopore oppressi jacent, ad se redeuntes nihil horum sciunt, tantum de torpore, & gravedine quadam capitis, & artuum lassitudine conqueruntur; qui secundo gradu laborant, vulgo *pro obsessis a dæmone* habentur.

Art. 919. Imprimis *lunæ motibus* auscultat epi- *Prognosis.* lepsia, maxime ea, quæ est *per essentiam*. Epilepsia *habitualis* interdum sine periculo vitæ ad plures annos durat, utut sæpius recurrens ægros

plus

plus minus paralyticos, delirantes, aut stupidos reddat. In junioribus aliquando circa pubertatem terminatur; post 25um annum superveniens fere usque ad mortem durat, *teste Hippocrate*, sed hoc non est omnino verum. In junioribus spes est circa pubertatis tempus.

Art. 920. Cura inchoanda est cum *vomitorio*; *Curatio.* maxime si morbus sit *per consensum*, *mercurius dulcis* permiscendus est cum *purgantibus*, quæ etiam debent esse mitiora; laudantur *absorbentia*, *martialia*, *acidulæ*, *decoct. e lignis*, *fonticuli*; si *venæsectio* celebretur, fit in talo. Inter specifica *antiepileptica* numerantur sequentia; *Radix pæon. mar. flor. lilior. conval. tiliæ*; *sem. rutæ*, *viscus quercinus*, *vel potius corylinus*, *lignum buxi*, *sp. ceras. nigr. aq. epileptic. Langii sp. sang. human. secundin. human. cranium humanum*, *dens hippopotami*, *castoreum*, *stercus pavonis*, *camphora*, *sal. & ol. succini*.

Art. 921. Ad excitandum ægrum e paroxysmo *Quid* inflетur *fumus nicotianæ* (vel *avium pennarum*) *agendum* in fauces; suffitus *succini* etiam multum con- *a paro-* fert; conveniunt *ligaturæ* communicationem spas- *xysmo.* modicam inhibentes, si, scilicet, *ab extremitatibus convulsiones inchoentur*.

Ballonii sententia.

Art. 922. Epilepsiæ in genere tres sunt differentiæ: Prima per propriam cerebri affectionem: secunda per consensum ventriculi: tertia ob partem peculiariter affectam, a qua aliquid manat, convulsionem epilepticam producturum. Magni refert ad morbi curationem, quænam sit species, & quænam idea, & sedes primum affecta, ne quod parti alteri decet, consulatur. *Epilepsiæ*

Art. 923. Quæcumque affectio comitialis post *species.*

25. annum prehendit cum ægris consenescit ex Hipp. Hæreditaria item, & gentilitia incurabilis. Quibus morbi comitiales fiunt, in pubertate mutationem accipiunt Hipp. sed juvenes prehendi Epilepsia non placet Galeno, nisi ex diætæ vitio, quia pravo utuntur cibo, & multa intempestive faciunt. Mulieres vero utero gerentes non ita facile epilepticæ concidunt, ac quum utero non gerunt. Quartana epilepsiam fugat. Quando autem dicimus epilepsiæ vindicem esse quartanam hoc audiendum est, quoniam excrementitium humorem absumit diuturnitate temporis, sed suum humorem deteriorem facit accusando putredinem.

Ingeniosi ea subjiciuntur. *Art.* 924. Ingeniosi, ceu quibus ingenii acuties est, ob cerebri substantiam subtilem ac delicatam in epilepsiam propendunt. Carolus V. Imperat. Mahumetius, & Cæsar iis affectibus obnoxii fuerunt. Et quibus ingenii vis acutior delicatiorque, ii si quid contentius agant, præsertim in coitione hominum, & frequentia, ut si quid edisserere velint, paroxysmo epileptico capiuntur, unde quidam putarunt non eo epilepsiam comitialem morbum dici, quod dimitterentur comitia, si quis in iis epilepsia prehenderetur: sed quum alias, tum maxime paroxysmum epilepticum homines adhoriri, quum in hominum corona, cum contentione aliqua animi agere instituunt.

Nota bene. *Art.* 925. Quamvis Hipp. in Coac. pronunciaverit epilepsiam hydropi supervenientem desperatam esse, vidi tamen piscatorem convaluisse. Lib. de Febrib. Galenus ait: creari in vesica pueris lapidem, sed eam affectionem non ita esse pueris familiarem ut est epilepsia; nunc vero contra observatur.

Art. 926. Epilepsia morbus acutus est, & chroni-

nicus. Acutus ratione paroxysmi maxime si æger numquam antea adortus est, unde observat Hipp. senes maxime epilepsia perire, si numquam correpti fuerint; Chronicus vero, quia sæpe redux est.

Art. 927. Princeps Avicennas explicans illud quod scripsit Galenus in arte parva, habitudo corporis est in iis partibus, quæ oculis subjiciuntur, vult quosdam esse proprios ipsius habitus morbos. Quando a pede aut inanitate sub cute dolores implacabiles excitans aura venenata ad caput surgit, id nec a visceribus nec ab interno est corpore. Unde male epileptici curantur habita tantum ratione interni corporis, potius habitui providendum est. Idem in arthritide. Magni equidem interest ad remedia usurpanda, si ab utero, si a præcordiis, si ab habitu ipso & cruribus, tibiis, aut pedibus malum est repetendum. *Epilepsia ut plurimum est prava corporis habitudo.*

Art. 928. Laxetur alvus, & clysterum frequens usus ineatur. Sanguis vere & autumno, maxime si sanguis peccet, detrahatur. Item catharsis autumno blandior sed frequentior sit. Ventriculo robur concilietur, & par studium esto in cerebro roborando, sed vitentur quæ sanguinem, & spiritus inflammant. Animi impetus reprimendi, utpote a quibus malum provocatur. Pyrotica tibiis. Ungulæ alcis usus ad insultus epilepticos apprime conferens, gestanda quoque. Aquarum naturalium usus quales Nivernenses, & Spadanæ. Quibusdam sequens remedium placet. Antim. ℥. sem. accipitur, maceraturque in vini albi optimi lib. ij. Paroxysmi tempore cochlear unum istius vini in os infunditur. *Curatio.*

Vuillisii sententia.

Paroxysmi descriptio. *Art.* 929. Insultus epilepticus universalis ac immanior tantum *convulsio* esse videtur; cujus accessio ut plurimum ex improviso aggreditur, ægrosque nihil tale cogitantes opprimit; atque ictu oculi citius, sensu, & intellectu orbos, in terram præcipitat; quippe non tam cadunt, quam cum impetu quodam prosternuntur; prostratis supervenit stridor dentium cum spuma oris, sæpe etiam capitis concussio; brachia & crura, necnon cervix & dorsum, aut statim rigida fiunt, aut variis flexionibus distorquentur; plerisque præcordia & hypocondria & venter intumescunt; post aliquod tempus ad se redeunt, superstite dolore capitis & hebetudine.

Curatio. *Art.* 930. Est morbus curationis difficillimæ; aliquando tamen medicamentorum ope profligatur, aliquando sua sponte terminatur, viz. circa pubertatis tempus, aliter in mortem desinit, vel in alium morbum commutatur, scilicet, *paralysin*, *stupiditatem*, aut *melancholiam* (incurabilia.) *Alphonsus Ferrius* plurimos epilepticos simplici *guaiac.* decocto bis in die ad ℥vj. vel iij. præscripto, ejusque decocto secundario vice potus ordinarii (prout in *lue venerea* assolet) assumpto se curasse affirmat: si tali decocto *radix pæon.* *aliaque specifica* addita fuerint, forsan efficacius esset remedium.

Chesneavii sententia.

Nota bene. *Art.* 931. Quod palpitatio est cordi, talis omnino est epilepsia cerebro; nam cum in eosdem usus babeat utrumque principium suam *systolem & diastolem*, harum ratione, ambo ab iisdem

causis, simili symptomate affici par est. Ideo epilepsia, sive tanquam morbus sive tanquam symptoma spectetur, dicenda est cerebri, aut alterius cujusque partis alteratio, quæ apta nata sit gignendæ materiæ, ichoris, aut vaporis simili, qualitatibus cerebro proprietate specifica infensis, cujus occursu totum concutitur motu *palpitationis* simili cum læsione functionum, nervosa in consensum trahens, quæ suo modo etiam *palpitant* (quemadmodum *arteriæ palpitante corde*) quousque cerebrum noxia excusserit.

Art. 932. Non possum probare, quod omnes fere consulunt, *membra scilicet coercenda esse tempore paroxysmi*, existimantes ex illa convulsivi motus cohibitione levari musculos; sed tantum abest: cum enim cohibitio hæc sit violenta, impediatque musculi contractionem ad terminum suum pervenire: quo longius est ab illo, eo major fit fibrarum musculi contentio. *Coertio membrorum.*

Barbettii sententia.

Art. 933. Si epilepsia oriatur ex cerebri *idiopathia*, semper adest gravitas, & atrox dolor capitis, item sensuum debilitas, stupor, faciei pallor, & insomnia turbulenta; si ex *sympathia* ventriculi, ii in præcordiis & circa orificium ventriculi dolorem, corrosionem vel distentionem sentiunt, præsertim jejuni, & difficillime inediam tolerant; paroxysmum semper antecedunt nausea dolor, & palpitatio cordis, animique deliquium; solvitur autem paroxysmus cum vomitu biliosorum, aut pituitosorum, acidorumve humorum: Si ex *utero*, circa lumbos, & pubem dolores, & simul capitis acerbi cruciatus percipiuntur. *Ratio habenda est causa, unde oritur.*

Art. 934. In hoc morbo curando omnibus fere *Curatio.*

an-

antecellunt *flores salis armoniaci* & *ejusdem spiritus*, qui est valde volatilis & penetrantissimus, item prodest *cinnab. nativ.* præmissis universalibus. Haustus sequens bis in die exhibitus puellam ab hoc malo liberavit; ℞. *Sapon. Hispan. albiss.* ʒß. *coque ex lact. vaccin.* ℥iij. bibatur tepide.

Pitcarnii sententia.

Pitcarnii tinctura. *Art.* 935. In epilepsia vel paralysi post *vomitum* repetitum, & *vesicantia* detur tinctura antiepileptica sequens (junioribus vero exhiberi debet *mercurius* & jusculum cum *lumbricis terrestribus*) ℞. *Rad. valerian. sylv. dictamn. alb. ana* ʒvj. *castor. sterc. columb. ana* ℥ß. *visc. quercin.* ʒvj. *cinnam. sum. rorismarin. ana* ℥ß. *fol. sen.* ℥ij. *jalap. turpeth. ana* ℥ß. Infunde frigide per dies x. in vin. alb. Gallic. ℔viij. colaturæ add. *pulv. cran. humani ungul. alcis ana* ʒij. *sacchar.* ℥iv. *cui immisce rite ol. succin.* ℈iv. & *spir. castor.* ʒij. *dos.* ℥iv. Expedit hanc tincturam *purgantibus* orbam exhibere in *paralyticis* declinante morbo; expedit etiam ægros, post membra affecta ad ignem liberaliter & strenue perfricta, *aquis frigidis* immergere.

Harrisii sententia.

Pulvis specificus. *Art.* 936. ℞. *Lumbric. terrest. præparat.* ℥j. *cran. human. præparat.* ʒij. *cardamom. min.* ℈ij. m. f. pulv. in chart. xij. distribuend. Sumebat epileptica unam bis in die in coch. julap. cephalic. sequent. superbibebatque ejusdem coch. iij. ℞. *Aq. ceras. nigror. flor. tiliæ ana* ℔ß. *pæon. comp.* ℥ij. *tinctur. castor.* ʒij. *syr. pæon. comp.* ℥ij. m. f. julap. sed quia tantam pulveris nauseabundi quantitatem ventriculus fastidiebat, paulo post sing. doses *elix. propriet.*

dulc.

dulc. gutt. xxx. sacchar. tantillo instillat. insuper mox deglutiebat: atque hac methodo curata est puella epileptica, postquam plurima alia incassum tentatvit.

Farrago sententiarum.

Art. 937. Spuma circa os, & involuntarius seminis, urinæ, & excrementorum alvi exitus, non sunt Epilepsiæ signa necessaria, sed tantum vehementis morbi, propterea dicebat *Rhazes*, quodsi spuma superveniat, & semen, aut urina, aut alvi excrementa egerantur, tunc passionem esse graviorem. Saliva enim spumosa etiam in aliis affectibus, ubi nervi pneumonici, aut contrahuntur, aut a functione sua obeunda inhibentur, non raro succedit. *Signa equivoca.*

Art. 938. Infantes quibus crustæ scabiosæ in capite superveniunt morbis Epilepticis raro corripiuntur. Epilepticos fieri Melancholicos, & vicissim asseruit Hippocrates. Si in hoc morbo mens læsa est, & nervorum facta resolutio, Medicinæ locus nullus adest. Utile item est observare num semper, eo tempore quo infans corripitur Epiplesia, matri luant, menses nec ne: Nam hic morbus cum alias sit difficilis, tum hoc ipso mirabilis prorsus medentibus visus est, quod nova in primis, plenaque Luna soleat recurrere. Regit, inquit *Galenus*, Luna in Epilepticis periodos. *Prognosis.*

Art. 939. Vidit *Thom. Bartholinus* puellam Epilepticam habentem in facie maculas, quæ pro varia Lunæ Phasi tam colore, quam magnitudine variæ erant. Tantum, ait ille, corporibus nostris cum cœlo commercium; sed videnda sunt quæ de Imperio Solis, & Lunæ edidit *Mead.* *Casus.*

Art.

Aliæ Prognoses. *Art.* 940. A decimo quarto ætatis anno usque ad vigesimum aut vigesimum quintum non nisi duos Epilepticos sanitati restitutos fuisse, ab eo tempore, quo praxin exercuit, observavit *Hildanus*. Epilepsia quæ infantes ultra sextam hebdomadam corripit, lethalis est: alio vero tempore periculosa, quæ Virgines ante pubertatem adhoritur, menstruis erumpentibus ut plurimum desinit. Incurabilis est quæ noctu cum tremoribus adhoritur: ita etiam, quæ subinde in Maniam abit, ait *Avicenus*. In juvenibus eadem sponte sua desinit ex ætatis, loci & regiminis mutatione, ait *Hippocrates*; quare non raro, qui ab ea exercentur septimo mense, septimo anno; & post decimum quartum nullis etiam adhibitis remediis convalescunt. Hic morbus alias longus esse solet, & a vigesimo quinto ætatis anno usque in diem hominis supremum perseverat; neque vitæ periculosus est; tametsi interdum, cum recens est, crebris, gravioribusque accessionibus hominem tollat. Illud etiam non perperam animadvertendum est, prægnanti fœminæ si morbus accessit, hunc, facto partu, solvi: & si quid inde vitii fœtus traxit, id magna ex parte conquiescere, ubi editus in lucem infans protinus evomuerit, multumque ejiecerit aquosi excrementi: sin minus manere morbum.

Indicationes & curatio. *Art.* 941. In curandis Epilepticis habendus est respectus causæ morbum producentis, & si purgandus est æger, id debito intervallo ab accessionibus faciendum: ne ex irritatione remediorum paroxysmi augeantur. Genericæ tamen indicationes sunt 1°. ut corrupta corporis fermenta evacuentur: 2°. ut quæ evacuari nequeunt corrigantur, 3°. ut contrahantur aut laxentur solida nimis laxa aut tensa, quousque ad naturalem tonum restituantur. Ut vero congrua

reme-

remedia hiis indicationibus satisfacientia sceligantur, adeundi Scriptores, qui ex professo de hoc morbo egere. Interea irritum non erit observare, quod in contumacioribus Epilepsiis Vomitoria etiam repetita non sunt negligenda, sine quibus nullam Epilepsiam curari *VVedelius* testatur. Cavendum ne cinnabarinis salia cum primis fixa misceantur, ne mixtura Mercurio sublimato similis hinc emergat, & convulsiones augeat, & quia spirit. sal. armoniac. lac infantum in ventriculo coagulat, in eorum Epilepsia tractanda ab ejus usu caveto. *Nota bene.*

Art. 942. Epilepticus, remediis aliis minus proficientibus, *super mare naviget ad nauseam, & vomitum excitandum*, idque aliquoties repetat: & deinde deambulet, horis tribus, quatuorve quotidie, per integram septimanam, vel diutius, in *sulco immediate post aratum humum, versans in agello annis aliquot feriato*. Dicet aliquis authorem pro certo insomniis ludificari; quanquam hoc credat, experiri licet, nec fortasse facti pœniteat.

Art. 943. Ultra omnia, ad morbum caducum curandum, & penitus eradicandum valet *diata lactea* ab aliis quibuscunque obsoniis, & potulentis omnino abstinendo; ut ex insigni historia *Medici, Noviomagi* non multò pridem degentis, isto modo curati docemur. Vid. *Cheynei* Tractat. de Arthritide, p. 103. &c.

Art. 944. Causa proxima omnis Epilepsiæ exquisitæ semper est nimia cerebri in nervos motorios, nulla in sentientes actio. *Boerhaave*. *Melancholici* fiunt aliquando Epileptici & contra. Epilepsia (inquit *Hippocrates*) *pituitosis* quidem contingit, minime vero *biliosis*. *Crato cinnabarim nativam* tanquam Epilepsiæ *magnetem* commendat, hoc modo exhibitam; ♃. Cin- *Remedia varia.*

nab.

nab. nativ. opt. subtilissime trit. ℥ß. *coral. rub. præparat. margar. præpar. ana* ℈ij. *croc. opt.* ℈j. *fol. auri* N. xv. f. pulv. subtilissimus, dos. ℈j. cum julap. cephalic. *Succus rutæ* multum laudatur ad epilepsiam: ideoque ejusdem *extractum* iisdem pollet viribus, & commodius sumi potest. Electuarium Peruvianum Epilepticum *Fulleri* est præstantissimum, & certissimum Anti-epilept., uti experientia me docuit (inquit *Fuller.*) Post debitas *evacuationes* adultis dosis sit ʒj. mane, & vesperis per 3. vel 4. menses, & postea per triduum vel quatriduum ante *novilunium & plenilunium*, *morbos Epilepticos*, *hystericos*, *& choream Sancti Viti penitus eradicat*. In morbis hujusmodi convulsivis ægrotis *prædictum electuarium* frequenter exhibui & (libenter agnosco) raro frustata fuit spes mea. Eximiæ vires *radicis valerianæ sylvestris* a Fabio Columna prædicatæ, & a Riverio memoratæ, experientia M. Marchant denuo confirmatæ sunt. Memoir. de l'Acad. Vol. x. p. 430. Cortex *Peruvianus* (inquit *Colebatch.* in Dissertatione de Visco) non certius febri intermittenti, quam *viscus arboreus* Epilepsiæ, choreæ Sancti Viti, & morbis universis convulsivis, etiam asthmati convulsivo (& si huic, tussi convulsiæ) medetur. Dosis in substantia adultis ad ʒß. vel ultra forma boli sexta quaque hora superbibendo haust. infus. fortis ejusdem plantæ. Si singulis unciis pulveris visci addatur drachma *asæ fœtidæ*, medicamentum efficacius evadet. „ Operæ pretium esset procul „ dubio, vires *humoris mucilaginosi baccarum* in „ his affectibus tentare: Valde enim probabile „ est vim eandem, si non superiorem eo ines„ se; & forsan esset medicamentum minus nau„ seabundum. " Præter jamdicta medicamenta, sequentia etiam quandoque præscribentis intentioni

Alia medicamenta.

Viscus arboreus.

tioni quadrare possunt, viz. *aurum fulminans*; *aurum Mosaic. pulvis ad guttetam*; *sp. C.C. succinat. Elect. cephalic. elect. epileptic. tinctur. epileptic. & infusum cephalic. Fulleri. Elect. epileptic. & emulsio paeon. Batean.* &c.

CHOREA SANCTI VITI.

Art. 945. Chorea sancti Viti a Germaniæ loco, *S. VVeit* dicto, ubi sacellum sancto Vito dicatum adest, nomen accipit, quo loco verno tempore juvenes utriusque sexus saltandi gratia convenire solebant, & saltare more enthusiastico; atque ibidem interdum hoc morbo correpti erant. *Chorea S. Viti.*

Sydenhami sententia.

Art. 946. Chorea sancti Viti est *convulsionis* quædam species; pueros puellasve a decimo ætatis anno ad pubertatem invadens, prodit se claudicatione, vel instabilitate alterutrius cruris, quod æger post se trahit fatuorum more; manum ejusdem lateris, vel pectori vel aliæ alicui parti applicatam nequit continere in eodem situ horæ momento, sed in alium situm, & locum convulsione distorquebitur, quicquid æger contra nitatur. Antequam poculum ad os possit adducere, mille gesticulationes, circulatorum instar, exhibebit: non enim recta linea ori admovet, sed deducta a spasmo manu, huc illuc aliquamdiu versat, donec tandem sorte fortuna labris propius apponens liquorem de repente in os injicit, & valide haurit; dedita tanquam opera, ut spectantibus risum moveret. *Ejusdem descriptio.*

Art. 947. Ad curam rite instituendam *vena est secanda*, & postridie exhibe *potionem purgativam* *Cura.*

vam communem, & vesperi *haust. paregoric.* postea sanguis iterum extrahatur, & ad *catharsin*, uti prius, æger revertatur, & ad tertiam, quartamve vicem, si vires ferant: diebus purgatione vacuis sequentia exhibeantur; ℞. *Conserv. absynth. Rom. flaved. aurant. ana* ℥j. *anthos* ℥ß. *theriach. Androm. vet. nuc. moscat. condit. ana* ʒiij. *zinzib. condit.* ʒj. *syr. e succo citr. q. s.* f. elect. de quo capiat quant. N.M. mane & hora 5. pomerid. superbibendo vin. sequent. coch. v. ℞. *rad. pæon. enul. campan. imperator. angelic. ana* ʒj. *fol. rut. salv. beton. chamædr. marrhub. alb. summit. centaur. min. ana m.* j. *bacc. junip.* ʒvj. *cort. aurant.* ij. infunde frigide in vin. canarin. ℔vj. coletur usus tempore. ℞. *Aq. rut.* ℥iv. *epileptic. Langii, brion. comp. ana* ℥j. *syr. pæon.* ʒvj. m. f. julap. cap. coch. iv. sing. nocte hora decubitus instillando *spiritus C.C.* gr. viij. applicetur plantis pedum emplast. e *caranna*.

Ad recidivam cavendam. *Art.* 948. Ob recidivæ metum pertundenda est vena, & purgandus æger aliquoties ea ipsa anni sequentis tempestate (vel paulo ante) qua morbus invasit.

Curatio singularis. *Art.* 949. „ Ipse vidi puellas duas hoc morbo „ affectas diutius saltitantes, tanquam lyra agi„ tatas, cum mentis quadam alienatione pro „ tempore; has curavi cum *expressione millepe„ dum, & cortice Peruviano*, præmissis *venæse„ ctione, & leni cathartico*. Exemplum hujus af„ fectus singulare habet *Solenander, consil. med. „ p.* 310. *Electuarium Peru. epileptic. Fuller.* vim „ habet egregiam ad hunc morbum domandum. „ Pater prædictarum puellaram, qui *clericus* e„ rat, filias suas *incantamentis, vel veneficarum „ malis artibus* revera affici persuasum habuit, „ nec ab ista opinione abduci potuit. Rem ve„ ro longe aliter se habere ex eventu luculen-

„ ter

„ ter patuit; antedicta enim remedia *obsessionem*
„ istam protinus comminuerunt, quæ *precibus*
„ *& lacrymis* respuerat obtemperare.

F A S C I N A T I O.

Art. 950. „ De Fascinatione in praxi mea nihil experientia didici, quodcunque & quotcunque de ea vulgo perhibentur, neque credo ullos morbos a veneficiis suscitari: ideoque de medicamentis, & curatione eorum sollicitum esse non est necessarium. In prodigiosis vero quibusdam morbis, symptomatum inusitatorum caterva stipatis, medicamenta *vermifuga*, item, illa quæ *epilepsiæ vel suffocationi uteri* medentur, vel *flatus discutientia*, utpote etiam quæ naturaliter repugnant dispositionibus illis in corpore, quibus diabolus ad præstigia sua abuti possit, (uti credunt Theologi) semper locum habent. *Fascinatio.* *Curatio.*

A N I M I M O R B I:

Art. 951. Qui laborant animi pathemate corripi potissimum solent morbis *ventriculi*, ut inter cæteros observare licet in mœrentibus, qui conqueruntur: primo de languore ventriculi, mox vero de *inappetentia*, oris amaritie, & siti circa horas matutinas, cruditatibus acidis & nidorosis, flatibus & tensionibus hypochondriorum, aliisque læsæ chyloseos malis. *Animi morbi.*

Art. 952. Si quis morbus durante animi passione ægrum corripuerit, solet interdum tamdiu durare quamdiu ipsa animi passio, & potius in alienæ speciei morbum mutabitur, quam ægrotantem liberum relinquat. *Morbus durante passione vix curabilis.*

Art. 953. Morbi ab animi pathemate pen- *Quomodo*

tractan-di sunt. dentes blande ac leniter tractandi sunt, a nimia remediorum copia, & vehementia quam maxime abstinendum.

Symptomata anomala ab animi passionibus. *Art.* 954. Quando morbus aliquis remediis debite præscriptis cedere nolit, insolitisque quibusdam modis, atque a sui natura valde remotis progreditur, suspicandum erit de *occultis animi passionibus*. Inter solatia ægrotorum animo laborantium magnam vim obtinet *musica* (inquit *Baglivus*.)

MANIA & MELANCHOLIA.

Mania & melancholia. *Art.* 955. „Mania cum melancholia talem habet affinitatem, ut non raro mania in melancholiam transeat, & initia melancholiæ frequenter maniacum quid habent, ut observavit *Dodonæus*; ideoque in eodem capite tractandi sunt hi duo affectus.

Cœlii Aureliani sententia.

Melancholiæ descriptio accurata. *Art.* 956. In melancholia adest animi anxietas atque difficultas, mœstitia cum silentio, & odio conviventium, nunc vivendi, nunc moriendi cupido cum suspicionibus velut insidiarum sibi paratarum; item inanes fletus, atque murmura vacua, & rursus hilaritas magis post cibum cum inflatione præcordiorum, capitis gravedo, color luridus cum nigrore; aut sublividus; corporis tenuitas, virium debilitas, indigestio cum ructationibus odoris tetri, intestinorum tormina, vomitus humorum diversicolorum, & similium per podicem egestio. „Qui „gravius laborant, sese vel pecudes esse vel te„staceos, vel etiam vita defunctos credunt; „quare alii gallinacei cantum voce imitantur,

„alii

„ alii occurrentibus cedunt, veriti ne (testacei „ cum sint) diffringantur, alii cibum pertina„ cissime recusant, amissam esse vitam rati.

Riverii sententia.

Art. 957. Melancholia est delirium sine febre, cum timore & mœstitia; & sic distinguitur a *mania*, quæ est cum furore & audacia. Ex varia melancholici humoris dispositione maxima deliriorum varietas emergit; unde alii putant se esse reges, vates, alii grana tritici, alii vitros, ceram, alii se esse canes, feles, gallos, &c. existimant, indeque voces horum animalium imitantur, &c. *Mania & melancholia quomodo distinguuntur.*

Art. 958. Varia sunt deliria in variis ægrotantibus pro majori vel minori causæ vehementia: alii enim feroci iracundia rapiuntur, & obvios quosque invadunt; & proprias vestes dilacerant, sibique ipsis interdum violentas manus inferunt. Alii vero mitiores, & pacatiores sunt, nullamque astantibus noxam inferunt, sed tantum varios sermones, & ridiculos proferunt; interdum canunt, & rident, & symptomata patiuntur, quæ in melancholia, & stultitia solent contingere. Melancholia errabunda *mense Februario* homines potissimum infestat; ægri ne horam in uno loco manere possunt, sed continuo vagantur, quo vadant nescientes. *Varia sunt deliria pro varietate constitutionis.*

Art. 959. „ Admirandam melancholiæ, vel „ maniæ speciem apud *Oribasium*, descriptam „ legimus, quam λυκανθρωπίαν vocat. Hujusmodi „ delirio affecti foras noctu vagantur, lupos quo„ dammodo æmulantes, aspectu pallidi, luri„ di, os oculosque valde sicci, crura contusio„ num ac vulnerum plena; circa defunctorum „ monumente ad instar *Dæmoniaci Evangelici*, *Lycanthropia.*

„ plerumque versantur. Vide *Freind*, *Histor.*
„ *Medic. p.* 18.

Difficile curatur. *Art.* 960. Humor melancholicus *flagellum*, *crux* aut *opprobrium* medicorum appellatur, quoniam vim remediorum eludit, solvitur interdum melancholia per fluxum *hæmorrhoidum* vel per *scabiem*; aliosve morbos *cutaneos*. Remedia *Quibus remediis tentanda est.* in affectus hypochondriaci curatione proposita hic locum habent; ℞. *Aq. nymph.* ℔j. *sal. prunel.* ℥j. *camphor.* ℈j. misce, & cum linteis complicatis admoveatur tepide sincipiti in maniacis; utilissimum quoque est *epithema ex sacchar. Saturn.* & *aq. spermat. ranarum.*

Vvillisii sententia.

Melancholici cogitabundi. *Art.* 961. Melancholici in cogitando fere continuo occupantur, & inter cogitandum res pauciores quam antea solebant, animo comprehendunt, ita quidem ut sæpe dies & noctes idem objectum animo volutent, de rebus aliis, quæ interdum sunt longe majoris momenti, nihil soliciti; & etiam objecta fere omnia iis desformia, & velut sub larva apparent.

Quomodo se habent maniaci. *Art.* 962. Hæc tria fere omnibus maniacis accidunt, viz. 1. eorum *phantasiæ*, sive *imaginationes* cogitationum impetuosarum æstu perpetuo occupantur, ita ut varia sibi obmurmurent, aut clamando & ejulando proferant. 2°. *Notiones* sive *conceptus*, aut incongrui sunt, aut sub specie falsa sive erronea repræsentantur. 3°. Illorum delirio *audacia* & *furor* adjunguntur, contra ac in *melancholicis*.

Curatio. *Art.* 963. Helleborus ab *Hippocrate* ita crebro præscribitur, quoniam tunc temporis alia *cathartica*, saltem in frequenti usu, vix innotuere; jam vero longe præstat *lenioribus* & *mitioribus*

bus humores subducere: *Emetica* sequentia sunt maxime utilia; ℞. *Sulph. antimon.* à *gr.* viij. *ad* x. *crem. tart.* ℈ß. m. ℞. *Mercur. vitæ gr.* vj. *vel* vij. *tartar. vitriolat.* ℈ß. m. ℞. *Extract. hellebor. nigr. calomel. ana* ℈j. *f. pil. cathapot.*

Ettmülleri sententia.

Art. 964. Affectus Melancholicus seu Melancholia differt a delirio Melancholico; prior est quando homo est nonnihil mœstus & morosus, facile subinde irascitur; ipsi nihil arridet; cogitabundus est; ubi vero taliter affectis supervenit *phantasma*, constituit *delirium Melancholicum*; in quo ægri sunt timidi, anxiosi, & quasi in angustiis constituti videntur; adeoque quæcunque vident vel audiunt, sibi pejora & periculosiora persuadent; & licet interdum rident, & læti videntur; quando putant se esse divites, &c. nihilominus non est revera hilaritas; non verum gaudium; sed potius apparens; & cum risu *Sardonico* conjunctum, transitorium, & facile succedit novus mœror, & præcordiorum anxietas, sine causa iterum rident; & parum aut nihil omnino dormiunt; sed cum terrore evigilant. *Differentia melancholiæ à delirio melancholico.*

Art. 965. Mores animi sequuntur temperamentum corporis. Fundamentum Melancholiæ semper circa hypochondria consistet, utut remotior causa interna subinde aliunde oriatur; in quo puncto lien, & uterus incusari solent. *Fundamentum melancholiæ.*

Art. 966. In Melancholicis imprimis *acidum vitiosum* in primis viis abundat; hinc frequenter sunt voraces. Expiscanda est mali origo, an ex tristitia, & animi affectibus; vel ex sanguine Melancholico, in priori casu *pulsus* est val- *Origo mali expiscanda est.*

de obſcurus, inæqualis & pene deficiens & vermicularis.

Curatio melancholiæ. *Art.* 967. In *vomitoriis* conſiſtit radix curæ Melancholiæ, & *antimonialia vomitoria* exhibenda ſunt in larga doſi. Melancholici & Maniaci odio ſuum habent medicum, etiam curati licet. Alvus ſervanda eſt lubrica cum *extracto hellebori & mercurio dulci*, quod eſt *alterativum* æque *ac laxativum*, ut etiam eſt *lapis lazuli*; in uſum revocanda ſunt remedia *antiſcorbutica*, *martiata*, *acidulæ*; *ſaccharum Saturni* ſpecificum habetur; *tinctura coral. confect. alkerm. ambra*, *fumaria*, *anagallis*; *hypericum*, *crocus*, *camphora*, *vinum generoſum*, &c. laudantur. Emplaſt. ex *tacamach.* capiti raſo applicetur. In delirio Melancholico *opium* nullum ſortitur effectum; licet dupla aut tripla doſi propinetur, ægri *agrypni* manent, & ferociores fere evadunt.

Mania definitio, &c. *Art.* 968. Mania ſive inſania eſt delirium ſine febre cum inſigni furore & audacia, exuta quaſi omni ratione; ægri pertinaciſſime vigilant, interdum per aliquot menſes. Tres circumſtantiæ ſunt maxime notandæ, nempe, *furor inſignis*, *robur ſtupendum*, & *frigoris tolerantia* plane mirabilis.

Curatio maniæ. *Art.* 969. Radix curationis conſiſtit in validis *vomitoriis* ſæpe repetitis, convenit etiam *venæſectio*, præ reliquis *radix helleberi albi* eſt *vomitorium* maxime proficuum, ſequenti modo præparata tuto propinari poteſt; ℞. *rad. hellebor. alb.* *a* ℨß. ad ℨj. coque in vino donec molleſcat, tunc abjiciatur vinum iſtud, & radix in vinum aliud injiciatur, & ita per noctem relinquatur in loco calido ſine coctione tamen, poſtea coletur expreſſione levi vel forti, prout magis vel minus validum poſtuletur, vires ſunt optimæ, nec

unquam

unquam satis laudatæ; *nitrum crudum* & omnia *nitrata* summe conveniunt, remedia pro cura *melancholiæ* hic quoque locum habent. Immersio subitanea in *aqua frigida* quandoque prodest.

Meadii sententia.

Art. 970. Quoad curam insaniæ seu Melancolici, vel Maniaci delirii illud ante omnia Medicum considerare oportet, quas exinanitiones ferre possit æger: siquidem omnibus fere modis demenda est materia, modo vires id sinant; sin illæ sint imbecilles, cibis idoneis, & medicamentis primum confirmandæ erunt, usque dum pati medicinam tuto possint. Nam haud raro evenit, ut nimium exhaustis humoribus, furori succedat insanabilis animi dejectio, & melancholia; qua oppressus æger in perpetuis anxietatibus, & mœstitia vitam transigit, heu! nimis ut plurimum longam. Diutissime enim magna ex parte vivunt insani. Modi autem præcipui, qui demendæ hujus morbi materiæ conveniunt, sunt sanguinis missio, vomitus, alvi purgationes, & urinæ fluxus. De hisce igitur singulis aliquid proponam. *Obsevāda pro curatione.*

Art. 971. Sanguis commodissime detrahitur, aut ex brachio, aut ex vena jugulari, interdum etiam per cucurbitulas occipitio inciso admotas, nimirum si quando capitis dolor urgeat, aut ultra exhauriri per venas sanguinem vires minime patiantur. *Phlebotomia.*

Art. 972. Vomitus optime excitatur vino Ipecacuahnæ in infirmioribus; in robustioribus vero tinctura veratri, aut vino antimoniali. *Vomitus.*

Art. 973. Alvi dejectiones moliri commodissimum *Catharsis.*

simum est helleboro nigro ; aut infuso sennæ adjuncta tinctura Jalapii ; aut denique aloe si forte mensium vel hæmorrhoidum suppressio præcesserit. Has omnes inanitiones per vomitum, & per alvum frequenter repetere ægrum oportet; ita ut per vices aliæ aliis interponantur. Neque illud addere alienum est, valentiora plerumque remedia requirere hunc morbum, cum nervi haud facile hic irritentur.

Diuretica. *Art.* 974. Majoris autem momenti est, quam vulgo existimatur, per renes depletio, præsertim cum furor conjunctum habet febrilem ardorem. Melancholicis enim parum prodest, quos ut plurimum nimis largum urinæ profluvium solicitat. Diuretica autem hic aptissima sunt salia ex lixiviis herbarum crematarum parata, & sal diureticus dictus ; quorum alterutrum per vices exhibere licebit, idque portione satis larga.

Vesicatoria. *Art.* 975. Cum illis, quæ morbum minuunt, adnumeranda forsan videbuntur Emplastra vesicatoria capiti admota ; quæ tamen nimia irritatione nocere potius, quam juvare sæpe deprehendi. Magis conveniet veterum more caput ad cutem tondere ; deinde aceto, in quo rosar. Flores, aut hederæ terrest. folia infusa sint, frequenter fovere, ac madefacere ; item setaceum, quod barbara voce chirurgi appellant, sub occipite ponere. Illud autem hoc modo efficitur.

Setaceū. *Art.* 976. Funiculus ex filis fat multis sericeis acus foramini inditur; dein, facta perforatione subter cutem transversus conjicitur, sic ut spatium duorum fere digitorum comprehendat ; tum per aliud, cuspide acus factum vulnusculum educitur. Illinendus autem est unguento aliquo digestivo, & quotidie movendus,

quo

quo ex ulcere pus exeat. Nihilominus tamen in longo morbo veſicatoria interdum proficiunt.

Art. 977. Dum hiſce modis noxii humores expelluntur, iis etiam remediis pugnandum eſt, quæ corpus immutant. Diæta tenuis eſſe debet, ex juſculis maxime farinæ avenæ, aut hordei; & cibis ex media materia. Alendum enim corpus eſt, ne vires deficiant, & detractionibus neceſſariis ferendis impares evadant. *Diæta.*

Art. 978. Medicamenta plurima apud auctores, cùm veteres tum recentiores, commendantur; quorum alia maniacis, alia melancholicis conveniunt: utraque autem eo collimant, ut bilem corrigant; quæ acris primum, deinde viſcida, & picis inſtar atra fit. Quin & ſanguinis ipſius habitus in hoc morbo craſſus eſt, & tenax, nigroque colore; unde inciſa cadavera cerebrum ſiccum, & tantum non friabile; ſanguiniſque canales atro, ac lento cruore diſtentos oſtendunt. Illud autem animadvertere ex uſu erit, pleraque quæ ad humorum vitium emendandum apta ſunt medicamina, vi aliqua exiliſſimos glandularum meatus aperiendi, & ſubtiliſſimos liquores e corpore propellendi pollere. Hujus generis ſunt gummi graveolentia, in primis aſa fœtida, myrrha, caſtoreum Ruſſicum, & camphora; quam vi etiam anodyna pollere, & certius tutiuſque quam ipſum opium, ſomnum arceſſere, nonnulli auctores experti affirmant. Melancholicis etiam convenientiſſima ſunt quæcumque ex ferro parata. Plurimum denique juvat, in furoribus præſertim, ægrum balneo frigido frequenter immergere. Capiti enim, ut monet *Celſus*, nihil æque prodeſt, atque aqua frigida. *Reſinæ & gummata deobſtruentia.*

Art. 979. Alia ratione maniaci alia melancho- *Regimen.*

cholici continendi sunt; illorum enim reprimi audacia debet, horum spes excitanda, erigendusque animus. Neque tamen illos, qui violentius se gerunt, asperioribus onerare coercitionibus, & verberibus multare, necesse est, cum satis sit vincire, meticulosi enim sunt, ut jam dixi, omnes, & cum per tempus aliquod superatos se senserint, manus facile dant in posterum, neque vel sibi, vel aliis vim inferre audent.

Difficilior res est cum iis, qui aut cum nimia tristitia, aut nimia hilaritate desipiunt; quorum animis, pro cujusque natura medicum se accommodare necesse est. Aliorum igitur risus intempestivus objurgatione, & minis prohibendus est; aliorum tristes cogitationes discutiendæ, ad quod symphoniæ, & ludi, quibus olim delectabantur, multum sæpe valent. Et musica quidem, quomodo corpus pariter ac animum afficiendo juvet, jam olim explicui. *Mechanical account of poisons Essay*: sive *Tractat. Mechan. de venenis*.

Imaginationes corrigendæ. *Art.* 980. Illud autem perpetuo servandum est, ut imaginibus, quæ diu ocuparunt, aliæ contrariæ menti adferantur, quo novis cogitationibus paulatim se assuescant; Ut enim in corpore, morbo, aut exercitiis fracto, imperanda est quies, & laboris intermissio, sic animum a vanis, quas accepit, speciebus omnibus modis abducere oportet. Id autem consequemur, si ad ea, quæ diversis motionibus exercent, convertamus. Idcirco in falsis timoribus, qui longum inhæserunt, veris periculis terrefacere, & pavorem incutere, nonnumquam prodest. Hi autem veri terrores falsorum istorum natura dissimiles esse debent, ut mentem diverso modo exagitent. Mens enim quiescere nescit, curis

vero,

vero, & ſolicitudine vacua eſſe poteſt, & mutatio idearum pro oblectamento, & ſtudiorum intermiſſione eſt habenda; pariter ac membrorum muſculi, uno aliquo labore fatigati, ad alias actiones converſi refocillantur.

Art. 981. Corporis exercitationes nunquam negligendæ ſunt. Ambulare, equo vehi, pila, globis, ludiſve ſimilibus uti; natare; quin & terra marique peregrinari, multum juvat: hiſce enim tum fabricæ univerſæ robur confirmatur, tum aſſidua rerum objectarum permutatione mens ad ſe rediens ſapere diſcit. *Exercitationes jubendæ.*

Art. 982. Anodyna medicamenta ad ſomnum arceſſendum rariſſime in hoc morbo juvant; in magnis tamen animi terroribus, aut ubi per longam ſolicitudinem, vel triſtitiam, pervigilio fatigatus eſt æger, illa experiri non alienum eſt. Neque tamen diu in his perſiſtendum; non raro enim etiam, cum ſomnum inducant, expergiſcitur laborans terrificis imaginibus gravius, quam antea tentatus. *Anodyna.*

Art. 983. Nullo in morbo major de iterato in ægritudinem lapſu eſt metus, quocirca, quæcumque poſuimus auxilia, ſive ad medicinam, ſive ad diætam, & vivendi morem pertinent; ea omnia etiam, cum jam convaluerit æger, ad ſatis longum tempus per intervalla in uſum revocari debent. *Prognoſis.*

Farrago ſententiarum.

Art. 984. Inſaniæ duo genera deſcribunt Auctores, quorum utrumque eſt conſtans error mentis ſine magna febre; alterum cum furore, & audacia, alterum cum triſtitia & metu; quorum illud *Maniam*, hoc *melancholiam* appellant. Hæc autem gradu tantum, ut plurimum, differunt. Melancholia enim nunc citius, nunc tardius in maniam ſæpiſſime tranſit; & remittente *Inſaniæ ſpecies.*
furo-

furore, gravior fere reddit tristitia: hinc furibundi omnes sunt timidi, & pusillanimes. Id quod in curationibus observasse, permagni usus est.

Quadam causa. Hæmorrhoidum, aut catameniorum fluxus cohibiti, aut ulcera cacoethea suppressa, versus hunc morbum disponunt.

Signa quadam. *Art.* 985. De Maniacis observare est: hæc tr illis fere omnibus esse comunia. 1°. Eorum phantasias, sive imaginationes cogitationum impetuosarum æstu perpetuo ocupari; ut dies & noctes varia sibi obmurmurent, aut clamando, & ejulando proferant: 2°. Notiones sive conceptus incongruos esse, & sub specie falsa, sive erronea eis repræsentari: 3°. Illorum delirio audaciam, & furorem adjungi secus ac in Melancholicis, in quibus timor, & tristitia vigent.

Admirabile est in Maniacis universi corporis robur, quo fit, ut nulla vi cohiberi aliquando possint, aliquando validioribus vinculis illigati ea proscindant. Asserit *Fernelius* se Maniacos vidisse, qui per solidos quatuordecim menses nunquam dormiverint. De hac re dubitat *Bellini* sed *Boerhaavius* se hoc in Maniaco vidisse testatur. Raro item conqueruntur Maniaci de frigore, & una ex præcipuis Maniæ circumstantiis est frigoris tolerantia incredibilis.

Melancholici non una tantum insaniæ specie laborant: sed aut venenum, ne sibi detur, suspicantur; aut hominum consuetudinem perosi in solitudinem aufugiunt: aut ad superstitiosam religionem convertuntur: aut lucem hanc, vitamque odio prosequuntur. Verum si quid interdum ex animi angore laxamenti habeant, exhilaratio voluptasque plurimis advenit, qui exinde in Maniam seu furorem præcipitant. Furoris item species infinitæ sunt, inter quas ea datur, qua laborantes propria membra dilacerant,

rant, pia cogitatione, Diis suis tanquam id postulantibus, gratificantes. *Aræteus.*

Art. 986. Insania, quæ cum risu est tutior, quæ cum studio, pejor. Mania licet affectus sit periculosus, & sanatu molestissimus, per se lethalis non est; & lætitia plus justo Melancholicis superveniens, Maniam portendit. Boni ominis sunt in utroque morbo evacuationes quælibet, dummodo copiosæ fuerint, per sudorem, urinam, alvum, hæmorrhoides, uterum, nares &c. Salutares etiam sunt febres Tertiana, vel Quartana, nec non scabiei, aliorumque cutaneorum affectuum eruptiones. Viri sane furore, & Melancholia corripiuntur: rarius autem sed deterius mulieres furiis agitantur, inquit *Aræteus*. *Prognosis.*

Art. 987. Quantum ad violentas contorsiones, inquit *D. Boudon* in additionibus ad hunc Auctorem Cap. 3. §. 22. & elevationes corporis per aerem a terra, quæ de *Energumenis* atque *Exstaticis* narrantur, nos easdem explicare possumus, animadvertendo in omnibus ferme corporis partibus fibras motrices ita contrahi posse, ut innumeras motuum compositiones secundum quamcumque directionem membra ducendi aptas, edant, quibus solidarum partium conatibus si diversas alterationes addas, quas humores recipere possunt, facile intelliges, totum corporis volumen tantis agitatum elateribus atque etiam ob humorum rarefactionem, a quibus penetratur, multum de propria gravitate amittere posse, atque hinc aliquandiu crassiori aere levius evadere, per quem ascendere, inde observabitur. Nos vero paucis explicationem, hanc refellimus observando differentiam gravitatis specificæ corporis gravioris in liquidum longe levius demeri nullis artuum vibrationi- *Nota bene.*

bus

bus, & contorsionibus iminui posse, atque adeo cum plus quam mille vicibus gravius sit hominis corpus aere, in quo demergitur, oportere ut sponte sua per eumdem aerem ascendat, volumen plus quam mille vicibus majus obtineat, absque prioris massæ augmento. Hujusmodi enim imminutiones gravitatis absque congruo incremento voluminis naturæ legibus repugnant.

Farrago sententiarum.

Sectio Cadav. *Art.* 988. De horum affectuum *origine*, *incremento*, & *ætiologia* videatur *Boerhaave*. In sectis cadaveribus Mania demortuis (inquit D. *Shavv*) nihil alienum a sanorum corporibus invenitur, nisi forsan *induratio meningis cerebri exterioris*, quæ probabiliter ejusdem oscillationes liberas plurimum immutat, & interturbat, unde spirituum animalium distributio valde enormis ac perturbata evadit.

Remedia varia. *Art.* 989. Succus *hederæ terrestris* intus sumptus ad ℥ij. vel iij. singulis diebus valde commendatur ad hunc morbum vincendum, item linimentum ex *eodem succo* confectum quo caput rasum inungitur, curam promovere creditur. Specifica duo simplicia adeo deprædicata sunt *hypericon* (*Fuga Dæmonum* dictum) & *anagallis*. *Angelus Sala* pro arcano habuit tincturam *hyperici*, & aliquando cum careret tinctura, decoxit *summitates* ejusdem in vino Rhenano & cerevisia tenui, atque utiliter propinavit. Decoctum *anagallidis flore purpureo* (dos. ℥iv. ter in die) præmisso plus semel *vomitorio* tanquam specificum commendatur ab *Ettmullero*, *Hartmanno*, *Vvillisio*, *Sennerto*, *Quercetano*, &c.

Alia. *Art.* 990. Sequens emeticum, quod fortissimum est, in hospitio mente captorum frequenter

ter propinatur. ℞. *succ. fol. asari* ʒvj. *vel* ℥j. *aq. card. ben.* ℥ij. *oxymel. scillitic.* ℥ß. *m. f. potio.* Pharm. pauper.

Cerevisia melanagoga.

℞. Rad. hellebor. nigr. ℔ß. jalap. ℥vij. hermodact. ℔ß. coq. in cerevis. nov. cong. xxiv. ad cong. xviij. addendo sub finem coction. sen. alexandr. ℔ij. rad. rhabarb. ℥vj. tart. alb. ℥iv. sem. coriandr. ℥vj. rad. liquirit. limatur. chalyb. ana ℥iv. fol. cochlear. hortens. M. iv. colaturæ add. fermentum.

Cerevisiam ad Melancholiam.

℞. Fol. marrhub. alb. m. iv. coq. in cerevis. nov. cong. vj. ad cong. iv. cola & in doliolo suspendatur saccul. seq. ℞. Rad. chin. nodos. pæon. mar. ana ℥ij. polypod. ℥j. lapath. acut. ℥iij. raphan. sylv. ʒ. x. fol. ling. cervin. m. iij. summit. hyperic. p. vj. cort. fraxin. ℥iv. bacc. junip. sem. dauc. ana ℥j. rasur. stanni (in nodul.) ℥iv. ferri rubiginos. ℔j. includ. omnia in saccul. &c. *Pil. de lapide lazuli*, *flores salis armoniaci martiati*, &c. sunt remedia proficua. Nescio an vires camphoræ, Regiæ societati a D.re Kenier sesquianno abhinc communicatæ, ad hos contumacissimos affectus expurgandos ulterius tentatæ fuerint, necne. Dosis in his casibus est ad semidrachmam omni nocte, præmissis universalibus, & aliis remediis cephalicis & alterantibus non penitus neglectis. Philosoph. Transact. N. 400.

HYPOCHONDRIACA & HYSTERICA affectio.

Quæ secundus gradus Melancholiæ est.

Hujus morbi natura, & diagnosis.

Art. 991. Quando humor atrabilarius, qui perinde est ac pars illa sanguinis, quæ dissipatis mobilioribus crassa, pinguis, atra & terrestris relinquitur, ab encephali vasibus ubi in Melancholia, aut Mania accumulabatur, ad viscera abdominalia transfertur, ibique hæret, tunc alio nomine morbus Hypochondriacus vocari solet, quia atra bilis magis densa atque tenax reddita eam, in primis abdominis regionem occupat, ubi hepar, lien, ventriculus, pancreas &c. locantur. Quare ponderis gravantis sensum, & anxietatem ægri circa hæc loca sentiunt, maxime ab assumptis cibo potuque, & anxietas adeo molesta est, ut ipso dolore intolerabilior quandoque adigit miseros, ut ærumnosæ vitæ pertæsi, violentas sibi manus inferant. Tum ex læsa digestione, acida acrimonia, ex cibis male concoctis genita, famelicos facit ægros, qui tamen ab assumptis cibis, quam maxime gravantur; Hoc cum eo *Hippocratis* congruit: *Neque sine cibo esse, neque copiosum cibum devoratum ferre potest. Verum cum jejunus fuerit, viscera mussitant, & salivæ acescunt, quum vero quidquam aderit, pondus in visceribus &c.* Iidem simul pallidum, flavum, immo & fuscum faciei colorem referunt, observante *Aretæo: corporis quoque habitus in pejus labitur; colore fœdo ex atro viridique commixto tinguntur, nisi inferius bilis descendat, atque exeat, sed quoquoversum, per corpus cum sanguine diffundatur.*

Sydenhami sententia.

Art. 992. Hipochondriaca & hysterica affectio est morbus frequentissimus; paucissimæ quidem fœminæ vel viri sedentarii ab illo penitus immunes sunt; symptomata, aliorum pæne omnium morborum æmulatur; quamcunque enim corporis partem insederit, symptomata qualia ei parti competunt, statim producit. In capite: *Apoplexiam* facit, quæ similiter hemiplegia solvitur: Spasmos horrendos gignit *epilepsia* similes, paroxysmum hystericum proprie dictum faciens, vulgo *uteri strangulatum*: *Cephalalgiam* intolerabilem excitat, *clavus hystericus* nominatur, ut dolorem transverso pollice possis contegere: *Palpitationem cordis* præcipue *chlorosi* laborantibus concitat. Aliquando (sed rarius) pulmones obsidet, & *tussim* excitat fere continuam sine expectoratione. *Dolores colicos & iliacam passionem* nonnunquam æmulatur, & interdum *ictero* paroxysmus solvitur; hoc genus in fœminis laxiori corporis habitu præditis locum habet; de salute plerumque desperant. Paroxysmum *nephriticum* aliquando mentitur. In ventriculo *vomitum*, in intestinis *diarrhœam* efficit, sine dolore tamen. Partes externas non raro occupat dolore; præcipue in dorso, & aliquando tumore maxime cruribus & tibiis: tumores ab *Hydropicis* discriminantur, eo quod majores sint tempore matutino, & vestigium digiti impressi non retineant. *Dentes* etiam interdum afficit. Dolorem in dorso certo certius persentiscunt, quotquot hoc affectu tanguntur. Externarum partium *refrigeratio* his omnibus quasi viam sternit, & plerumque non nisi finito paroxysmo dispellitur. Adhunc in fere omnibus spirituum de-

Hypochondriaca, & hysterica affectio.

dejectiones & subsidentiæ, risus & lacrymæ sine ulla προφάσει. Et postremo (quod tristissimum est) magis *animo* ægrotant quam *corpore* hoc modo afflicti. Urina limpida & magna quantitate excernitur, quod signum est *pathognomonicum*. Ptyalismus nonnunquam eo gradu laborantes afficit, ut mercurio delibutos facile crederes. *Flatus nidorosos*, nunc *acidos* eructant, atrocissima *animi pathemata* in sinu fovent.

Causæ. *Art.* 993. Causæ *procatarcticæ* sunt vel vehementiores corporis motus, vel etiam multo sæpius violentæ quædam *animi commotiones* a repentino aliquo sive iræ, sive doloris, & similium passionum insultu. Causa efficiens est ἀταξία spirituum animalium. „ Secundum mentem quo-„ rundam pathemata, *vapores* vulgo dicta, alte-„ rutro, tanquam causa immediata, fundamen-„ to niti, viz. *nimis titillante, vel molestiore* „ *quædam ineffabili sensatione* præter modum par-„ tes illinc irritante, vel hinc vellicante; un-„ de secretiones evadunt valde impares & male „ comparatæ. „

Indicatio curativa. *Art.* 994. Præcipua indicatio curativa sanguinis corroborationem indigitat; ideoque post debitas *evacuationes* (ubi indicantur) *chalybeatis, amaris, corroborantibus* & *volatilibus* cura perficienda est. Chalybeata fœminis quandoque malignas tum animi tum corporis perturbationes inducunt; in hoc casu exhibe *laudan. liquid.* guttas aliquot sing. nocte in *aq. aliqua hysterica*. *Aquæ minerales* omnes chalybis præparationes longe superant. *Limaturæ ferri crudæ* in robustis corporibus cum majori fructu exhibentur, quam quævis præparatio. Aqua communis impregnata *ferreis clavis & calceis equinis*, &c. medicamentosa evadit æque ac *aquæ minerales*. Inter bibendum *aquas ferreas*, si aliquod symptoma gra-

vius

vius acciderit, quod potationi aquarum referri potest, tunc ab iis abstinendum, donec symptoma istud evanuerit: in earum usu ad sex septimanas ad minimum perseverandum est; *zingiber conditum*, *& semina carvi saccharata* ad ventriculum calefaciendum sunt subinde sumenda, dum *aquas* bibunt. *Theriaca Andromach.* & *vinum Hispanicum* multum laudantur. *Cortex Peruvianus* in hoc morbo eximias vires obtinet, præsertim fœminis, quæ spasmis afficiuntur, ut & *diæta lactea* in *colica hysterica*. *Equitatio* usus est eximii. In paroxysmo ad fœtida confugiendum est, quæ spiritus in ordines compellunt; quæcunque fœtent huic intentioni inserviunt. In doloribus vehementioribus, vomitionibus, & diarrhœis ad laudanum tanquam ad sacram anchoram confugiendum est.

Vuillisii sententia.

Art. 995. Hystericæ affectionis signa sunt motus in imo ventre, ibidemque velut *globi* cujusdam ascensus; dein rugitus, aut vomendi nixus, hypochondriorum distentio & murmur cum flatuum eructatione, respiratio inæqualis ac ut plurimum impedita, præfocatio in gutture, vertigo, oculorum inversio aut rotatio, sæpe risus aut fletus, fabulatio absurda, quandoque ἀφωνία & ἀκινησία cum pulsu obscuro aut nullo, aspectu cadaveroso, interdum motus convulsivi in facie & artubus, & nonnunquam in toto corpore. *Paroxysmi hysterici descriptio.*

Art. 996. Symptomata hujus morbi in viris sunt, quæ sequuntur: cardialgia, flatuum ingens proventus, rugitus ac crebra vomitio, in sinistro hypochondrio distentio, ac subtus *ventriculum* pulsatio immanis sentitur, borborygmi & murmura. In *thorace* constrictio & angustia, res- *Symptomata in viris.*

piratio difficilis, cordis tremor & palpitatio, spirituum deliquia. In *capite* dolores atrocissimi, scotomiæ, vertigines, vigiliæ pertinaces, cogitationum æstus & fluctuatio, animi incertitudo, phantasia perturbata, rei cujusque formido & suspicio, morborum, quibus immunes sunt, possessio imaginaria, melancholia & mania, dolores vagi, spasmi, stupores, sudores nocturni, febres erraticæ, &c. sputatio fere continua. *Highmorus* supponit præcipuam hujus morbi causam esse in vitiosa ventriculi constitutione.

Curatio. *Art.* 997. Ad therapiam quod attinet, quoniam quamplurima symptomata sunt *convulsiva*, ideo constat remedia *antispasmodica* potissimum indicari. In paroxysmo *fœtida* interne atque externe valde prosunt; nonnullis convenit in medio paroxysmo *aq. frigidæ* haustum, in qua *camphora* deflagravit, propinare. Extra paroxysmum *evacuationibus* necessariis factis, medicamenta vulgo *digestiva*, quæ ad ventriculi tonum ac fermentum spectant, locum habent: talia sunt *tinctura sacra*, *elexir propriet. pulv. ari. comp. sal. absynth. cremor. tartar. vitriolat. vitriolum Martis*, &c. „ Inter digestiva & chalybeata pro certo emi-„ nent virtutes *entis Veneris*; utcunque tamen, „ an sit revera *anodynum*, ut a quibusdam per-„ hibetur, dubius hæreo; nondum enim satis „ compertum habui. „ Externe *fotus stomachici*; postremo ex medicamentis *chalybeatis* maximum juvamen sperandum est. Potus assiduus *coffee* aut *thee* paratus nonnullis emolumento fuit; *acidulæ* fere semper cum fructu sumuntur. *Pil. nostr. hyster.* in paroxysmo & extra; ℞. *Fæcul. brion. asæ fœtid. castor. ana* ℨj. *sal. coral. succin. Jovis ana* ℨß. *galban. in aq. bryon. comp. solut. q. s. f. massa.*

Purcelli ſententia.

Art. 998. Hyſterica paſſio (inquit *Galenus*) unum quidem eſt nomen, varia tamen & innumera accidentia ſub ſe comprehendit. Inter alia ſymptomata hoc morbo occurrentia perquam notabilis eſt ſenſus *frigoris*, quem percipiunt ægræ per dorſum aſſurgentem & mox per univerſum corpus diffuſum; ſequitur cephalalgia, & nonnunquam cordis palpitatio, & animi deliquium; & deinde brevi ſenſim ad ſe redeunt: in aliis præterlapſo frigore ſuccedit inſignis calor; qui pleraque ſymptomata antedicta cum aliquot novis accerſit; interdum in initio paroxyſmi frigus eſt vix perceptibile, & tunc ſymptomata graviora non niſi poſt acceſſum caloris tragœdiam agunt. Propter diaphragmatis & muſculorum reſpirationi inſervientium violentum ac perpetuum ſpaſmum fœminæ hyſtericæ quandoque diutiſſime procumbunt inſtar mortuarum ſine (ſenſibili) reſpiratione, immo interdum per integrum diem & diutius. Probe animadvertendum eſt hunc morbum ire & redire, & ſuos habere paroxyſmos, etiamſi non certis ac ſtatis periodis recurrentes, ſicut febrium intermittentium.

Hic affectus eſt morborum legio.

Art. 999. Cauſa primaria hujus affectus ſunt *cruditates & coctiones vitioſæ*, quæ plerumque ante adventum paroxyſmi in ventriculo gravedinem ac perturbationem, in inteſtinis murmura ac borborygmos pariunt, unde producitur ſpirituum ἀταξία, quæ eſt *cauſa proxima* reliquorum ſymptomatum; *cauſæ remotiores* ex errore aliquo circa ſex res non naturales ſuboriuntur.

Cauſæ.

Art. 1000. Ad therapiam rite inſtituendam accurate diſtinguendum eſt medico de conſtitutio-

Methodus therapeutica.

ne patientis, an sit sanguinea & biliosa, vel pituitosa ac melancholica, & etiam de cruditatis peculiari genio, utrum sanguinis crasin nimis viscidam & glutinosam reddit, aut nimis laxam & ebullitionibus proclivem. Affectionum Hystericarum cura *huic fundamento* maxime innititur: ex his etenim inter se plane discrepantibus oriuntur indicationes longe a se invicem diversæ. Sensatio frigoris in dorso, item pulsus debilis & tardus, sanguinis lentorem arguunt: pulsus celerior, calor ingens frigus excipiens, odor moschi, zibethi, ambræ, paroxysmum accersens, statum sanguinis esse laxiorem, & fermentiscibilem indicant.

Curatio. *Art.* 1001. E paroxysmo excitandæ sunt, naribus *volatilia & fœtida* admovendo, *plantas pedum titillando* (experimentum est *Dolæi*) & in graviori casu *apoplectico* scilicet, *punctionibus*, *scarificationibus*, *vesicantibus*, *ustionibus*, *sartagine calefacta*, &c. sunt suscitandæ. Iis, quarum sanguis est viscosus & nimis tenax, convenit *venæsectio*, & postridie vel die sequenti *emeticum*, vel, si minus congruum judicatur, *catharticum*; his ita præmissis, ad *attenuantia & aperitiva* accedendum est; & hic apprime conducunt juscula ovin. vel gallin. cum *radicibus & herbis aperitivis*, & *rubigine ferri* (in nodul. ligat.) incoct. (vel, si ob ferrum incoctum ventriculus nauseat, forsan non erit minus efficax, si singulis auroris post medicamentum aliquod *chalybeatum* assumptum superhauriatur cratillus istiusmodi jusculi.) Potus quotidianus sit *vinum Gallicum* aqua dilutum cum gut. xx. vel xxx. sp. sequent.; ℞. *Sal volat. oleos.* ℥iij. *sp. lavend.* ℥j. m. In hoc affectu nullum remedium efficacius datur quam *radix hellebori* vel ejus *extractum*. Constat ex solo usu *elect. chalybeat.* seq. (℞. *Cort. Peruvian.*

pul-

pulveris. ℥ß. *coral. rub. ocul. cancr. præp. ana* ℥iij. *ferr. rubiginos.* ℥iiß. *sal. absynth.* ℈ij. *cum q. s. syr. absynth. f. electuarium*) Fœminas quamplurimas Hystericas curatas esse. In *altera crasi*, ubi sanguis est nimis laxus & ebulliens, indicantur remedia calorem *temperantia; venæsectio, emulsiones, cortex Peruvianus, aq. Tunbrigenses, Bathonienses, jusculum cancrorum fluviatilium*, &c. Accuratam sane horum affectuum historicam symptomatum ætiologiam nobis dedit laudatus auctor in tractatu suo eleganti *de hysteria*, idiomate vernaculo conscripto.

Ettmulleri sententia.

Art. 1002. Malum Hypochondriacum est affectus ex multis symptomatibus diversimode complicatus, a cruditate acida plus minus viscida in primis viis natus; cujus eminentior gradus vocari solet *scorbutus*. Inter signa primaria sequentia sunt eminentiora, viz. adsunt pathemata stomachi non rite digerentis cum symptomatibus circa abdomen, cum torminibus & statibus intestinorum, alvi obstructione, corporis perturbatione, &c. Sed non omnia in omnibus; ordinario motiones, & plus minus dolores, murmurationes, distentiones, & aliæ abdominis affectiones, cum præcordiorum angustia, & respirationis difficultate, flatibus & scotomatibus, vel vertiginosa affectione rationem formalem constituunt. Est affectus quidem complicatissimus; tres fere gradus paroxysmi statuuntur, viz. primo dum *respiratio est libera*. 2°. Quando *hæc impedita, & pulsus* fere cessat. 3°. Quando etiam *convulsiones* superveniunt.

Mali hypochondriaci symptomata præcipua.

Art. 1003. Emplastrum e *galbano* cum aliquot granis *zibethi* umbilico apponi debet; *zibethum*

Curatio.

enim umbilico illitum suffocationes Hystericas insigniter alleviat, modo non nares nimium feriat: *Enemata* conducunt ex *carminantibus cum ol. succini & salibus volatilibus*; item ex *urina sani*; ut & *clysmata terebynthinata*. Misturæ ex *salibus volat.* cum *castor. & opiatis* optime paroxysmum sedant; conducunt etiam *trochisci de myrrh. stercus equi maris* est remedium nulli cedens, *succus ejus cum vino*, vel *decoctum* propinatum expectando sudorem est incomparabile in vel extra paroxysmum; *fuligo furni splendens* est medicamentum pro pauperibus, item *flores sulph. cum N. M. & theriaca* in vino solut. cum additione *castor*. In graviori malo exhibere soleo potionem seq. teterrimi quidem saporis, sed præsentanei effectus; ℞. *Aq. menthæ flor. sambuc. matricar. ana* ℥j. *essent. castor.* ʒiß. *ad* ʒiij. *sal. volat. C. C. gr.* xij. *succin. gr.* viij. *laudan. hyster.* ℈ß. *syr. e cort. aurant.* ℥ß. *m.* capiatur expectando sudorem. In specie *sclaræa* (horminum hortense) vel ejus decoctum est experimentum singulare paucis notum in suffocatione.

Lovveri sententia.

Art. 1004. Melancholia Hypochondriaca affecti humore salino in ventriculo deposito magna *boulimia* sæpissime tentantur, & quamdiu appetitus iste durat, ab omni dolore corporis immunes sunt, humore vero isto acri & ferino, metastasi quasi facta, in alias corporis partes deposito, cruciatus & spasmi ciuntur, interea etiam ut ventriculi appetitus omnis & digestio propter defectum ejus penitus flaccescat, quod Hypochondriacis fere omnibus solemne est, atque malæ sanguinis diathesi, potius quam lienis vitio, proxime imputari debet. De corde p. 147.

Bouli-mia.

Scor-

Scardonæ sententia.

Art. 1005. Si res mihi sit, cum ægro laxioris habitus, temperamenti, ut ajunt, frigidi, inappetentia insigni laborante sine febre, atque hypochondriorum æstu; contentus sum salibus lixiviosis: absynth. centaur. min. agrimon. vel tart. solub. terra fol. tart. tartar. vitriol. a ℈ij. ad ʒj. ex jusculo junioris pulli propinandis ad multos dies. *In habitu corporis laxo.*

Art. 1006. Si præpollentis acidi indicia se prodant (sunt autem acuta fames; ventriculi morsus; rerum insuetarum, & incongruarum appetitus; ructus acidum spirantes) pulv. VVedelii absorbente, dempto eidem vitriolo ad ʒ sem. uti expedit. *Ubi indicia acidi adsunt.*

Art. 1007. Alterutrum horum adhibeam; levem infusionem rhabarbari quolibet tertio, vel quarto die exhibeo in hunc fere modum paratam. *℞. Rhab. elect. in taleol. incis.* ʒij. *tart. vitriol. vel solub.* ʒj. *m. infund. per* 24. *hor. super ciner. calid. in aq. font. unc.* vj. *coletur postea, & liquor leniter exprimatur. Colaturæ addatur syrup. flor. persicor. unc.* j. *pro una vice, & sic pro aliis.* *Rhabarbarum.*

Primo vere succis optime depuratis Fumar. sonch. agrimon. taraxaci ad unc. iij. ex jusculo junioris pulli uti præstat. Hisce martialia succedant. Si acidum mucosis quisquiliis, prævaleat, limatura martis super lapid. porphyrit. levig. a gr. x. ad xv. ex succo concreto absynth. aut ejusdem conserva per viginti circiter dies adhibenda.

Art. 1008. Si mucus iners prædominetur, tinctura martis aceto aut succo alio acido extracta a ℈. sem. ad ʒj. ex decoct. theiformi absynth. uti expedit. Sicuti salium digestivorum, ita succo- *Si mucus iners vigeat.*

rum,

rum, & martialium usui rhabarbari usus intermiscendus. Prævalente muco inerti pillulæ tartareæ *Bontii* a ℈j. ad ʒ sem. vel tartareæ *Schroederi*, *Quercetani*, & aliæ similes ante cœnam, visæ sunt convenire, dummodo ad immodicum hæmorrhoidum fluxum proclives non sint ægri. Celebres enim sunt apud Hollandos pillulæ illæ *Bontii*, quarum hæc fere descriptio est. ℞. aloes succotr. ʒiij. gumm. ammoniac. ʒj. sem. tart. vitriol. ʒ sem. m. f. s. a. massa pillul.

Acidulæ juvant. *Art.* 1009. Opportuno tempore ad aquas acidulas, tandem ad lac primum asininum, mox vaccinum deveniendum. Cibi simplices sint, ab acidis, a vino æger abstineat. A pastu tinctur. absynth. ex decoct. Caffè, aut ejusdem conservam ante cibum assumat.

In habitu corporis sicco. *Art.* 1010. Si æger siccioris, & calidioris sit habitus cum hypochondriorum æstu, tensione, pulsus duritie, febre, solo oleo amygdal. dulc. & clysteribus ex aqua hordei, cum saccharo contentus sum. Primo vere succi optime depurati portulac. cichor. endiv. fumar. vel serum lactis, cum iisdem plantis destillatum visa sunt convenire. Æstuosa tempestate ad balnea aquæ dulcis, aquas Villenses, Nucerianas, vel acidulas deveniendum, tandem ad lac.

Farrago sententiarum.

Prudentia opus est in medico. *Art.* 1011. Morbi longi, teste *Platone in Timæo*, blandissime tractari expetunt, non vehementioribus irritari. „ Mens ipsa ægroti frequentissime adeo insigniter afficitur in hoc morbo, ut sæpius cogatur medicus aliquid admittere, quod jubent *consuetudo*, *opinio vulgi*, *superstitio præjudiciaria*, quod tamen sana ratio e contra vetat. „

Art.

Art. 1012. Mulieres hystericæ sensum quemdam *frigoris in vertice capitis* pati solent, estque hoc præcipuum hysteriæ diagnosticon. *Baglivus.* *Diagnosticon singulare.*

Art. 1013. *Bezoardicum Joviale* est præstantissimum remedium & infallibile in affectibus hystericis, ut pluries mirati sumus. *Idem.* *Bezoarticum Joviale.*

Art. 1014. In affectionibus hypochondriacis *vomitus* est ante omnia provocandus; sic enim fomes subtrahitur morbo, & revera est basis curæ. *Pitcarn. in MS.* In hoc consentientem habemus doctissimum D. *Vvoodvvard*, mihi amicissimum. *Emeticorum efficacia.*

Art. 1015. Remedia sequentia quamplurimis indicationibus satisfaciunt, si quis cognoverit uti. *Aurum Mosaicum, cerevisis. hysteric. Fulleri. Chalybs sine acid. Batean. Decoctum nigrum* (Art. 48.) *elect. hysteric. elect. Peruv. epileptic. & enem. hysteric. Fulleri. Ens Vener. flor. sal. armoniac. martiat.* Infusum amarum sequens ℞. *cort. Perov. crasse pulv.* ℥ij. *tart. alb.* ℥ij. *Rad. serpent. virgin.* ℥iss. *infund. frigide in vin. rub.* ℔ij. *coletur usus tempore. Infus. chalybeat. amar.* (Art. 132.) *Mistura ecphractica, julap. camphorat. mistura hysteric. spirituos. & pil. hysteric. Fulleri. Pulvis ad guttetam, pulv. hysteric. Bat. sal. Jovis, tinctur. epileptic. Fuller. sp. C. C. succinat. tartarum vitriolatum, vitriolum Martis &c.* *Remedia varia.*

Art. 1016. Quando homo hystericus, vel hypochondriacus ira excandescit, vel quavis de causa vehementer contristatur, mox ejus organorum motrices fibræ turbantur, plurimaque pars naturalium munerum pervertitur, ægri hinc pessima sibi ominantur, & recuperandæ salutis spem protinus abjiciunt, urinam lympidissimam reddunt, in gravidis abortus sequitur, atque inde raptus ad cerebrum, unde apoplexia *Præcipua morbi symptomata.*

in

in paralysim desinens; in aliis convulsiones epilepticæ accedunt, quæ vulgo *strangulatus*, vel *matricis suffocationes* dicuntur. Aliquando morbus externa capitis occupat; ubi in parvo spatio vix pollicem excedente acutissimus dolor exoritur, *Clavus hystericus* dictus, & si forte ad pulmones vergat tussim facit molestissimam; quæ proprie *tussis hysterica* dici debet: Transeunte morbo ad ventrem colica hysterica prodit; & ubi habitum externum corporis occupat dolores cum vel sine tumore in mandibulis, brachiis; manibus; femoribus, & cruribus exsurgunt, sed in cruribus sæpissime tumores ferme hydropici apparent; qui tamen ab eis distinguuntur, quia mane crescunt, & unum tantum crus tenent altero immuni relicto: Ceterum ex doloribus nullus frequentior, & pertinacior est, quam qui dorsum exercet; ast omnes hujusmodi dolores id commune habent, quod vestium levissimos quosque attactus dedignentur a quibus perinde irritantur, ac si caro verberibus mulctata fuisset.

Curationis methodus pro hypochondriacis. *Art.* 1017. Quoad genericam hujus morbi curationem, si satis temporis divexarit, ut merito suspicari liceat, humores corporis corrupisse, jubenda erit phlebotomia, atque inde purgatio, priusquam animus intendatur organicis partibus robur, & fluidis aptam mobilitatem conciliandi, quibus secunda valetudo restituetur. Si vero dolores, vomitus, & diarrhϛæ vehementer excrutiantes dilationem hanc non perferant, incipiendum erit ab anodyno, quemadmodum Laudanum liquidum est, sequenti ratione concinnatum.

Laudanum liquidum. ℞. *Vin. Hispan. lib.* j. *opii unc.* ij. *croc. unc.* j. *cinamom. caryophyl. anā* ℥j. *infund. in M.B. per duos tresve dies quousque liquor congruam consistent. adipiscatur. Postea filtrat. servetur usui.* Hujus quæ-

dam

dam gutt. cum aquæ cinamomi cochleare propinantur.

Post venam in brachio sectam postridie dabitur purgans elapsis duobus, vel tribus diebus reiterandum, nec hujus molestiæ priora mala gravantes, ægrum deterrere debent, cum id a purgantibus, ea ipsa die qua sumuntur præstari soleat, utilitate levaminis diebus subsequentibus emergente. Post catharsin remedia martialia usurpanda veniunt, triginta fere diebus continuanda, quo tempore nullum aliud purgans, adhibetur, quod omnes calybis effectus infringeret, atque demum ad hysterica spiritus confortantia deveniendum est.

Art. 1018. Ast methodus qua mulier hysterica curari debet, ex. gr. hujusmodi est. Octo circiter sanguinis unciis extractis, ejus umbilico emplastrum applicatur ex galban. unc. iij. tinct. castorei dissoluto cui add. gumm. tacamach. ʒij. Postridie mane quatuor sumat. pillul. ejusmodi. *Histericarum curatio.*

℞. *Pillul. cochiar. maj.* ʒij. *castor. pulv. gr.* ij. *balsam. peruv. gutt.* iij. *reform. pillul.* xij. quarum iv. singulo biduo capi debent, eisdem superdormiendo.

Si animi deliquia, aut languores accesserint quatuor, vel quinque cochlearia sequentis julapii propinabuntur. ℞. *Aq. rutæ unc.* iv. *bryon. compos. unc.* ij. *castor. in nodulo suspens.* ʒ *sem. sacchar. fin. q. s. f. julap. in cujus priori dosi si occasio urgeat effundimus sp. C. C. gutt.* xx. *Pilulæ purgantes.*

Post descriptas purgantes pillulas, capiat de sequentibus quotidie mane duas, totidemque quinque horis a prandio, per triginta dies, vini absynthiti cyathum superbibendo. Modo dictæ pillulæ parantur ex *Limat. calyb. gr.* viij. *extract. absynth. q. s.* Si vero easdem lubeat forma bolli comparare; ℞. *Conser. absynth. roman. cortic.* *Julapium.*

Pilula alia. *tic. aurant. ana unc.* j. *rad. angel. condit. nuc. moscat. condit. theriac. andromac. ana unc. sem. gingiber. condit.* ℥ij. *syrup. limon. vel aurantior. q. s. f.* Electuarium. ℞. *de hoc electuar.* ℥ij. *limat. calyb. gr.* viij. *syrupi aurant. q. s. reform. bollus* mane, & vespere ingerendus, superbibendo vini absynth. cyathum vel vj. cochlearia sequentis infusionis.

Infusio. ℞. *rad. angelic. enul. campan. imperator. ana unc.* j. *fol. absynth. vulg. centaur. min. marrhub. alb. chamædr. ana man.* j. *cortic.* 2. *aurant. infus. in vin. hispan. ad duorum digit. supereminentiam; colatura servetur usui.*

Pulvis. *Art.* 1019. Pro delicatulis autem sequenti ratione calybs præparari poterit. ℞. *Limat. ferr. subtiliss. pulv. unc.* j. *pulv. aron. compos.* ℥vj. *semin. coriand. anis. fœnicul. ana unc. sem. cinam. opt. corall. rub. pp. ana* ℥iij. *nucis myrrist.* ℥ij. *f. pulv. tenuiss. cui add. sacchar. fin. ad pondus omnium.* Hujus pulveris ægra sumat ℥ sem. bis in die per quatriduum, deinde ℥j. per 40. dies superbibendo vini absynth. cochlearia vj. vel de sequenti Julapio.

Julapiũ. ℞. *Aq. lact. alexiter. lib.* j. *aq. gentian. compos. unc.* iv. *absynth. compos. unc.* ij. *sacchar. alb. q. s. f. Julap.*

Aliud. ℞. *Vin. rhenan. absynthiti lib. sem. aq. gentian. compos. unc.* ij. *syrup. oxallidis unc.* j. *f. julap. ut prius adhibendum.*

Pilula. Quousque hæc curatio perennat, utatur ægra pilulis sequentibus: ℞. *Myrrh. elect. galban. as. fœtid. ana* ℥j. *castor.* ℥ *sem. bals. peruv. q. s. m. & de singula drachma reformentur pillul.* xij. singula nocte ad dosin iij. ingerendæ, superbibendo cochlearia tria, vel quatuor aq. bryoniæ compos. Quodsi eædem ob commixta gummata alvum moverint, sequentes pro eis adhiberi poterunt.

Pilula alia. ℞. *Castor.* ℥j. *sal. volat. succin.* ℥ *sem. extract.*

rutæ

rutæ q. s. f. pil. xxiv. quarum tres singula nocte devoret ægra superbibendo tria, vel quatuor cochlearia julapii cujusdam hysterici; vel de supra descriptis.

Art. 1020. In hac affectione convenit etiam spir. C. C. gutt. xvj. vel xviij. una cum aq. quadam convenienti subinde propinare, quæ si hujusmodi remediis non cedat, ad alia transeundum est.

℞. Trochisc. myrrh. pulv. ℈j. *balsam. sulph. terebinth. gutt.* iv. *gumm. ammoniac. solut. q. s. m. f. pilul.* iv. *mane & vespere sumendæ, superbibendo quatuor, vel quinque cochlearia julapii cujusvis hysterici add. spir. C. C. gutt.* ij. *Pilulæ aliæ.*

Art. 1021. In hujusmodi morbis antiscorbutica etiam optime faciunt, idcirco sequens addimus electuarium. *℞. Cons. cochleariæ unc.* ij. *jujub. unc.* j. *pulv. ari compos.* ʒvj. *syrup. aurant. q. s. f. elect.* ad avellan. magnit. mane 5. hor. a prand. & vespere devorandum, superbibendo aq. raphan. compos. cochl. vj. vel tantumdem de sequenti. *Electuarium.*

℞. Rad. raphan. sylv. concis. lib. ij. *rad. ari lib.* j. *fol. cochl. hortens. man.* viij. *fol. menth. salv. nastrut. aq. beccabung. ana man.* j. *sem. cochl. hortens. contus. lib. sem. nuc. moscat. unc. sem. vin. alb. lib.* xij. destil. omnia cum eductione lib. vj. & servetur usui. Vel destill. fol. cochlear. hortens. recent. aqua inde comparata servetur usui. *Aqua composita.*

Art. 1022. In potu ordinario tria, vel quatuor cochlearia sequentis mixturæ addere licebit. *℞. Rad. raphan. sylv. sem. cochl. hort. ana unc. sem. fol. cochlear. ejusdem man.* ij. *pulv. mali aurant. misc. in mortario sensim affundendo vini albi lib. sem. deinde trajecta cum levi expressione mixtura, eadem servetur usui.* *Mixtura.*

Art. 1023. Non obstante tantorum remediorum usu, si affectio adhuc permaneat, aquæ mine-

minerales sulphureæ, vel calybeata consulendæ sunt, ex quibus si triste aliquod symptoma exsurgat, quod merito eisdem tribui possit, eousque inhibebuntur, donec idem conquiescat. Ceterum harum aquarum usus sex saltem hebdomadis continuandus commendabitur, atque interea stomachum corroborandi gratia, dabitur ægræ subinde ingerendum vel Zinzib. conditum; vel Carvi semina saccharo obducta. Decem prioribus diebus juvabit ei tres pillulas hystericas sub noctis ingressum quotidie devorandas exhibere, superbibendo quatuor, vel quinque cochlearia Julapii cujusdam hysterici. Quantum ad aquas sulphureas necesse erit easdem singulo biduo sub forma balnei usurpare, continuando hujusmodi praxin, vel per duos menses, vel per sex saltem hebdomadas.

Art. 1024. Si ex calybis usu corpus nimium incalescat, post singulum quatriduum mane dabuntur lib. iv. aquæ cujuslibet Mineralis purgativæ, cujus ope minori molestia alvus laxabitur, ac remediis ex Pharmacopea mutuatis præstari solet. Si vero graviora incommoda calybs afferat, eadem Laudano liquido cum hysterica quavis aqua propinato compescenda erunt.

Art. 1025. Viribus a morbi diuturnitate exinanitis curatio a phlebotomia, aut alvi purgatione nequaquam exordietur, sed ab ipso calybe; & ubi symptomata mitiora occurrant, satis erit post institutam phlebotomiam ventrem in triduum, vel quatriduum laxare, ut inde mane, & vespere pillulæ hystericæ per decem dies utilius usurpari possint.

Art. 1026. Vehementi dolore quovis excruciante, in Vomitibus & diarrhœis enormioribus Laudanum primo jubebitur, deinde opera dabitur, ut spiritus confirmentur; & si vires per-

mit-

mittent vena pertusa, laxativum aliquod ante Laudanum propinabitur, iis in primis fœminis, quæ robusto temperamento sanguineoque pollent. In debilioribus autem satis erit paululum a paroxysmo leviori aliquo Emetico stomachum levare, inde largam Theriacæ vel Orvietani dosin jubere, cui superbibendus erit liquor aliquis spirituosus, una cum pauco Laudano liquido mixtus; sed si vomitus diu perseveraverit omisso emetico statim ad Laudanum confugietur.

Symptomatibus jam superatis per aliquot dies mane, & vespere Laudani usus continuabitur, hæc duo maxima diligentia observando: 1um. nempe, quod semel adhibito ab evacuationibus laudano, eodem remedio, eademque ejus dosi continuandum erit usque ad omnimodam symptomatum evanescentiam; 2um. quod laudani usus motuum perturbatorum compositionem præstans nulla evacuantia, ne quidem simpliciores Clysteres perfert, a quibus cavendum erit.

Art. 1027. Ceterum frequens Theriacæ Andromaci usus diu continuatus in hujusmodi affectionibus eximiæ quidem est virtutis æque acceteris in morbis omnibus, qui a nativi caloris debilitate ac concoctionis infirmitate proficiscuntur. *Quædã alia remedia.*

Vinum etiam Hispanicum in quo infunditur Gentiana, Angelica, Absynthium, Cantaurium, Cortic. Aurant. similiaque corroborantia plurimum in hujusmodi morbis prodest, quando ejus nonnulla cochlearia ter in die sumuntur, dummodo ægræ temperamentum, nec debile, nec biliosum videatur.

Art. 1028. In Convulsionibus hystericis, quæ periodice invadunt, Cortex Peruvianus ad quantitatem ℈j. mane, & vespere sumptus per aliquot hebdomadas mirifice convenit.

Art. 1029. Debiliores vero, & delicatulæ diæta lactea uti possunt, maxime si a Colica hysterica sæpe exerceantur, modo ea omnia incommoda perferre possint, quæ primis hujusce diætæ diebus superveniunt; cum sæpe lac in stomacho coaguletur, aut alimentum valde tenue vires, ut par est, haud refocillans ministret.

Art. 1030. Ceterum nihil magis sanguinem depurat, & solidis, spiritibusque nihil magis roboris tribuit, quam equo vehi, & hujusmodi exercitium per aerem salubrem diutius protrahere, pro quo itinera in curru commode substitui possunt.

Art. 1031. Quodsi hysterica, vel hypochondriaca passio nimiis evacuationibus, vel menstruorum aut hæmorrhoidum fluxui immodico superveniat, tali casu, vitæ regimine paulo incrassante instituto, propinanda est libra dimidia ter in die sequenti Potus. ♃. *Aq. plant. Vini rub. ana q. v. & Sacchar. fini q. s. ebull. ad consumpt. tertiæ partis* atque utile simul est si ægra subinde julapio quodam hysterico minori & parva dosi utatur. Ad erigendos spiritus satis est *galbanum, assamque fœtidam ana* ℥ij. *cum castor.* ℥j. *& sem. sal. volat. succin.* ʒ *sem. m.* naribus admovere, vel sp. sal. Armoniac. ℥ij. tantum.

Potio.

Art. 1032. Quando de inhibendo agitur fluxu menstruo, eductis octo sang. unc. a brachio, atque postridie exhibito pro ægræ viribus cathartico, ejus lumbis applicabitur Emplastrum. ♃. Empl. Diapalm. pro Herniis ana q. s., indeque sequens electuarium inter utiliora habebitur.

Electuarium.

♃. *Cons. ros. exsicc. unc.* ij. *trochisc. terr. lemn.* ℥j. *s. cortic. Granat. corall. rubr. ana* ℈ij. *Lapid. Hæmatit. sang. dracon. bol. armen. ana* ℈j. *Syrup. coral. simpl. q. s. m. f. Electuarium*, de quo capiat

ægra,

ægra, magnitud. nucis moſcatæ mane, at quinta hora poſt prandium, ſuperbibendo ſex cochlearia ſequentis julapii.

℞. Aq. centinod. Plantag. ana unc. iij. Aq. cinamom. hordei, ſyrup. roſ. ſicc. ana unc. j. ſp. vin. q. ſ. ad gratam aciditatem. M. *Julapium.*

Utiliter etiam ter, vel quater in die ad vj. unc. doſin propinari poteſt ſuccus expreſſ. fœnicul. plantag. vel urticæ, indeque clarificatus.

Ceterum quoad uſum purgantium, eadem quovis elapſo biduo, vel triduo utiliter reiterantur uſque ad tertiam vicem, interpoſito ſubinde Paregorico ex Syrup. Diacodii ad unc. j.

Art. 1033. Si Hyſterica paſſio ab uteri prolapſu fuerit poſt difficiliorem partum, tunc ſequens remedium uſurpabitur. ℞. *Cortic. querc. unc.* ij. *aq. font. lib.* iij. *coq. ad tertiæ partis abſumptionem; dein add. cortic. granat. contuſ. unc.* j. *Roſ. rubr. flor. granat. ana man.* ij. *Vini rubri lib. ſem. colatura partes affectæ pannis laneis foventur; mane bihorio antequam e lecto ægra ſurgat, & veſpere poſtquam decubuit; ſicque continuatur uſque ad integram ſymptomatum ceſſationem.* *Totus.*

Art. 1034. Præter remedia huc uſque recenſita, nonnulli pro hypochondriacis Gallum celebrant longævum, & radicibus aperitivis infarctum; ut Cort. Cappar. Tamariſc. fol. fumar. Bugloſs. ſcolopend. cum herbis capillaribus, addendo Uvas & ſemin. Aniſ. & coriad. & poſt coctionem jus exprimitur, trifariam dividendum, cujus priori parti infunduntur Sennæ mundat. ℥ij. ſem. ſalis Vegetabil. ℈j., reliquis duabus adduntur tantum Salis Cryſtall. Tartar. ℈j. vel ij. prior doſis mane ſtomacho jejuno propinatur, poſt trihorium altera, veſpere demum tertia. *Remedia pro hypochondriacis.* *Jus aperitivum.*

Art. 1035. Si cauſa morbifica difficulter, valde, ſubigi poteſt, aperitiva purgantibus mixta egre-

gie opitulantur, & pro vitiosis aciditatibus edomandis alkalina sunt invehenda ex. gr. ♃. *Syrup. mart. aperitiv. unc.* j. *sem. cass. mundat. unc.* j. *rhab. pul.* ℈ij. *sal. Polychr.* ʒj. *Dissolvantur omnia in cyatho Decoct. ex rad. aperitiv.* Vel ♃. *sennæ, Rhabarb tart. solub. martiat. ana* ℈j. *resin. Jalap. gr.* jv. *f. pulv. & cum conser. flor. Buglofs. f. bol.* Vel hæc eadem pulvis cum Ptisana rad. aperitiv. propinetur.

Art. 1036. In Colica aliisque internis convulsionibus ol. amygdal. dulcium, unctuosique ac pingues clysteres plurimum conferunt, tum etiam juvat, si mox post clysteres purgantia leniora jubeantur, quæ efficaciora reddi poterunt addito Tart. solub. Emetico. Sæpe vero promptius levamen a China China obtinetur eadem dosi adhibita, quæ in intermittentibus febribus usu venit. Vel ♃. Rhabarb. ʒij. Pulv. Hieræ amar. unc. sem. Semin. Anis. ʒ sem. Vin. alb. unc. xiv. Inf. in loco calid. per hor. 24., & filtratus liquor quadrifariam dividatur, totidem diebus mane ingerendus.

Art. 1037. Ut autem humorum corruptio vitetur, quam morbi diuturnitas in corpus invehit, nihil efficacius habetur præparationibus ex Myrrha, & Aloe, quarum duo hic exemplaria subnectimus.

Elixir antehystericum. ♃. *Aloes Hepatic. Myrrh. ana unc.* j. *Croc. oriens. unc. sem. contus. & mixtis superafund. spir. vin. spir. sulph. ana unc.* j. *digerant. in fimo per octo dies vase probe clauso, quo deinde aperto superafund. sp. vin. suffic. quantitas, donec per sex transversos digitos pulveribus supereminet. obtecto iterum vase continuetur infusio in loco calido per duos menses. Filtrata tinctur. tertia pars sp. vin. destillando ab ea extrahatur, tum ressiduo addatur sp. sulph. tertium de toto, nec adhibendus li-*

quor.

quor nisi post ultimam hanc additionem octiduo elapso.

℞. *Aloes Myrrh. ana unc. j. croc. unc. sem. contus. & commixt. cum aq. Cinamom. injectis in retortam digerant. per 15. dies in fimo, postea aptato recipiente ad ignem arenæ tertii gradus fiat destillatio. Tum cohobato liquore per tres vices, obtinebitur demum Aqua instar seri lactis albicans, simulque spirituosissima.* *Aliud Elixir.*

Horum elixirium dosis est a gutt. vj. usque ad gutt. xij. ex meri cochleare vel cujusvis alius Cardiaci liquoris.

MEMORIA LÆSA.

Art. 1038. Inter omnes animæ humanæ facultates, ne una quidem tanta difficultate, & molestia philosophorum animos exercuit ac *Memoriæ ætiologia*. Non pauci sunt, qui opinantur istam facultatem constitui ex repositorio variarum idearum sensibilium oblata occasione primitus collectarum, & in cerebro cum signaturis quibusdam ordinate depositarum, unde ad usus futuros tanquam ex promptuario ad libitum evocantur: sed duæ admodum graves obtrundunt difficultates, nimirum, in tanta rerum accumulatione, quomodo fieri potest, ut aliæ minus obliterentur, & confundantur; & quo artificio mens ipsa ex adeo grandi idearum multitudine illas præcipue expergefacere, & compellare potest cæteris silentibus, quas singularis usque usus pro varia rerum exigentia exquisite postulat. Exclamandum sit necesse est *Plasmatio nostra mira est, & mirabile opificium corporis nostri!* Prodigiosæ fuerunt in omni ævo quorundam hominum *memoriæ, v.g. Senecæ. Portii Latronis,* *Memoriæ ætiologia.*

Cyri Regis; *nostratium quoque Reynoldi Episcopi*, *Vvallisii &c.*

Sennerti sententia.

Memoria læsa. *Art.* 1039. Memoriæ læsæ exempla notabilia apud authores passim occurrunt. *Christophorus a Vega* refert *Franciscanum quemdam* ex acuta febre ita memoriam amisisse, ut, etsi prius peritus esset *theologus*, postea nec *literas* agnosceret, & neque *nomina rerum*, quæ sibi assidue in usu erant, memoria teneret.

Intemperies cerebri. *Art.* 1040. Si intemperies cerebri sit frigida, & humida, somnus est longus, & profundus; si humida tantum, est longus sed non profundus; si frigida tantum, moderate somnolenti sunt; si frigida & sicca, non sunt somnolenti. Si absque causa externa memoria subito lædatur; imminentis *apoplexiæ*, *epilepsiæ*, aut *paralyseos* est indicium, si homini alias sano id accidat. Difficulter curatur, quæ a *malignis morbis*, *venenis*, aut *philtris* ortum habet.

Curatio. *Art.* 1041. Anacardium tanquam specificum decantatur, & revera interdum egregios edit effectus, sed ejus usus periculo haud vacat. (vid. locum, in *Raii hist. plant.*) Abstinendum est a carne porcina, anatrina, anserina, & piscibus, præsertim mollioribus, lacte, caseo, leguminibus, brassica, lactuca, papavere, fructibus horæis, & quæ vaporosa sunt, crassæ substantiæ, & coctu difficilia; vinum moderate sumatur, aer sit tenuis, cerevisia pura, corpus exerceatur moderatis laboribus, somnus non mox a cibis ineatur, vitetur diurnus, noctuque sit moderatus, fugiat mœstitiam & animi solicitudinem, & ad lætitiam disponatur, a venere abstineat.

Hoc

Hoc in casu in usum revocantur hæc & similia; *Rad. pæon. mar. zedoar. valerian. maj. flores tiliæ, lilior. conval. primul. veris, rad. calam. aromat. sem. sinap. sp. diambr. sine odoratis, sp. lavendul. castor. ambra grisea, ol. cinnamomi*, &c.

Ettmulleri sententia.

Art. 1042. Tantum saltem scimus, quantum memoria comprehendimus, & cum judicio ponderamus, & applicamus. Certum est cerebrum esse memoriæ subjectum radicale, quomodo autem fiat, nescio. Venus nimia memoria debilitat, maxime in senibus. *Tantum scimus quantũ memoria tenemus.*

Art. 1043. *Cubeba* N. iij. mane jejuno stomacho comestæ insigniter acuunt ingenium, & memoriam; *ambra* est omnium optima medicina in firmandis viribus animalibus, & roboranda memoria, omnibusque mentis actionibus, adeo ut nihil æque fulciat senes labascentes; elegantissima est tinctura cephalica ex granis *chermes*, & *ambra cum spiritu lilior. conval.* &c. Sed notandum est, quod ex crebriori usu, *ambra* plus nocet, quam prodest, præmaturam *stupiditatem* inferens; prosunt *masticatoria*, & *capitis lotiones*, *theè*, *salvia*, *rosmarinus*, &c. *Curatio.*

Art. 1044. „ In praxi nostra tabellas sequen- „ tes, præmissis rite universalibus, hoc affectu „ laboranti cum fructu maximo, multis abhinc „ annis exhibuimus; ℞. *Rad. cassummuniar. subti-* „ *lissime pulverisat.* ℥j. *spec. diambr. sine odoratis* „ ʒij. *sacchar. albiss. duplo pondere f.* tabellæ fre- „ quenter in die maxime vesperi, & mane co- „ medend. *Vires radicis cassummuniar.*

Farrago ſententiarum.

Quibus de cauſis memoria concidit. *Art.* 1045. Incurabilis omnis eſt Oblivio quæ a parentibus proficiſcitur, vel ætatis ratione fit. A nimia item venere lædi poſſe memoriam obſervat *Salmuthius*: Vir doctus (inquit) ut conjugi placeret, uſus fuit ſtimulantibus Venerem, unde ſine memoria, redditus eſt fatuus; & a nimia caliditate. *Galenus* caſum memorat cujuſdam, qui cum in colendis vitibus diutius ſub ſole conſtitiſſet, & inedia uſus eſſet, in hunc affectum inciderat.

Quomodo eadẽ roboretur. *Art.* 1046. In confirmanda memoria hoc ſingulare obſervetur, quæ ante ſomnum poſt cœnam veſperi concipiuntur, vel repetuntur, matutino tempore melius impreſſa manere.

Caſus memorabilis. *Art.* 1047. Hiſtoriam narrant *Tulpius* Oblivionis a læſo occipitio; Famulus Nicolai Lonii, iturus ſera veſpera præpropere ad Tabellarium Antverpianum, per declivem burſæ fornicem, ob glaciem id temporis ſumme lubricam, procidit ſupinus in occipitium, unde orta omnium rerum oblivione, non meminit deinceps nominis ſui, nedum domus e qua veniſſet, aut quo contenderet delaturus, quas manu etiamnum contineret litteras. Quem mentis ſtuporem brevi eatenus quidem emendavit ars, ut iterum recorderetur longe præterita, at quæ caſum hunc immediate præceſſerant, illorum memoria plane exciderat.

Non ſemper calida juvant. *Art.* 048. Non ſemper caput purgantibus, non ſemper excalefacientibus utendum eſſe in curanda memoria aut abolita aut diminuta monet, & duobus caſibus illuſtrat *Septaliis* quorum alter eſt cujuſdam, qui ex fornacis immenſo calore memoriam amiſerat; in quo cum Me-

dici

dici calidis uterentur, & morbus in deterius rueret, embrochis frigidis capiti applicitis, & cibo ſpiritibus inſtauratis, ſanitas reverſa eſt, alter quempiam ſiſtit ex metu in memoriæ deperditionem illapſum, cujus confirmato tantummodo animo, & ſpiritibus vino cibiſque optimis inſtauratis convaluit.

Art. 1409. Memoriæ jactura vel ætatis invaleſcentis effectus eſt, tuncque nullam admittit curationem, vel ſequella eſt aut ſymptoma aliorum morborum: ut Apoplexiæ, Paralyſis, Lethargi vel alterius ſoporoſi morbi, atque hiſce in circumſtantiis præcipuo morbo ſanato ſymptoma quoque evaneſcit. *Cauſæ generales memoriæ læſæ.*

Art. 1050. Ad recuperandam Memoriam plurimum commendatur, ut ſubinde Olibani ℨ. cum Roſ. Conſerva devoretur vel ut unus vel alter Myrobolanus conditus ſumatur. Divinum quod vocat Remedium *Hildeſheimus* huc ſpectans Oleum eſt Mirrhæ per deliq. quo tempora, & occiput inunguntur. Ejuſdem Auctoris eſt etiam quod ſequitur. *Remedio pro memoria recuperanda.*

℞. fol. Betonic. Salv. Lavendul. Roriſmar. ana man. ij. Nuc. Moſc. Piper. lon. Galang. cyperi ana ℈iv. Caſtor. ʒij. Myrrh. Thur. ana ʒiij. croc. ℈ij. m. & infund. in ſp. vin. q. ſ. & fiat digeſtio in M. B. Hoc liquore ægri tempora, & totum caput inunguntur. *Liquor externe adhibendus.*

DELIRIUM RABIOSUM ſive Hydrophobia.

Cœlii Aureliani ſententia.

Art. 1051. Ex morſu animalis rabidi homines in delirium rabioſum ſive hydrophobiam incidunt, quidam celerius, quidam tardius, poſt *Hydrophobia.*

an-

annum vel eo amplius, sed frequentius, post dies quadraginta.

Signa hydrophobiæ præsagientia, & præsentis. *Art.* 1052. Signa præsagientia sunt anxietas quædam, iracundia; somnus suspensus & turbatus, stomachi gravedo, oscitatio, & extensio frequens membrorum, insueta querela de aere quamvis sereno, parva bibendi voluntas. Signum præsentis mali ad apicem provecti est omnium potulentorum timor, & abhorrentia.

Meadii sententia.

Morbi progressus. *Art.* 1053. Morsus canis rabidi hoc habet in se singulare, & stupendum, quod interdum malum non prius detegatur, quam memoria illius causæ penitus obliterata sit; *vulnus* enim est *æque medicabile* ac communes morsus sanorum animalium: Sed quandoque longe post dira symptomata exsurgunt, post duos vel sex menses, interdum post annum integrum, vel diutius, vel frequentibus post 40. dies sentiuntur dolores vagi per universum corpus, maxime circa partem læsam; æger evadit anxius ac tristis, & ad iracundiam proclivis; pulsus intermittit cum tremore aliquali, & tendinum ac nervorum spasmis; adest insignis calor internus, & sitis, & postremo aquæ timor & abhorrentia (quod *essentiam* morbi constituit) adeo ut ne quidem conspectum potulentorum sine maxima consternatione ferre possit, multo minus unam guttulam deglutire valeat, atque hoc est signum *pathognomicum* morbi consumati, quod tamen non accidit nisi sub ejus finem, & ultimam *catastrophen*, nempe diebus duobus vel tribus ante obitum, cum morbus sit prorsus insanabilis.

Quid faciendum *Art.* 1054. Sicut in aliis morsibus venenatis, ita speciatim hoc in casu *Galenus* prudenter admo-

monuit vulnus amplificare per *incisionem circularem*, *cauterio* inurere, & ulcus *apertum* servare per dies 40. ad minimum: sin vero hæc methodus nimis dura & inhumana videatur, sufficere *cucurbitula* applicata virus extrahere, prægressa prius profunda scarificatione. Sola applicatione *unguenti Ægyptiaci* quam calidissimi recens vulneratum feliciter servatum novi. *Quid faciendum est in recens vulnerato.*

Art. 1055. Si quando remedia externa omnino omittantur, vel saltem haud recte vel tempestive adhibeantur, cura internis magna ex parte tentanda est; *alexipharmaca* sunt propinanda, inter quæ præ reliquis omnibus *cineres cancrorum fluviatilium* veteres medici uno ore magnopere extollunt; *Galenus* ait neminem periisse, cui hoc remedium propinavit; sumendi sunt cineres ad quantitatem coch. j. vel ij. singulis diebus ad dies quadraginta, vel soli vel potius cum pulv. rad. gentian. & thur. in vino. *Cura interna.*

Art. 1056. Frequens immersio demorsi in *aquam salsam marinam* optimum & certissimum omnium prophylacticorum merito perhibetur ad hydrophobiam præcavendam. *Immersio in aquam marinã.*

Ettmulleri sententia.

Art. 1057. Delirium rabiosum a morsu rabidorum animalium, in specie canis oritur, unde hydrophobia; demorsi plane rabiosi redduntur, & omnino in mores brutales transmutari videntur, nihil fere humani apud se retinentes. Præter canes, etiam *feles*, *galligallinacei*, *equi*, *muli*, *lupi*, *boves* & similia animalia fiunt rabida, & morsus eorum sunt venenati, ut & hominis irati. Notandum est, quod etiam morsus levissimus, immo tantillus salivæ contactus in homine ab animali rabido receptus, suo tempore *Delirium rabiosum.*

pore

pore rabiem inferre possit, adeo penetrans & malignum est illud seminium. In decursu morbi, hydrophobia est symptoma semper conjunctum. Extant exempla quædam, licet rariora, hydrophobiæ, nullo morsu animalis rabiosi prægresso; sed dubium est, an in talibus præcesserit aliqualis infectio, nec ne; contagium etenim subinde ad biennium, imo ad plures annos absconditum latet, antequam in actum erumpat.

Signa rabiei incipientis.

Art. 1058. Signa rabiei incipientis in demorso sunt anxietas præcordiorum, iracundia sine causa, querelæ de molestia aeris ambientis, de corporis gravitate, & ineptitudine ad motum; æger melancholicus evadit, lucem fugit, a potu abstinet, in parte olim vulnerata morsicationem & titillationem, interdum dolorem sentit.

Hydrophobici, intra triduum vel quatriduum moriuntur.

Art. 1059. In morbo perfecto ægri sunt anxii, spumant circa os, oculos horridos habent, quidam latrant instar canum, collum, & fauces ringunt, liquida omnia abhorrent, insomnes permanent; in his extremis raro curantur, sed ut plurimum moriuntur inter triduum, vel quatriduum post inceptam hydrophobiam.

Intentiones curativa.

Art. 1060. Ex vulnere facto, quantocyus fieri potest, *malignum virus* extrahendum est, ideoque sanatio non cito perficienda est, sed vulnus potius ampliandum. Interne conducunt *cardiaca & alexipharmaca*, *tinctura bezoardica*, *spiritus theriacalis camphoratus*, &c. sed omnia dupla dosi danda sunt, & diutissime insistendum est his remediis; super locum morsum, allium, ruta, & sal contusa & mista apponenda sunt more cataplasmatis. Præ ceteris optima cura fit per improvisam in *aquam frigidam* immersionem; convenit *purgatio* cum *helleboro* & *mercurio dulci*; *diuretica* prosunt; vis *cantharidum* est quasi specifica. Post scarificationem vulneris applicetur

cepa

cepa sub cineribus assata vel sequens; ℞. *Cepam acrem* N°. 1. *alliorum capita*. N°. 5. *theriac.* ℥vj. *ferment.* ℥ß. f. cataplasma: sunt qui addunt, *herb. rut. sem. sinap. ol. scorpion.* &c. verum prontissimum remedium est *ustio* loci affecti cum *ferro candente*: hæc omnem malignitatem destruit: Si sero advocatus sit medicus, applicanda est *cucurbitula* cum multa flamma; conducit etiam *fonticulus* prope locum affectum.

Listeri sententia.

Art. 1061. Præter signa ab aliis commemorata futuræ hydrophobiæ unum se, quod præcipuum & infallibile appellat, animadvertisse ait omnibus ignotum, viz. *dolor quidam in loco commorso*, licet ulcus antea per dies & menses integre fuerit sanatum, accedens, qui intensus esse non consuevit, nisi morsus partem nervosam petierit: hic dolor a loco jam commorso incipiens leviterque patientem affligens, per partem post partem spatio 3. aut 4. dierum plus minus ascendit ad cerebrum, ubi quasi *vertiginem* causat, & *confusionem*, indeque statim homo in *rabiem* deducitur.

Dolor in loco demorso diu post vulnus sanatum signum futuræ hydrophobiæ.

Art. 1062. Huic prognostico (nempe *neminem aquæ metu oppressum servatum esse*) consentiunt fere omnes antiqui.

Omnes hydrophobici moriuntur.

Art. 1063. Ex nostra observatione ipsam *salivam* præcipue vitiari, atque in ea uni esse virus, experimentis credo: etenim hæc fere vulnera inficere solet, & etiam sine vulnere communicari potest malum. „ Huic conjecturæ ad„ stipulatur historia duorum hominum hoc ma„ lo affectorum *solo salivæ tactu* sine recepto „ vulnere, itemque duorum puerorum in *Hi*„ *bernia sola tractatione vulneris* in capite canis „ ab

Virus in saliva maxime consistit.

„ ab altero rabioso demorsi pariter infectorum;
„ historiæ prostant in Actis philosophicis. Plures
„ canibus rabiosis demorsi curæ meæ commissi
„ fuerunt, sed ne unum quidem *Hydrophobia*
„ laborantem mihi unquam contigit videre;
„ suppeditantur exempla ex Gallic. Hist. Acad.
„ Scient. quorundam curatorum, etiam ubi a-
„ quarum pavores aderant, maxime *phleboto-*
„ *miis* usque ad deliquia iteratis vicibus cele-
„ bratis; *immersionibus in aquam salsam* tan-
„ tum non mortem inferentibus, & *perfusio-*
„ *nibus* ejusdem usque ad extremas vitæ oras
„ provectis. „ Quidam medicus hydrophobici cujusdam oculis mappam crassam superinjecit, manibus ligatis, potionem bibere invitum aliquoties cogebat; at prorsus sinistro eventu; nam statim vehementer convulsus obiit. „ Qui
„ plura velit adeat authorem Listerum, qui
„ elegantissimum tractatum de hoc affectu con-
„ scripsit. Admiranda profecto est historia *Ja-*
„ *cobi Corton* apud illum ab omnibus lectu di-
„ gnissima.

Levvthorp. Philos. Transact.
Vol. III. pag. 283.

Remediū singulare.

Art. 1064. ℞. *Rad. serpent. virgin. flor. hyperic. ana p. æ. f. pulv. dos.* ʒß. *vel* ℈ij. *in julap. cephalic.* ℞. *Fol. rut.* ℥vj. *theriac. Ven. allii, rament. Jovis ana* ℥iv. infund. in vin. Canariens. vel alb. digere in balneo per horas 4. coletur cum expressione forti, dosis ℥ij. vel iij. singulis auroris ad dies novem, maneatque æger jejunus per tres horas: *manens residuum* parti vulneratæ circumligetur, & singulis diebus renovetur. Remedium hoc me nunquam fefellit. *Mayerne.*

Remedium topicum.

Art. 1065. Loco vulnerato quamplurimum appli-

pli-

plicetur *anus galli veteris* plumis prius divulsis; & si canis rabiosus esset, gallus statim intumescet, & mox morietur, & demorsus sanabitur; si vulnus sit exiguum, ampliari debet.

Art. 1066. Aliter, homo morsus *in mare* quamprimum novies immergatur, & locus vulneratus cum lixivio *e cineribus quercinis & urina* eluatur, & applicetur cataplasma ex *theriaca Londinensi*, *alliaria*, *ruta*, *& sale*. *Alia methodus.*

Art. 1067. ℞. *Fol. rut. sicc. scord. ana* ℨij. *rad. serpent. virgin.* ℨiß. *flor. hyperici* ℨiij. *theriac. Lond.* ℥j. *syr. e cort. limon. q. s. m. f. elect. pro dos.* ix. una singulis auroris sumenda. *Electuarium.*

Art. 1068. *Lichen cinereus terrestris* (Raii p. 117.) cum æquali quantitate *piperis* est remedium infallibile ad rabiem præcavendam in homine ac jumento. *Lichen cinereus.*

Art. 1069. „ Aliquando expertum vidimus „ *decoctum ad morsum canis rabidi pharm. Bat.* „ cum fœlici successu. Postremo quoniam hoc „ malum a morsu animalis (& ut plurimum ca„ nis) rabiosi omnino pendet, operæ pretium „ esse videtur, ut accurate animadvertamus, „ quænam sint signa *diagnostica* canis vere ra„ bidi, ut futurum morbum, si fieri possit, „ præcaveamus. „ Sequentia itaque habemus apud *Lommium*; canis rabiosus esurit, sitit, nihil tamen cibi vel potionis sumit, oculos flammeos trucesque habet, auriculas demittit, linguam exerit, multum ore spumat, umbræ suæ oblatrat, sæpe sine omni latratu tristis atque anxius discurrit, crebro tanquam cursu fatigatus spirat; caudam gestat intortam, nullo discrimine in quosque obvios animantes impetu ac morsu fertur, præcipiti atque incerto oberrans cursu. Integri canes & conspectum & latratum ejus, qui furit, exhorrescunt, ac fugiunt. „ Primum „ sym-

Decoctũ ad morsum canis rabidi.

Signa diagnostica canis rabiosi.

„ symptoma rabiei in canibus est *inusitatus tre-*
„ *mor seu trepidatio.*

Farrago sententiarum.

Hydrophobia est delirii species. *Art.* 1070. Vera hydrophobia est canina rabies a morsu canis rabidi communicata; interdum etiam ab animali quovis rabido, & ira furente, quæ in delirio consistit, in quod nonnulli celerius, alii tardius post susceptum morsum, quidam post annum, vel eo amplius, sed frequentius post dies 40. incidunt. Neque vero tam perpetuum delirium est, quin imo frequenter dentur rabidi, qui sibi mente constant, & morbi invasionem sentiunt, & rogant, jubentque, ut sibi vincula injiciantur, ne ipsi in amicos, & adstantes irruant. Hinc patet quam nihil habeat morbus hic cum mania affinitatis.

Ejus signa. *Art.* 1071. Si in vulnere, vel consolidato, vellicationis cujusdam, rosionis ac doloris sensum æger percipiat, qui caput versus tendat, & inde vertigo excitetur, vigiliis, somniis turbulentis, anxietate quadam, & iracundia, vel timore præter rationem, ventriculi gravitate, & vellicatione, sensu quodam velut aeris inclementioris, insolita a cibo, potuque abstinentia afficiatur, judica talem ab animali rabido demorsum fuisse. *Scardona.*

Remedia utilia. *Art.* 1072. Alexipharmaca sunt propinanda, inter quæ præ reliquis omnibus cineres cancrorum fluviatilium, veteres medici uno ore magnopere extollunt. Galenus, ait, neminem periisse, qui hoc remedium propinavit. Sumendi sunt, cineres ad quantitatem cochl. j. vel ij. singulis diebus ad dies 40. Frequens item adventante hydrophobia in aquam salsam marinam immersio aliquando valet. Ubi vero de ægro-

rum salute conclamatum jam sit, nihil experiundum restat præter liberalem, ac repetitam venæ sectionem, si temperamentum, vires, ægrique constitutio permittunt, præter immersiones per vim, & metum in aqua, & perfusiones per universum corpus tandiu celebrandas, quandiu aquam vix paveant ægri.

Art. 1073. Cantharides quasi specificas in hoc morbo habitas ab Ettmullero, & Bacchio: ut etiam pulverem illum famosum ex cantharidum, & piperis longi ana gr. iv. cum mica panis ab initio statim adhibendum, quousque sanguis, cum urina exire incipiat, omnino damnamus, & perniciosissimum credimus. Et quia urina sanguinea prodeunte ad lactis usum mox devenitur, satius habemus nullo premisso hujusmodi noxio pulvere ad lac confugere, eodemque per 40. dies ægros saginare. *Noxia.*

Art. 1074. Ad præcavendam rabiem in homine ac jumento Lichen cinereus terrestris, cum æquali quantitate piperis est laudatum remedium. „ Sequens vero *remedium R.* „ *Schombergus*, ait, Indis Orientalibus feli„ citer usitatum mihi maxime commenda„ vit Vir fide dignissimus. ℞. Cinnab. An„ timon. factic. ana gr. xv. Mosch. gr. xij. „ fiat pulvis mane, & vesperi e cyatho vi„ ni generosissimi sumendus per quamplu„ res dies, vel pro re nata „. Sed nihil magis præstat, quam vulnus statim etiam consolidatum denuo aperire, & late scarificare cucurbitula fortiter attrahente desuper applicata, vel partem affectam ferro ignito inurere, & fotu frictioneque ex muria salis, & *Præservativa.*

aceto assidue tractare. Atque hæc quidem, primis a morsu diebus conferre visa sunt. Si progressu adhibeantur oleum, & operam perdimus.

Curatio per sudorifera. *Art.* 1075. Jam ubi hydrophobia invaserit, nihil inter initia efficacius ol. amygdal. dulc. sem. lini, vel ol. rosat. ad unc. v. propinatur, quo ad bibendum æger disponitur, cui sudorifera, cum regimine calido ad sudandum insuper jubentur; ut Pulv. Palmarii, Julapium Cephal. Mayerne, Acet. Aromat. Hannemani, &c.

Signum iminentem hydrophobiam indicans. *Art.* 1076. *Petrus Salius Diversus* in lib. de affect. Particularib. observat biduo ante hydrophobiæ accessum ægrum de vehementi in cicatrice vulneris vellicatione, & punctura conqueri; quod ab aliis quoque confirmatum est. D. *Boudon*, insuper addit trigesimo nono die a morsu hujusmodi puncturam, & vellicationem in cicatrice vulneris notasse atque biduo post ægrum hydrophobum evasisse.

Prognosis. *Art.* 1077. Hydrophobi ut plurimum quinta die aquæ timore, liquorumque omnium horrore moriuntur, non obstante etiam quod crebræ imersiones adhibeantur. Certissimum est enim Boerhaavium, Osterdyk-Schanchtium, aliosque demersiones in aquam sæpe incassum cedere comperiisse.

Altera curandi methodus. *Art.* 1078. Post canis rabidi morsum vulnus apertum detinendum est, quod statim aqua salsa abluitur, inde scarificatur, eidemque, vel cucurbita, vel vescicatorium imponitur. Unguento aliquo mercuriali illiniri debet, & vel unguento eodem, vel etiam Mercurio dulcificato intus sumpto, ut in

luis

luis Aphrodisiacæ curatione usuvenit, salivatio promoveatur. Finita salivatione per mensem, si opus, continuata, restitutisque congruo alimento ægri viribus, & nutritione a timore subsequentis hydrophobiæ immunis vivere poterit; si vero ex cicatricis vellicatione, & punctura hydrophobiam instare cognoscatur, aut eadem jam facta sit, tunc nulla interjecta mora ad Turbith Minerale confugiendum erit. *Vid. Transf. Philosoph. ann.* 1736. *D. BOUDON Abrege de la Med. de M. J. Allen Ch. III.* §. xxiij. *de la Rage. D. James in epist. ad D. Hans-Sloane ibid.*

TARANTISMUS.

Art. 1079. Tarantismus est rabies eorum, qui a *tarantulis* sunt morsi. *In Apulia Italiæ regione* frequenter occurrit; apud nos nusquam invenitur. Spiritus animales primario afficiuntur. Cura per *musicam* peragitur. *Clarissimus Baglivus* de hoc affectu tractatum emisit: & de eodem etiam scripsit *celeberrimus noster D. Mead*, quibus remittendus est lector eruditus. Vid. etiam *Hist. de l' Acad.* Vol. VI. p. 20. tum etiam *Hafenreffer de Cutis Affectibus*, circa finem, ubi etiam Cantilenas quasdam adfert Italico vernaculo conscriptas, quæ una cum Instrumento Musico luduntur, quemadmodum habuit *P. Kirkerus* in sua *Musurgia*. Item consulantur Obs. *Anotom. Med. Chirurg. Stalpartii Van der VViel.* Cent. I. obs. 100. *Tarantismus.*

Art. 1080. Nec tantum Musices præstantia, & curativa virtus ad Tarantismum subigendum, sed ad alios etiam compescendos mor-

bos extenditur. In historia Acad. Regiæ Scient. Parisiens. Anno 1707. pag. 7. hæc narrantur. Musicus quidam febre continua remittente correptus circa finem septimi, cum ejulatibus, vociferationibus, terroribus & agryphia, vehementi delirio corripitur. Tertio ejusdem delirii die, cum nonnullis frueretur rectæ mentis intervallis, exoravit ut plurium musicalium instrumentorum Symphonia in suomet cubiculo concederetur. Id vero ægre Medicus patiebatur. Tamen nonnullis D. *Bernier* cantilenis lusis, ab ipso usque musices ingressu vultus lætitiam ostensus est, oculique ejus lacrimis præ voluptate maduere, & usque ad finem Musicæ omni febre imunis deprehensus est. Symphonia remota iterum febris, ut prius revertebatur, & per aliquot dies hujus remedii usu continuato eosdem semper miros produxit effectus. Decimo tandem die ab usu Musices nullis antea auxiliis adhibitis, quam sanguinis emissione a pede, omnino convaluit. Similis quoque casus in eadem Hist. Academ. occurrit ad annum 1708. de Saltatore delirio occupato, qui instrumento musicali audito postquam diu brachiis notas musicales prosequutus est, profundo demum somno correptus, salubri crisi oborta, convaluit.

INCUBUS SIVE EPHIALTES.

Vvillisii sententia.

Incubus. *Art.* 1081. Incubi paroxysmus fere tantum inter dormiendum ingruit, & plerumque post stomachum cibis dyspeptis aggravatum, & decubitum in lecto supinum excitari solet; eo labo-

laborantes potissimum in pectore; & circa præcordia noxam sentire videntur, nam respiratione plurimum impedita, se a pondere, thoraci graviter incumbente, opprimi putant; quod pondus nunc hac nunc illa *spectri* aut *larva* specie ipsorum imaginationes illudit, nec excutere possunt, nec corpus dimovere; verum post diutinam, ac interdum fere ad vitæ deliquium, in præcordiis luctam tandem evigilant, & moles imaginaria evanescit; superstite vero ut plurimum cordis tremore, & non raro diaphragmatis vibratione celerrima & violenta. Hic affectus raro ex se periculosus est.

Art. 1082. Præmissis universalibus *cephalicis* & *antispasmodicis* curatur. *Curatio.*

Ettmulleri sententia.

Art. 1083. Raro hoc malo afficiuntur, qui laudabili utuntur diæta, aut qui *sobriam* amant *cœnam*; si dormiatur in latere elevato capite, præcavetur incubus. Ab Arabibus appellatur *epilepsia nocturna*, quia incubus habitualis, & diuturnus in *epilepsiam* tantum degenerare solet, & est ejusdem prodromus in junioribus, uti in senibus *apoplexia*. *Quomodo præcaveatur.*

Art. 1084. Incubus habitualis curandus est, præmissis præmittendis, *antiepilepticis*, *martialibus*, &c. cum sobrietate conjuncta. *Lapis lazuli* laudatur. *Curatio.*

Inter legendum.

Elegans morbi descriptio. *Art.* 1085. *Antonius Menjotus* hunc affectum eleganter describit; quod sit nocturna spirandi difficultas absurda superinjectæ molis opinione somniantem eludens. Pueros frequenter exercet; quia voraces plus comedunt, quam digerunt. Cum vehementior impresserit præfocatio, quosdam interfici, testatur *Aurelianus*; *Quandoque lethalis est.* additque ex *Silimacho contagiosum* quoddam *& epidemicum Incubum Romæ* grassantem multos pestis instar jugulasse.

Finis Primæ Partis.